
Jahrbücher für classische Philologie


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

JAHRBÜCHER

für

classische Philologie.

Herausgegeben

von

Alfred Fleckeisen.

ACHTZEHNTER SUPPLEMENTBAND.

Leipzig, 1892.
Druck und Verlag von B. G. Teubner.

Inhaltsverzeichnis.

THYNNORUM CAPTURA

QUANTI FUERIT APUD VETERES MOMENTI

EXAMINAVIT

PAULUS RHODE.

Inter aquatilia maris interni animalia iam antiquissimis temporibus duo potissimum natura ac proprietatibus hominum oculos in se converterunt nec mediocrem locum obtinent in veterum scriptorum libris, delphinus et thynnus. Permagnum vero discrimen inter utrumque interest. Illi quem quasi aquatilium regem nonnulli praedicant (fab. Aesop. ed. Halm. 251, Opp. hal. II 542. 643. V 441, Ael. n. a. XV 17), aliquid humani inesse veteribus videbatur, quod nescio quo pacto animos eorum sibi conciliaret eosque tanquam cognati amoris vinculo cum illo coniungeret: uni omnium e grege Neptuni homini comiter favere videbantur, quippe qui hilare ludentes navigia prosequerentur ac nautis procellam instantem certis indiciis praenuntiarent, quin etiam naufragis vel in mare deiectis opem ferrent aut saltem corpora ad litus appellerent, ne sepultura carerent; multa et praeclara amoris pietatisque exempla in omnium ore erant nec deerant narratiunculae de humana delphinorum origine; delphinum casu aliquo retibus implicatum a piscatoribus liberatum esse testatur Plutarchus (de soll. anim. p. 977 f. 978 a): iniustum ac nefastum appellat Oppianus, qui delphinum capiat, qui vero trucidet pro parricida vel sacrilego habendum esse (hal. V 416 sqq.). Quodsi delphinus tanquam primas partes agit inter aquatilia veteribus nota (cf. Keller, Thiere d. cl. Alterth., 1887, p. 211 sqq.), secundas certe habet thynnus, qui vix rarius nobis occurrit apud veteres scriptores, nec minus laudibus effertur, sed quidem alia de causa. Ingentes thynnorum turmae, quae certis anni temporibus longa maris spatia permigrant, variae huius piscis proprietates, varii capturae apparatus, variae thynni apparandi atque condiendi rationes, quippe cuius carnes non modo pauperiori plebeculae vile pabulum praebeant sed etiam ganeonum palato subtilissimo satisfaciant, saepissime commemorantur ac dilucide apparet, quanti thynnus tunc aestimatus sit: delphinus veterum cordibus atque animis se insinuavit, thynnus gulis atque ventriculis.

Sed magis magisque nimbus ille quidam poeticus, quo simplex atque integra veterum admiratio delphinum exornaverat, expalluit ac diffluxit. Et hodie quidem peregrinatores delectantur ludorum suavitate quos in undis faciunt delphini; sed si quanti quisque piscis aestimetur inde diiudicandum est quanto studio homines ei insidientur, multum recessit delphinus de principatu pristino: carnes eius non comeduntur nisi a nationibus rudibus aut egenis litorum

accolis[1]) nec nisi adipis causa nonnullae species venatum patiuntur. Quod vero aestimationis illi subtraxit tempus, sobrius meritorum arbiter, eo thynnum cumulavit; neque immerito: princeps enim est unius ex quattuor illis piscium familiis, quae summam praebent utilitatem hominibus, Scombridas dico, Gadidas, Clupeidas, Salmonidas (cf. Günther, Handb. d. Ichthyol. ed. v. Hayek, 1886, p. 323); ac si animo perpenderimus, has tres familias praeter paucas minoris staturae species Clupeidarum in mari mediterraneo omnino paene desiderari, nihil mirabimur thynnum tunc eiusdem fere momenti fuisse maris interni accolis atque hodie harengum toti orbi terrarum. Nostris quoque temporibus thynnus piscium illius maris pensissimus est (cf. Brachelli, Staaten Europas, [4]1884, p. 118), et variae eius capiendi rationes ac machinationes iam tunc sollertissime adhibitae pro continuo artificiorum progressu valde auctae atque amplificatae sunt: multa milia hominum in hac captura occupati sunt et inde victum sufficientem sibi parant.

Veterum locos qui ad thynnum pertinent ubique dispersos summa cum diligentia atque eruditione collegerunt literarum renatarum viri docti artis ichthyologicae periti: P. Belonius qui amplissimarum peregrinationum (a. 1547—1570) summam in compluribus scriptis deposuit, ex quo numero plurimum valent De aquatilibus ll. II (Lut. Par. 1553); H. Salviani (1514—1572), trium paparum archiatrus, in Aquatilium animalium historia (Romae 1554—1557); G. Rondeletius (1506—1557), cuius Libri de piscibus marinis (Lugd. Bat. 1554) et Universae aquatilium historiae pars altera (Lugd. 1555) quodammodo Belonii operis editiones amplissime auctae habendae sunt (cf. Günther, l. c. p. 4). Quorum libros exscripsit Conradus Gesner, 'Germanorum Plinius' (1516—1565), in Historiae animalium l. IV (Tiguri 1558) et uberrimis ipsius animadversionibus adauxit, rudem indigestamque molem! Plurimum postea in illis veterum testimoniis intellegendis et emendandis profecit G. Schneider in adnotationibus ad P. Artedi Synonymiam piscium; C. A. Böttiger breviter de thynnis eorumque captura disserit in Amaltheae l. II (p. 303 sqq.) et quaestiunculae antiquariae haud ingratae argumentum censet, quid de hisce piscibus veteres iudicarint fusius explicare: quod cum a nullo adhuc, ni fallor, nisi obiter factum sit, ipse rem aggrediar, recentiorum notis atque iudiciis quantum potero comparationis gratia usque adhibitis.

1) Verumtamen moneor a viro docto, delphini lumbos assatos saporis esse probatissimi, flexuosum delphini cerebellum inter cibos eximie delicatos habendum, globulos e iecore congestos — saepe quidem ab entozois vexato — non spernendos: delphino e navi fuscina capto cibum nauticum semper sibi aequalem gratissimum in modum variari.

I.

De variis thynnorum nominibus.

Iam in limine quaestionis nostrae stantibus haud mediocris difficultas nobis occurrit, cum magna nominum varietas naturalem thynni historiam tantopere obscuraverit, 'ut nescias aetatis an sexus specierumve diversitatem signent' (Schneider, Synonym. pisc. p. 53). Quamquam nullo modo dubitari potest quin θύννος Graecorum, thynnus s. thunnus Romanorum idem piscis fuerit qui hodie a rerum naturalium peritis vocatur Scomber thynnus (Thynnus vulgaris L., Thunfisch vernaculo sermone), vix tamen fieri poterit, ut singula nomina quibus veteres varias thynnorum species disiunxerunt — si quidem disiunxerunt — in singulas species transferantur, praesertim cum vel apud Aristotelem, qui unus ex veteribus artem zoologicam certa ratione atque consilio tractavit, conscia declaratio et perpensatio notarum ac differentiarum specialium prorsus desideretur. Nec mirum est in ipsa ichthyologia permagnam nomenclaturae inconstantiam reperiri, cum aquarum incolae magis quam cetera animalia spectatorum oculos effugiant humido domicilio suo absconditi. Accedit quod persaepe occurrunt nomina aut ex piscatorum cetariorumve sermone petita aut in communem usum alicubi recepta, quae nimirum cotidiani sermonis incuria saepissime inter se turbata potius quam semper morose distenta esse reapse consentaneum est. Ita fit ut apud Graecos aliquando uni eidemque piscium speciei diversa nomina tributa esse videamus, prout alio atque alio loco caperetur; immo Romani plus semel piscibus genere et specie distinctis idem imponere nomen non dubitaverunt (cf. Plin. H. N. l. IX ed. Gronov., 1778, p. VII).

Iam vero accedamus ad singula nomina afferenda.

Θύννος. Vocabulum ipsum veteres derivant a stirpe θυ- (θύω, θύνω), quippe quae impetum significet quo piscis in mari fertur (cf. Athen. VII p. 302b. 324d; Schol. Opp. hal. I 181; Etym. M. s. v.; Eustath. p. 994. 1720); quo veriloquio Oppianus utitur in figura etymologica θύννοι μὲν θύνοντες (hal. I 181), nec dubium est quin idem ad thynnos alludere voluerit hal. IV 645: ἀμφ' ἀκάτῳ θύνουσι . . . ῥιπῆς τριγλώχινος ἀμειλίκτοιο τυχόντες. Eandem derivationem cunctanter affert Benfey (Gr. W.-L. II 277), probat Vaniček (Gr.-Lat. Etym. W.-B. p. 407 sq.): DHU (sich) heftig be-

wegen (dhu-, θυ- θύννο-c). Aliam vocabuli interpretandi rationem tentaverunt Gesner (Hist. anim. IV p. 231) et Bochartus (Hierozoicon ed. Rosenmüller III p. 783 sq.), quippe qui ex Hebraeo תנין thannin, quo cetus significatur, mutuatum censerent, 'ut valde sit verisimile hanc illis appellationem venisse a Phoenicibus, quos thynnorum piscatione celebres fuisse cum alii testantur tum maxime Aristoteles in libro Mirabilium' (Boch. l. l.). — θύννος ν literam geminat ('Αἰολικῶς', Eustath. p. 994), υ vocali correpta (Herodian. π. διχρ. 292, 8); unum ν paenultimam productam insequens praebent libri Herod. I 62 θῦνοι δ' οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός in versiculo Amphilyti harioli; cf. Choerob. 220, 14 θύννα ἡ θῦνα; Etym. M. s. l. Θῦνον κρίνοντες legimus: καὶ ὄνομα ῥηματικὸν, θῦνος [= impetus]· καὶ πλεονασμῷ ἑτέρου Ν, θῦννος· ὅπερ ἐν τῇ κοινῇ συνηθείᾳ καλεῖται θύννα. Scripturam quae simplicem tantum habet consonam libri infimae graecitatis temporibus conscripti aliquoties exhibent, sive masculina vocabuli forma adhibita est sive feminina in -α vel -η desinens, vocali modo producta modo correpta, cf. Anon. de alim. c. 15 θύναι (in Phys. et med. gr. min. ed. Ideler, II p. 265), Ptocho-Prodr. ed. Corais (Atakt. I) A 95 θυνομαγερίαν, B 102 θῦνα, 321 θύναν, sed quidem B 223 θύνναν, 224 θυννόκομαν; illam formam recentioribus temporibus usitatiorem fuisse iam inde apparere videtur quod expressis verbis Corais adnotat, vocabulum geminata consonanti a veteribus scriptum esse (ibid. p. 73: μὲ δύο, καὶ ὄχι μὲ ἓν ν̄). — Apud Romanos primus thynnum memorat Lucilius (I 29, fr. inc. 179 R.); praeter hanc vocabuli formam interdum legitur thunnus (Varro ap. Non. Marc. I p. 49 — thynnus Varr. l. lat. V 77 Sp. —, Hor. s. II 5, 44, Ovid. hal. 98); tinnus scriptura occurrit apud Apicium (ed. Schuch), item inter natantium nomina in Polemi Silvi laterculo (in Sueton. rell. ed. Reiffersch. p. 267); eadem forma sub Ꝭ̂ notarum Tironianarum compendio latet: T(i)Nus = Tinnus (Kopp, Palaeogr. crit. II p. 379). Quod attinet ad licentiam ac libidinem, qua hoc vocabulum eiusque derivata infimae latinitatis scriptores vexaverunt, ad Ducangii glossarium delegasse satis est.

Thynnus femina, si sexus disiunctione opus est ἡ θύννος vocatur (Etym. M. l. c.), θύννα (ibid.), θύννη; formae quae suffixum femininum prae se fert latius patuisse videtur usus posteris temporibus quam masculinae id quod concludere licet ex Etym. M. loco supra allato (. . . θῦννος· ὅπερ ἐν τῇ κοινῇ συνηθείᾳ καλεῖται θύννα), neque obstant libri: cf. Pselli de re med. 230 θύννη (Phys. et med. gr. min. I p. 209), Anon. de alim. θύννας (ibid. II p. 281), locos quos modo attuli; etiam apud Simeonem Sethum genere feminino thynni dicuntur, id quod contra librorum auctoritatem a Langkavelio mutatum est (cf. Sim. Seth. de alim. fac. ed. Langkavel, 1868, p. 43: αἱ θύνναι IF θύνναι H θέννοι C). — θυννίς, quae vox apud Aristotelem h. a. V 33. 37 feminam thynni significat, quam notionem etiam IX 26 habere videtur (cf. οἱ μὲν κυοῦντες, ἔνιοι δ' ὅταν ἐκ-

τέκωσιν), apud eundem VI 105. 106 iuniorem thynnum notat; quod si comparamus cum Archestr. fr. XXXVII Br., qui quasi sui ipsius scholiasta thynnam interpretatur thynnidem magnam (θύννης οὐραῖον ... τὴν θυννίδα φωνῶ τὴν μεγάλην), ita ut thynna thynnidem magnitudine superet, adhibito Sostrati fragmento (Athen. VII p. 303 b), qui pelamydem h. e. thynnum annotinum θυννίδα vocari docet (cf. Antiphan. ap. Ath. III p. 118 d Βυζαντίας δὲ θυννίδος h. e. pelamydis; Hesych. s. v. θύννον· τὸν ὄρκυνον λέγουσι· τὴν δὲ πηλαμίδα θυννίδα), hoc fortasse concludere poteris, -ις suffixum diminuendi vim in hac voce retinuisse, ut thynnum minorem θυννίς significaret, quam notionem cum sexu feminino facile sese coniungere notum est: quare θυννίς proprie fortasse thynnus virginalis dicebatur — Matjes — vocant Batavi —, postea omnino feminam thynni significabat. Thynnos ab Atheniensibus thynnides appellatos esse Athenaeus auctor est (l. c.); Etym. M. s. v. θυννίδες· οἱ νῦν θύννοι, ἢ ἄλλοι τινὲς ἰχθύες (= Bekker, Anecd. gr. I p. 265). — Eadem voce frusta thynni saliti appellabantur, cf. Hesych. s. v. θυννίδες· θύννων τεμάχη, ὑποκοριστικῶς.

Diminuendi vim habent θύνναξ (Eriphus ap. Athen. VII p. 302 e; cf. Eustath. p. 1720, ὑποκορισθέν) et θυννάς (Antiphan. ap. Ath. ibid. f: θυννάδος Βυζαντίας h. e. pelamydis), quae altera vox etiam frusta salsamenti ex thynno confecti significat, cf. Hesych. s. v. θυννάδες· τεμάχη ταρίχου. — θυννίον, quod olim legebatur in Clearchi Solensis fragmento (Ath. XIV p. 649 a), in θύννειον correctum est: σκόροδον κρέας θύννειον ἅλμη κρόμμυον.

Neograeca lingua vocabuli formam retinuit: θύννος, θύννη — ὁ τοῦννος, ἡ τουννίνα in sermone vulgari, qui hoc verbo e lingua Italica petito (τοννίνα, τουννίνα) carnem quoque thynni appellat; italice hic piscis vocatur tonno (tunnu apud Siculos), francogall. thon (Patois de Nice: toun), hisp. atun, angl. thunny, arab. ton vel tonnath (cf. Sprengel ad Dioscor. II p. 436).

Πηλαμύς: pelamys thynnum significat intra primi anni tempus, 'Thünling' (cf. Aristot. VI 105, Plin. IX 47), unde ab Oppiano ἀμενηναί (hal. IV 544) et ἀφαυραί (ibid. 562) appellantur. Verior atque antiqua huius vocis forma υ vocalem in ultima syllaba habet (cf. Dionys. Halic. rell. ed. Schwartz, 1877, p. 123: πηλαμύς: διὰ τοῦ υ, Herodian. ed. Lentz, 1868, I p. 237, 18. 527, 2. II p. 762, 32; Hesych. s. v., Phot. lex. s. v.; quin etiam ad veriloquium inde excutiendum vocali abutitur Etym. M. s. v. πηλαμύς· παρὰ τὸ ἐν τῷ πηλῷ μύειν); non tamen raro in libris et Graecorum et Romanorum forma legitur in -ις desinens, quae postea alteram prorsus exstinxisse videtur; accentus in ultima syllaba sedem habet (cf. Herodian. ibid., Arcad. de acc. 92). Nomen a πηλός derivandum (cf. Benfey, Gr. W.-L. II 81) pelamydes inde traxisse videntur, quod hiberno tempore in luto sese occultent, id quod de primadibus alia thynnorum specie aperte adnotat Aristoteles h. a. VIII 104 (cf. Opp. hal. IV 545 πηλαμύσιν ..

ἐν ἰλύσι πεπτηυίαις; Festus s. v. pelamys: quod in luto moretur, quod Graece dicitur πηλός); apud Plinium IX 47 pro vulgata librorum scriptura 'limosae vere aut e luto pelamydes incipiunt vocari' cum Mayhoffio limosae (= πηλαμύδες) pro glossemate potius habendum totusque locus ita constituendus esse videtur: [limosae] vere aut*em* e luto pelamydes incipiunt vocari; Birt de halieut. p. 147 rem ita explet: limosae vere (aut graece, e luto) pelamydes incipiunt vocari; respicit hic locus Plinianus ad Aristot. VI 106: εἰσπλέουσι δὲ τοῦ ἔαρος ἤδη οὖσαι πηλαμύδες; Gaza pelamydes modo limosas modo limarias vertit, Hermolaus lutarias. Ad idem veriloquium alludit Hrabanus Maurus episcopus in libello quem patris Dei convivium inscripsit: 'Adamum fingit pelamydem sumere: est enim huic pisci a luto nomen, e qua materia homo primitus a Deo formatus est' (Gesner h. a. IV p. 1157). Aliam etymologiam promit Plutarchus (de soll. anim. XXX p. 980): ἀμίαις δὲ καὶ τοὔνομα παρέσχηκεν ὁ συναγελασμός, οἶμαι δὲ καὶ ταῖς πηλαμύσι, ut a congregando, διὰ τὸ πέλειν ἅμα, pelamydis nomen derivasse videatur sicut amiarum παρὰ τὸ ἅμα ἰέναι (cf. Gesneri Nomencl. pisc. p. 108sq.). Prima vocali immutata παλαμίδα vox appellatur apud Ptocho-Prodromum, quam formam lingua Neograeca retinuit (cf. Corais At. I p. 73; παλαμύδα, apud Trapezuntios παλαμύδ, cf. Foy, Lautsyst. d. gr. Vulgärspr., 1879, p. 79); Itali piscem vocant palamita, Francogalli pélamide, Massilienses, colonorum Graecorum progenies, palamyde (ibid.). — φιλομῆδα vel φιλομῆλα, quod legitur apud Simeonem Sethum de alim. fac. (φιλομήλη ed. Langkav. p. 118) a Greg. Gyraldo (ed. Basil. 1538, p. 163) convertitur pelamis, 'unde corruptum est' (Gesn. h. a. IV p. 1155); at mera coniectura: immo philomela idem piscis est qui κόκκυξ (Trigla gurnardus) vulgo appellatur.[1]) — πηλαμυδεῖα quibus mirum in modum Sinope urbs excellebat (Strab. XII 3, 11 p. 545) loca sunt ad capturam pelamydum apta. — Πήλαμος, tanquam pelamys mas cum luculenta ad Pelei illustre nomen allusione, apud Lucianum (v. hist. c. 38) dux est Tarichanum, qui una cum Thynnocephalis et Carcinochiribus in abdomine ceti aciem instruunt.

Duobus his piscis nostri nominibus anticipatis, quorum utrumque saepissime legitur apud scriptores veteres, cum iam accedo ad nomina minus usitata quibus certus incrementi aetatisve gradus significatur, rem ita tractabo ut ordiar a vocabulis quae minutissimam thynni formam designant atque deinceps ad summum corporis incrementum usque pergam, tum nomina afferam quae semel adhibita atque adeo perperam in thynni genus translata passim occurrunt.

Σκορδύλη (Aristot. h. a. VI 105, σκορδυλῶν Geopon. ed. Ni-

1) cf. Schol. Opp. hal. I 97: κόκκυγες· ἢ φιλομῆλαι. κόκκυγες αἱ φιλομῆλαι διὰ τὸ εἶναι αὐτὰς κοκκίνους, ἃς καὶ λέγουσιν εἶναι προσφιλεῖς τῶν κοκκίνων μήλων τῶν ὀπωρῶν; Ptocho-Prodr. c. Hegum. 168: καὶ μέσα κεῖται κόκκινος μεγάλη φιλομῆλα; φιλομηλίτζας τρυφεράς ibid. 574.

clas XX 7 p. 1242, Hesych. s. v. σκόρδυλ . . [σκόρδυλα Musurus], θαλάσσιος ἰχθῦς. ἔνιοι κορδύλη), κορδύλη (Diphil. Siphn. ap. Ath. III p. 120e, Strab. XII 3, 19 p. 549, Hesych. l. c.), cordȳla (Plin. IX 47. XXXII 145, Mart. III 2, 7. XI 52, 7. XIII 1, 1), cordula (Apic. IX 435, quam vocem uncinis inclusit Schuch p. 193). Hoc vocabulum significat thynni partum cum primum ex ovis nascitur, 'Thunheuerling': quare apud Plinium (XXXII 145) pelamys pusilla vocatur; a capitis magnitudine forte nomen invenit secundum Gesnerum (Nomencl. aquat. anim. p. 110): 'cordyla enim Graecis clavae caput h. e. partem crassiorem significat; solent autem capita in animalibus nuper natis, piscibus praecipue, proportione maiora esse.' Vaniček (Gr.-Lat. Etym. W.-B. p. 1097) vocabulum derivat a radice SKARD springen, schwingen, schwenken; skard; σκορδ, κορδ; κορδύλη Geschwulst, Beule; Keule; eine Thunfischart. Cordylae nomen secundum Birtium (l. c. p. 120) sub codea voce quae inter natantium nomina legitur in Polemi Silvi laterculo fortasse latet.

Αὐξίς apud Byzantios cordyla vocabatur διὰ τὸ ἐν ὀλίγαις αὐξάνεσθαι ἡμέραις (Aristot. VI 105), 'Wächsling'; cf. Bekk. Anecd. gr. p. 464, 5: αὐξὶς, εἶδος θυννίδος, ἥντινες κορδύλην λέγουσι. Φρύνιχος Τραγῳδοῖς, Καὶ τέμαχος αὐξίδος; schol. Nicandr. Alexiph. 469: αὐξὶς, εἶδος ἰχθύος ὅμοιον θύννῳ.

Κύβιον, cybium: ita vocatur concisa pelamys quae post XL dies a Ponto in Maeotim revertitur (Plin. XXXII 146 = Xenocr. de alim. ex aquat. cap. ed. Corais IV 34 ξϛ'); itaque Hicesius (ap. Ath. III p. 118a) pelamydes κύβια μεγάλα esse ait; κυβίων pro βυθίων a Meinekio restitutum est in fragmento Pseudo-Hesiodi misere perturbato (Ath. III p. 116b) καὶ σκόμβρων κυβίων τε; quae eadem forma vix dubitari potest quin restituenda sit pro κύβων Poll. Onom. VI 48: ὡραῖα τεμάχη σκόμβρων, κεστρίνων, κύβων, θυννίδων; κυβεῖαι — a nominativo κυβείας? — una cum thynnis, xiphiis, orcynis, premadibus, coliis memorantur apud Oppianum (hal. I 183). Varro (de l. lat. V 77, 12) inter peregrina aquatilium animalium nomina cybium affert; Festus ap. Paulum s. v. cybium: 'Hinc et cybios genus piscis, quia piscantes id genus piscium velut aleam ludant'; utinam memoriae prodidisset quonam modo! — Cybiosacten 'Heringskrämer' Vespasianum ab Alexandrinis vocatum esse, cognomine unius e regibus ipsorum turpissimarum sordium, Suetonius auctor est (Vespas. c. XIX; cf. Strab. VII p. 796). — De cybio salsamenti genere quodam infra loquar.

Πριμάδες (Aristot. VIII 103 edd. Aubert-Wimmer; πριμαδίαι, πρημάδες libri): quas quamquam thynnis non expressis verbis adnumerat Aristoteles, tamen dubium esse nequit, quin illi piscium generi adscriptas voluerit, cum ipse textus tenor continuus hanc sententiam suadeat atque comprobet; πρημάς thynni species vocatur apud Artemidorum (Onir. II 14 p. 104), at enim in qua sodalitate! 'θύννος καὶ τὰ εἴδη αὐτοῦ πρημὰς πηλαμὺς σῖμος (!) σφύραινα (!)

κολίας καὶ τὰ ὅμοια'; πρημάδες ab Oppiano (hal. I 183) memorantur una cum thynnis, xiphiis, orcynis, cybeis, coliis; πρημνάδας easdem esse atque thynnides docet Athenaeus (VII p. 328e) ad Nicocharis fragmentum (I 772 K.); Hesych. s. v. πρημάδες καὶ πρῆμναι· εἶδος θυννώδους ἰχθύος, Phot. Lex. s. v. πρῆμναι καὶ πρημνάδες· γένος ἰχθύων, Zonar. Lex. s. v. πρηνᾶς [scrib. πρηνάς Tittmann]· ἰχθύος ὄνομα. Quod attinet ad veriloquium Vaniček haec monet (l. c. p. 511): PAR wehen sprühen, lodern, flammen; πρα; πρημαίνω blasen, heftig wehen ...; πρῆμαι (Phot. lex.), πρημ-ά-ς, πρημ-ν-ά-ς (άδ-ος) f, eine Thunfischart.

Τρίτομον (Xenocr. IV 34 ξη'), tritomum quod correxit L. v. Ian pro tritone editionum priorum: pelamydum generis magni ex quo terna cybia [horaea cybia olim] fiunt (Plin. XXXII 151).

Σάρδα: sarda vocatur pelamys longa ex oceano veniens (Plin. l. c. = Xenocr. l. c. οα'; cf. Corp. Gloss. Lat. II p. 329: Θυννοσοϊχθυς sarda, ibid. p. 407: Πηλαμυσοιχθυς pelamys sarda [pelamys e]), simili magnitudine atque colias (Diphil. ap. Ath. III p. 120e). Non dubium est quin hoc nomine pisces denominati sint a regione quam potissimum frequentabant et unde in alias regiones merx haud mediocris exportabantur; quodsi peculiaris quaedam thynnorum species certa magnitudine ac bonitate insignis ita appellari solebat, hoc quidem constat, magis magisque huius vocis notitiam amplificatam esse — si non primitus latius patuerat — sed ita ut regionis significatio usque vigeret: quo factum est ut non modo thynnorum speciem quae ad illa loca commeabat sarda vox significaret aut salsamenta inde fabricata (cf. Galen. alim. aquat. fac. p. 350 σάρδαι = Σαρδικὰ ταρίχη), sed etiam in alios pisces qui illis regionibus capiebantur transferretur: quare sardae in Edicto Diocletiani (c. V 12: sardae sive sardinae) pisciculos e familia clupearum significant — sardinae et sardellae quae hodie vocantur — quarum captura circa Sardiniam largissima est; cf. Isid. origg. XII 6, 38: pisciculos sardas sardinasque; sardae apud Ausonium (epigr. LXXXII 6 Peiper) eiusdem generis pisciculos sale conditos significant, cf. putremque sardinam Colum. VIII 17, 12; σαρδῆναι, σαρδῖναι Galen. l. c., σαρδῖνοι Epaen. ap. Ath. VII p. 328f, Aristot. ibid. 329a.

Ὄρκυνος, orcȳnus: hic est pelamydum generis maxumus neque ipse redit in Maeotim (Plin. XXXII 149 = Xenocr. l. c. ξθ'); secundum Heracleonem (ap. Ath. VII p. 303b) thynnus apud Atticos ὄρκυνος vocabatur, cf. Herodian. ed. Lentz, 1868, II p. 523, 4 ... θύννος ὁ ὄρκυνος; Hesych. s. v. θύννον· τὸν ὄρκυνον λέγουσι, cum spiritu aspero, cum psilosi apud eundem s. v. ὄρκυνος· ἰχθῦς ποιός; Sostratus (ap. Ath. l. c.) docet, thynnum maiorem ὄρκυνον appellari. Ὄρκυνες, quae forma legitur apud Aristotelem (V 36), num iidem pisces sint atque orcyni pro certo affirmari nequit, cum nihil aliud ex illo loco percipiamus nisi quod in alto mari fetificent; eadem forma usurpatur ab Anaxandride (ap. Ath. IV p. 131e, v. 23) in

praelonga ciborum suavium enumeratione; in Archestrati fr. XXXIV Br. pro ὄρκυνον forma, quae olim legebatur correpto υ, ὄρκυν restituit Ribbeck (cf. Mus. Rhen. XI p. 2221: θύννον ἁλισκόμενον σπουδῇ μέγαν ὃν καλέουσιν ὄρκυν, ἄλλοτε δ' αὖ κῆτος pro ὄρκῦνον vel ὄρκῡν', ἄλλοι ...) qui hanc formam tuetur eadem υ vocalis productione Hom. P 218. 318 Φόρκυν, Hes. theog. 270 Φόρκυϊ, Archestr. fr. XXVIII ἰχθὺν εἰς αἰεί. — Ad idem etymon quod latet in hac piscis appellatione etiam Phorcynos senis marini nomen revocandum esse videtur Schoemanno (Hesiod. Theog., 1868, p. 153): Φόρκυς — Ϝόρκυς — ὅρκυς vel ὄρκυς, quae vox cum magnas significet beluas marinas bene quadret ad κῆτος eiusdem notionis vocem, ita ut nomina Phorcynos et Cetus, Ponti Gaeaeque liberorum, haud iniquum portendant conubium. Neograeca lingua vetus nomen retinuit, sed saepissime cum metathesi cuius usus in hac lingua latissime patet ὄκρυνος vel ὄκρινος dicitur (cf. Xenocr. et Galen. ed. Corais p. 63). — ὀρκυνεῖον tituli Halicarnassensis (cf. Bulletin de corresp. Hellén. IV [1880] p. 304), quae vox adhuc in lexicis desideratur, locum certe significat orcynorum captura insignem. — Propter corporum magnitudinem apud Oppianum (hal. I 82) ὑπέροπλος ὀρκύνων γενεή vocatur, μεγακήτεες (ibid. III 132), κητώδεες (ibid. III 336), cf. Aelian. h. a. I 40: ὄρκυνος ὄνομα κητώδης ἰχθύς, ut omnino thynni maiores saepissime inter pisces cetaceos numerantur[1]): veteres enim sub nomine κήτη omnes pisces maiores comprehendere solebant (cf. schol. Opp. hal. I 611: πανταχοῦ τοὺς μεγάλους ἰχθῦς κήτη λέγει), quae vox perperam postea soli generi balaenarum a grammaticis attributa est (cf. Plin. H. N. l. IX ed. Gronov., 1778, p. 56).

Κῆτος igitur thynnum significat qui solitum modum eximie excedit (cf. Sostr. ap. Ath. VII p. 303b: ὑπερβαλλόντως δὲ αὐξανόμενον γίνεσθαι κῆτος, Eustath. p. 994); thynnorum captura apud Italos et Siculos κητεία (κητία olim) vocabatur auctore Aeliano (h. a. XIII 16), κητοθηρεῖα horrea in quibus instrumenta piscatoria condebantur (ibid.); κητεῖαι loci ubi thynni capiebantur et condiebantur (Strab. V 4, 4 p. 243, Athen. VII 283c); κήτημα (κητεμε, κήτημα Mus., potius κήτειον Kaibel) salsamentum e cervice thynni confectum, ὠμοτάριχος vulgo dictum — de quo vide infra — a nonnullis vocabatur (Diphil. ap. Ath. III p. 121b); Hesych. s. v. κητεία (sic legendum e coniectura Meinekii pro κητεῖν)· θύννων φορά; cetarii thynnorum piscatores (Varro ap. Non. Marc. I p. 49); cetaria (Hor. s. II 5, 44) vel cetariae (Plin. XXXVII 66, cf. IX 49) idem significant atque κητεῖαι.

Apolectus pelamydum generis maxuma vocabatur secundum

---

1) Exempli gratia afferam Galen. alim. aquat. fac. p. 737: phocae, balaenae, delphini, zygaenae, thynni magni (τῶν θύννων οἱ μεγάλοι), canes marini; quin etiam scomber et pelamys ab Alexandro Tralliano (I 15 p. 67) inter pisces cetaceos numerantur.

Plinium (XXXII 150, cf. IX 48); ἀπόλεκτον generis neutrius legitur apud Xenocratem (l. c. ο′); ad utramque vocabuli formam Gesner adnotat (Nomenclat. p. 109): 'Ego pro ipso pisce masculinum fecerim: pro parte autem concisa neutrum, ut τέμαχος subaudiatur'; aliter de hac re sentit Birt (De halieut. p. 168), qui rectam vocis formam τὸ ἀπόλεκτος fuisse conicit, quam exhibent nonnulli codices, ideoque numerum nominis singularem agnoscit Plin. IX 48: 'pelamydes in apolectos particulatimque consectae in genera cybiorum dispertiuntur'; ac sane concedendum est, hanc coniecturam bene fulciri neutrali comparativi forma Plin. XXXII 150: 'earum generis maxuma apolectus vocatur, durius tritomo'.

Μέλανδρυς maximorum thynnorum species est auctore Pamphilo (ap. Ath. III p. 121 b); salsamenti frusta quaedam a colore μελανδρύαι (masculine, ibid.; — ἡ μελανδρύα Herodian. ed. Lentz I p. 302, 16) vel μελάνδρυα (Xenocr. IV 35 ογ′ = Plin. IX 48) vocabantur 'quercus assulis similia' ('διὰ τὴν ἐμφέρειαν πρὸς τὰς μελαινούσας τῆς δρυὸς ῥίζας' — σχίζας legendum esse coniecit Schneider —; cf. Hom. Ξ 12: τὸ μέλαν δρυὸς ἀμφικεάσσας, Theophr. h. plant. I 9; — Mart. III 77, 7: pelle melandrya cana); melander forma legitur apud Varronem (de l. lat. V 77 Sp.), quo exemplo utitur thynni partium graecis vocabulis appellatarum; τέμαχος ὑπομελανδρυῶδες laudatur apud Epicharmum (Ath. l. c.), quocum conferendum est Hesych. s. v. ὑπομαλανδριῶδες (sic)· εἶδός τι ταρίχου. — Melanthynus quem eundem esse piscem atque melandryem coniecit Gesner (l. c. p. 110) ex editionibus evanuit, cum Opp. hal. I 367 cum tmesi hodie legatur: ἐν δὲ μέλαν θύννων ζαμενὲς γένος.

'Elacatena genus salsamenti, quod appellatur vulgo melandrya' legimus apud Festum: ἠλακατῆνες pisces, qui sine dubio a forma fusum aequanti nomen acceperunt (cf. Vaniček p. 54) inter cetaceos ad saliendum aptos numerantur apud Athenaeum (VII p. 301 d), inter pisces gobiorum similes apud Eustathium (p. 1423: ἠλακατῆνες ἰχθύες οὗτοι κωβιώδεις ταριχευόμενοι, ὥς φησι Παυσανίας), thynnorum generi nusquam tribuuntur; ἠλακατῖνον piscem vocat Mnesimachus (ap. Ath. IX p. 403 b), elacatam Columella (VIII 17, 12), helacatenes inter marinos pisces nominat Plinius (XXXII 53).

Pompilos a quibusdam vocari thynnos qui navigia velis euntia per aliquot horarum spatia et passuum milia comitentur Plinius adnotat (IX 51); apparet hanc appellationem nihil attinere ad pompilum piscem nomine peculiari vel sacrum piscem vulgo dictum (πομπίλος, ἱερὸς ἰχθύς), cuius de proprietatibus varias narratiunculas referunt Oppianus, Aelianus, alii: aut enim abusive illud nomen in thynnos navigia prosequentes a nonnullis translatum est, aut re vera error intercessit similitudine pompili cum pelamyde exortus (cf. Dionys. Iamb. ap. Ath. VII p. 284 b: ἐοικὼς πηλαμύδι, ποικίλος).

Alia quoque nomina quae ad thynnos pertinent interdum apud veteres nobis occurrunt: συνοδοντίς maior pelamys vocabatur Diphilo

Siphnio teste (ap. Ath. VIII p. 356f); inter pisces Niliacos memoratur ibid. VII p. 312b, de synodonte vel sinodonte pisce agitur Athen. VII p. 322b. c.

Apud Hesychium has notas invenimus: βῶκα· θύννον; βῶξ sive βόαξ — Box vulgaris — vilissimus maris interni piscis, ut qui abiciatur casu inter premnades captus (Plat. com. ap. Ath. VII p. 328f), nihil habet cum thynno nisi quod interdum melior est quam ille (Nicomach. ibid. p. 291b); Mercurio sacer erat, cum nomen ipsum a boando derivatum ad dei praeconium pertinere videretur ut erat veterum ludere cum vocabulorum veriloquio (cf. Eustath. p. 87). — γεμπύλους· τοὺς ἰχθῦς, τὰς πηλαμίδας; πομπίλους? Schmidt. — κας[ς]ύας· ὄρκυνος. Περγαῖοι.

Gyllius in descriptione Bospori Thracii (Lugd. 1562, III 7 p. 227) adnotat, pisces quos Plinius thunnos appellet a Strabone pelamydes vocari, 'sicut hodie piscatores eas appellant ascendentes in pontum, easdem vero descendentes ex ponto vocant Lacerdas. Sed an hae sint Thunni, an Pelamydes, separato volumine erit ostendendum'; quam notam repetit Gronovius (Plin. H. N. l. IX, 1778, p. 50. 54), perperam Strabone teste citato quod attinet ad nomen lacerdarum: frustra enim quaeras apud Strabonem eiusmodi locum. Omnino λακέρδα vox nusquam legitur nisi in scholio Oppiani codicis A ad calcem paginae adscripto, cum aliis nominibus coniuncta, quibus quasi certae thynnorum incrementi mansiones significari dicuntur: 'ἰςτέον ὅτι ὁ τζίρος σκόμβρος γίνεται, ὁ σκόμβρος κολοιός, ὁ κολοιὸς πηλαμύς, ἡ πηλαμὺς λακέρδα, ἡ λακέρδα θύννος, ὁ θύννος ὄρκυνος, ὁ ὄρκυνος κῆτος.' Hac nota non multum faciendum esse nemo negabit: rata quaedam adnotatio — qualis quidem Sostrati (ap. Ath. VII p. 303b), pelamydem vocari thynnidem, maiorem thynnum, etiam maiorem orcynum, cum ad eximium corporis incrementum pervenerit cetum — nominibus nescio unde depromptis (τζίρος[1]) — κολοιός [κολίας?] — λακέρδα[2])) ab insipido quodam homine videtur interpolata esse. Gesneri coniectura (Nomencl. p. 112), thynni fetum vocari cordylam vel scordylam, dein iam maiorem thynnidem, tertium vero annum si excedat pelamydem, quarto orcynum, quinto cetum, certis testimoniis comprobari nequit et ne vero similis quidem est. Hoc potius ex illa nominum farragine cognoscimus, veteres ipsos in thynnorum nomenclatura minime sibi constitisse et alias regiones aliis usas esse nominibus, sicut nostris quoque temporibus saepissime

1) Τζίρος, τζύρος (Ptocho-Prodr. ed. Corais, A 96), τζῆρος (ibid. B 201), τσίρος vel τσῆρος Neograecorum: praeterquam quod nominis forma infimae graecitatis barbariam prae se fert, piscis idem certe est atque κηρίς (Diphil. Siphn. ap. Ath. VIII 355c) vel κιῤῥίς (Opp. hal. I 129. III 187), cf. Hesych. s. v. κιῤῥά· ἰχθὺς ποιός; scombrum etiamnunc parvum significare illam vocem asserit Corais, Atakt. p. 73.

2) Λακέρδα vox prope quidem accedit ad lacertorum vocem, qua nonnullas coliarum species complectitur Plinius (XXXII 146. 149).

paucorum miliariorum intervallo intercedente idem piscis diverso nomine appellatur.[1]) Ac mihi quidem haec sententia maxime probanda esse videtur, cordylam, pelamydem, thynnidem, thynnum, orcynum aetatis magnitudinisque differentias generales tantum significasse, quae si quis confunderet nomina aut aetatis discrimina vix mirum esset, quoniam aliud alius esse solet iudicium: singularum vero partium appellationes in totos pisces persaepe translatas esse, ut κύβιον non modo frustum cubicum significaret sed etiam ipsum piscem unde desectum esset, id quod accideret etiam in tritomo et apolecto.

Scombrum, coliam, amiam, eiusdem Scombridarum familiae membra, omitto cum nunquam thynnis ipsis adnumerati sint a veteribus.

Mirus error irrepsit in Marquardtii doctrinam antiquitatum Romanarum (VII 2, ²1886, p. 437): qui postquam enumeravit longiorem piscium seriem — pelamydem, thynnum, sardam, coracynum s. saperdam, cestrea s. mugilem, scombrum, coliam, orcynum — omnes hos pisces thynnorum esse species adnotat secundum Koehlerum (Τάριχος p. 364. 451 n. 179); sed de multis tantum horum piscium loco citato Koehler loquitur ('beaucoup de ces poissons'), omnemque dubitationem quos thynnorum generi adscribendos esse censeat ipse aufert eo quod continuo cordylam s. auxidem, pelamydem s. thynnidem, thynnum, orcynum enumerat, quos inter se cognatos esse pisces inter omnes constat.

Certas thynnorum species ex veterum testimoniis discernere vix licebit cum parum memoriae proditum sit notarum specialium; hoc fortasse pro certo affirmari potest, pelamydum nomine non modo thynnos annotinos comprehendi a veteribus sed etiam certam quandam thynnorum speciem staturae minoris cum illis saepissime confusam: praecipue pelamydes quae in maris interni parte occidentali domicilia habent prorsus separandae esse videntur a pelamydibus Ponti Euxini; orcynus idem fortasse piscis est quem e pinnarum pectoralium longitudine thynnum alalongam hodie vocant viri docti (germon francogallice).

II.

De thynnorum natura ac proprietatibus.

Priusquam accedo ad veterum scriptorum testimonia de thynnorum historia naturali afferenda, breviter praemoneatur, hodie hoc genus piscium a viris doctis familiae Scombridarum adnumerari,

1) Recentium thynni nominum hanc subiungam seriem: γόφος vel στερεῶνι ad Aeginam vocatur, γλουπέας ad Zacynthum; thynni iuvenes a quibusdam rerum naturalium peritis et a vulgo pro peculiaribus thynni speciebus habentur, quales sunt μαϊάτικο Leucadiae, ὀρκύνος vel χόπανος in sinu Volensi, alicorti in mari Tyrrheno et Adriatico, albacore Algarvae provinciae (cf. Pavesi, Le migrazioni del tonno, 1887, p. 313).

Acanthopterorum ordinis, e serie Teleosteorum; pro imagine qua piscis nostri figura illustretur minutissimam thynni descriptionem huc addere satis habeo, quam promit Blochius Syst. Ichthyol., 1801, p. 21 sq.:

'Thynnus. Pinnis dorsalibus approximatis, prima 15 spinosa, squamis parvis, integris, rotundis, pinnulis supra 8, infra 7, pinnis pectoralibus longis .... Corpus oblongum, carnosum, argenteum, caput magnum, nudum, acuminatum, os terminale, rictus amplus, dentes acuti, parvi, conferti in maxillis et palato, lingua libera, glabra, ossa labialia lata, nares bigeminae, apertura branchialis ampla, membrana branchiostega septemradiata, squamae minimae, molles, anus caudali pinnae propinquior quam capiti, linea lateralis recta, fere media, pinnae breves, cauda angusta quadrangula.

Habitat in maribus Europam, Africam et Americam australem alluentibus, longus 3—4 rarius 10 pedes. Caro exquisita in cibo.'

Quam si comparamus descriptionem cum veterum testimoniis magnum discrimen sub oculos cadit: apud neminem scriptorum thynni forma ac figura accuratius delineatur, ne pinnae spuriae quidem, quae propriam huius piscium generis notam praebent, usquam commemorantur, immo species atque imago prompta omnibus et bene nota supponitur; permultae vero hic illic in veterum libris nobis occurrunt observationes ac narratiunculae, aperte haud raro fictae verumtamen usque repetitae, quae pertinent ad thynnorum proprietates, migrationes, capiendi eos atque apparandi rationes, ut facile inde cognoscas quantopere hoc genus piscium veterum animos in se converterit. Collatis igitur undique notis et observationibus thynni imaginem tanquam operis tessellati instar componere eiusque proprietates excutere conemur!

Thynni in alto mari degunt: quare ab Oppiano (hal. I 179 sqq.) iis piscibus adsignantur qui in immenso pelago vagentur procul a continenti neque amice oras frequentent, quales sint thynni, gladii, orcyni, premades, cybeae, coliae (cf. ibid. 366 sqq.); etiam ab Ovidio falso (hal. 94 sqq.) thynni inter pisces qui pelago gaudeant nominantur; pelamydes mare fluviis vadisque finitimum incolere docet Oppianus (hal. I 112 sqq.). Plinius (XXXII 146 sqq.) inter pisces maris peculiares vocat cybium, cordylam, orcynum, pelamydem (apolectum), sardam, thynnidem, tritomum: desideramus in hac nominum serie thynnum; in paragrapho praecedenti (145) piscibus amni ac mari communibus attribuit idem thynnos et male sibi constans thynnides; quod ut probet Gesner (H. A. IV p. 1151) ex Rondeletio de thynnis refert: 'Subeunt aliquando flumina: nam Agathopoli visi sunt qui ad pontem usque conscenderent, qui a mari aliquot passuum milibus distat', et apud eundem (p. 1159) notam e Platina Cremonensi excerptam legimus: 'Thynni nascuntur etiam in amnibus ut in Nilo Rheno et Pado'; quod an rectum sit non habeo dicere.

In grege thynni vivunt et stimulo venereo concitati ingentibus turmis suo tempore per mare migrant ad opus fetificandi. Aristoteles inter pisces qui gregatim incedunt (ἀγελαῖοι), quales quos vocant nomine communi cursores (δρομάδας[1])), thynnos, pelamydes, amias nominat (I 11), alio loco (IX 26) inter pisces gregales thynnides, pelamydes, scombros, colias refert, Mnesitheus (ap. Ath. VIII p. 357 b) thynnos, scombros, thynnides, congros; cf. Polyb. ap. Strab. I 2, 15 p. 24: θύννους ἀγεληδὸν φερομένους παρὰ τὴν Ἰταλίαν; ἀγελαῖον καὶ ἐκτοπιστικόν thynnidem vocat Aristoteles (ap. Ath. VII p. 303 d); ἀποδημητικοί pisces in Pontum migrantes appellantur apud Ioannem Damasc. (Sacr. parall. p. 525 e). — χυτοί, fusanei, quam vocem ipse Aristoteles interpretatur pisces qui gregatim reti capiantur (V 32: οἱ τῷ δικτύῳ περιεχόμενοι) inter alios dicuntur thynnus, pelamys, coliae. — ῥυάδες, fluti, 'Strömlinge' quid significent non liquet, cum Aristoteles modo uno tenore eos memoret cum thynnis (VIII 93. 94), modo secernat inter se (V 37. VIII 89)[2]); illud quidem conicere licebit, eiusmodi appellationibus nihil subesse ut ita dicam differentiae systematicae, praesertim cum non excludant inter se, sed e cetariis aut macellis petitas esse, ut quibus hodie quoque uti soleat plebecula (cf. I. Bona Meyer, Aristot. Thierk., 1855, p. 287).

Thynni secundum Aelianum (h. a. XV 3) aut solitarii natant ut sues, et quidem maximi eorum, aut bini more luporum, aut gregatim quemadmodum caprae in latis pastionibus pascuntur (ὥσπερ οὖν τὰ αἰπόλια, πλατείας νομὰς νενεμημένοι, cf. Hom. B 474). Magna celeritate undas percurrunt (cf. Opp. hal. I 181 sq.: θύνοντες, ἐν ἰχθύσιν ἔξοχοι ὁρμήν, κραιπνότατοι; urentes Auson. ep. XIV 61 P.), unde nomen ipsum traxisse videntur.

Quod attinet ad magnitudinem thynnorum quae ad ingens corporum incrementum augetur, praeterquam quod eiusmodi notae nimis universe ut solet apud veteres dicuntur[3]) aut comparative ita ut thynnus ad alium quemlibet piscem referatur[4]), certa magnitudinis

1) δρομάδας pro certa quadam piscium specie perperam habet Barthélemy-St. Hilaire (Hist. des anim. d'Arist. I p. 15 n.: il serait difficile d'identifier cet animal), cum nihil aliud illa vox significet nisi quod genus lingua vernacula vocamus 'Zugfisch' (cf. Aristot. VI 101).

2) Male vocabulum interpretatus est Ael. h. a. IX 46: 'ῥυάδες ὄνομα θαλαττίου ζῴου' κτλ.; potius comparandus est Ioann. Damasc. (l. c.): 'κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀνόδου ὥσπερ τι ῥεῦμα τοὺς ἰχθῦς ἡνωμένους καὶ διὰ τῆς Προποντίδος ἐπὶ τὸν Εὔξεινον ῥέοντας.'

3) θύννον μέγαν Menand. ap. Ath. VII p. 303 c; θύννων ζαμενὲς γένος Opp. hal. I 367; ὑπέροπλος ὀρκύνων γενεή ibid. 182; πηλαμύδες ἀμενηναί ibid. IV 544; ἀφαυραί ibid. 563.

4) scombri debiliores thynnis Aristot. VIII 79; chelidones et mormyri maiores sunt coliis et scombris, minores thynnidibus Epich. ap. Ath. VII p. 321 a; magnitudine cedit maximus aulopias maximis thynnis Ael. h. a. XIII 17; antacaei in sinu Istri ad maximi thynni magnitudinem accedunt ibid. XIV 26; amiis minus est corpus quam thynnis Opp. hal. II 556; cordyla maior tenui lacerto Mart. XI 52.

indicatio reperitur apud Aristotelem (VIII 176): 'ἤδη δ' ἐλήφθη γέρων θύννος οὗ σταθμὸς μὲν ἦν τάλαντα πεντεκαίδεκα, τοῦ δ' οὐραίου τὸ διάστημα δύο — haec cod. Med. C[a] scriptura certe recipienda est, πέντε vulg. — πήχεων ἦν καὶ σπιθαμῆς'; hoc loco διάστημα τοῦ οὐραίου in hunc modum intellexerit quispiam, ut totius piscis a capite usque ad caudam longitudinem computari putet; verum si considerarit, insolitae magnitudinis exemplum ab Aristotele afferri, ne πέντε quidem lectionis vulgatae cubita in hunc calculum quadrare facile intelleget, quippe quae mensurae nostrae 2, 5 metr. respondeant: sed quid mirum in pisce qui 2 ad 3 rarius 4 ad 5 metr. longitudinem assequitur? (cf. Benecke in Hdb. d. Fischz. u. Fischerei, ed. M. v. d. Borne, 1886, p. 83.) Optime vero res se habet si caudae latitudinem illic indicari existimamus, id quod verba ipsa commendant (cf. Plin. IX 44, qui locum sic vertit: 'invenimus talenta quindecim pependisse vetustum' — pro eiusdem correxit Birt (l. c. p. 146), cf. γέρων — 'caudae latitudinem duo [quinque Hard. ex Arist.] cubita et palmum'): cum enim caudae latitudo ter et dimidio circiter aut quater contineatur in toto thynni corpore, longitudo efficitur 4 aut 4.6 metr., quae bene quadrat in mensuras modo allatas. Eo minus quidem cum hac ratione quindecim talentum pondus convenit; quod aegre 8 centenaria ponderis recentioris assequitur, cum cete tam immania 10—18 centen. pondus habeant; sane quidem aestimationes minime sibi constant et eadem mensura diversis temporibus aut diversis locis diversa ratione certe constituta est.[1]) Thynni vel maximum quem attulimus modum multo excedentis mentionem facit Richter (Ichthyotheol. II p. 376), anno 1565 ad Gedanum capti, 32 pedes longi, 16 pedes crassi, cuius in cute tota classis navalis depicta sit: sed quidem pro balaena potius procellis ac fluctibus in illas oras delata illum cetum habendum esse putabimus. (cf. Bloch, Naturg. d. F. p. 97[b].)

Quodsi tam ingentis incrementi exempla Aristotelem non fugerunt, eo gravius offendit id quod legimus apud eundem VI 105: 'ζῶσι δ' ἔτη δύο' (vita longissima his bienni Plin. IX 53); nec possum non confiteri, non liquere mihi argumentationem qua utuntur piscatores secundum philosophum, cum tam exiguum vitae tempus thynnis adscribunt: 'cum aliquando defecissent thynnides, thynni quoque sequenti anno defecerunt; videntur enim esse thynni pelamydibus uno anno grandiores'. Hanc notam antecedit altera qua docemur, thynnos prae pinguedine dehiscere (cf. Plin. ibid.): utramque, praesertim cum ipsum textus tenorem male intercidant, uncinis includunt Aubert et

---

1) Quod ad talentum attinet exempli gratia afferam Hesych. s. v. τάλαντον (52)· λίτραι ἑκατὸν εἴκοσι πέντε κατὰ τὸν μέγαν Ἐπιφάνιον, et ibid. (59): τάλαντον· σταθμός, ζυγός. ὁλμὴ λιτρῶν ἑκατόν, ἢ ἑκατὸν εἰκοσιπέντε, ἢ ἑκατὸν ἑξηκονταπέντε. ἢ τετρακόσια. ἢ χίλια ἑκατὸν πεντηκονταδύο. Ceterum cf. Hultsch, Metrol.

Wimmer (ed. II p. 61 s.), verba διαῤῥήγνυνται usque ad πηλαμύδων pro glossemate marginali rati ad διαῤῥήγνυνται paululum praecedens, ubi adnotatur, acus marinas persaepe ante partum disrumpi. — Ceterum addere liceat, etiam apud Blochium (l. c. p. 98) thynnos commemorari, quorum cutis prae obesitate rupta striis notata fuerit.

Squamis inducti sunt perexiguis ac facillime deciduis, ut levia videantur esse corpora, unde λεῖοι ab Aristotele appellantur una cum congris et anguillis (II 57); Artemidorus (Onirocr. II 14 p. 104) inter eos pisces nominat, qui squamatis similes nec tamen squamis praediti sunt — thynnus, premas, pelamys, simus, sphyraena, colias alii —, quorum visus per somnium obiectus sperata irrita fore portendat. Mnesitheus (ap. Ath. VIII 357b) thynnos, scombros, thynnides, congros piscibus squamatis adserit, quare ἀλεπιδώτων pro λεπιδωτῶν (γένος) scribendum esse coniecit Huetius, cum una cum congris memorentur, collato loco Aristotelico; sed praestat fortasse λεπιδωτῶν vocem ex λειῶν per dittographiam profectam putare. .

Color thynni niger est vel potius e caeruleo nigricans (cf. Artedi Ichthyol., 1792, III p. 210; Risso, Ichthyol. de Nice, 1810, p. 163: 'la partie supérieure réfléchit une belle nuance d'acier poli, l'inférieure brille de l'éclat de l'argent'): μέλαν θύννων ζαμενὲς γένος Opp. hal. I 367; ἐγὼ γάρ εἰμι θυννὶς ἡ μέλαινά σοι καὶ θύννος e coniectura Kaibelii pro θυννὶς ἢ μελαινὰς ἢ κ. θ., fr. Cratin. (ap. Ath. VII 303d); in tabula Philostrati quae thynnorum capturam repraesentat (icon. XIII p. 390) thynni superiores plane nigri videntur, inferiores colore magis magisque pallescenti picti sunt, prout oculorum acies in aquam altius penetrans hebetatur. Imae corporis partes albescunt: θύννων τε λευκὰ Σικελικῶν ὑπήτρια [λευκῶν A: corr. Kaibel] Theopomp. ap. Ath. IX p. 399d; cf. Aristot. IV 116, ubi narratur, thynnos nonnunquam capi quiescentes καὶ τὰ λευκὰ ὑποφαίνοντας, id quod ineptissime Gaza eumque secuti alii intellexerunt de albidis oculorum! Ne habent quidem oculi albuginem: immo vero thynnorum oculi nigri sunt iride argentea limbo aureo terminata (Artedi Ichthyol. III p. 210), palpebris vitreis atque immobilibus tecti ante pupillam orbis instar perforatis (Benecke in Hdb. d. F. ed. M. v. d. Borne, p. 83).

Dextro oculo thynnos acrius cernere quam sinistro vulgatissima apud veteres erat sententia: 'thynnos Pontum intrantes atque inde redeuntes dextrum littus semper legere antiquissimis temporibus ante Aeschylum poetam observatum fuit; unde quidam, quorum auctoritate tamen non confidere Aristoteles videtur, arguebant thynnum sinistro oculo debilem esse. Quam quidem opinionem vanam esse etsi piscis inspectio diligens docere poterat veterem famam sequi Plutarchus et Aelianus maluerunt' (Schneider ad Ael. IX 42). Sed ne recte quidem res se habet: nam postquam Pontum intraverunt partumque circa Maeotidem ediderunt, eodem quo profecti sunt itinere maxima ex parte revertuntur, ut sinistrorsum exeant: quam

migrationis rationem unus refert Strabo (XII 3, 19 p. 549) de agminibus cordylae et thynnae et pelamydis, cum illa narratiuncula piscatoria iterum atque iterum repetatur apud scriptores et graecos et latinos (Aristot. VIII 92, Plut. soll. an. XXIX p. 979, Ath. VII p. 301e. 303c, Ael. h. a. IX 42, schol. Opp. IV 504. 525, Eustath. p. 994; Plin. IX 50, Solin. p. 90, 5, Isid. origg. XII 6, 14), ac plerumque quidem citato versu Aeschyleo (fr. 301 N):

Τὸ σκαιὸν ὄμμα παραβαλὼν θύννου δίκην,

quo poeta allusit ad Preces oculos detorquentes (στραβάς) teste Eustathio (l. c.); cuius loci immemor Droysen fabulae cuidam Aeschyli satyricae vindicare versum conatus est ad Herculem deridendum avide oculos invertentem ad porcellum qui in veru assetur (cf. Droysen, Aischylos, [4]1884, p. 432 sq.). Eodem sensu ad thynnum fortasse referendum est Sophronis fragmentum ex Thynnorum venatore excerptum 'λοξῶν τὰς λογάδας'[1]) h. e. oculos detorquens, quod legimus Etym. M. s. v. λογάδες cum nota: Σώφρων ἐν Θυννοθήραις (sic). Utrumque oculum thynnorum alioquin obtusum esse, id quod addit Aristoteles (φύσει οὐκ ὀξὺ βλέποντες, utroque natura hebeti Plin. l. c.) pro spurio additamento uncinis includunt Aubert-Wimmer (ed. II p. 159) neque iniuria; Birt (de hal. p. 149), cui haec satis mire adiecta esse videntur, restituere vult φύσει οὐδετέρῳ ὀξὺ βλέποντες, sed non intellego quo successu. — Hieme pelamydum lumen oculorum hebetari docet Oppianus (IV 525); χαροπήν pelamydem vocat Marcellus Sideta (v. 63).

Thynnum marem a thynno femina eo discrepare legimus apud Aristotelem (V 32), quod haec habeat sub ventre pinnulam, qua ille careat (cf. Plin. IX 47); ἀφαρέα huius pinnulae ventralis nomen exhibent codices apud Aristotelem (cf. Hesych. s. v. ἀφαρεύς· τοῦ θήλεος θύννου τὸ ὑπὸ τῇ γαστρὶ πτερύγιον), ἀθέρα apud Athenaeum (VII p. 303c. d), qui illum exscripsit; quid hoc loco senserit philosophus non liquet, cum nihil tale a recentioribus observatum sit (cf. Schneider ad Art. Syn. pisc. p. 54): sane mireris pinnulam istam commemorari, pinnas spurias non commemorari, quibus tamen thynni scombrique luculentissime differunt ab aliis piscibus; totam clausulam pro insiticia uncinis includunt Aubert-Wimmer.

Thynni ac pelamydes in Ponto Euxino fetificant neque alibi usquam (Aristot. V 36 = Ath. VII p. 319a, Plin. IX 47, Solin. p. 90, 5) et quidem circa Maeotidem paludem atque in hac ipsa (Strab. VII 6, 2 p. 320, Xenocr. IV 34 ξε', Opp. IV 506 sqq.); nec defuerunt qui ipsum Maeotidis nomen derivarent ab illo officio tanquam obstetricio (cf. Ps.-Hipparch. in Anall. Eratosth. ed. Maass, 1883,

1) cf. Poll. onom. II 70 λογάδες; Paul. Silent. Anthol. V 270.
Ἰνδῴη δ' ὑάκινθος ἔχει χάριν αἴθοπος αἴγλης,
ἀλλὰ τεῶν λογάδων πολλὸν ἀφαυροτέρην.

p. 147: ἐν ᾗ πᾶς ἰχθὺς ἀπομαιοῦται, ὅθεν καὶ Μαιῶτις ὠνομάσθη; schol. Opp. IV 506: Μαιῶτις, ἡ μαιεύουσα ἢ τρέφουσα τοὺς ἰχθύας). Propterea illa loca piscium agmina petunt, quod amnium aquosorum copia in Pontum ac Maeotidem influentium aqua dulcior facta[1]) aptissima est ad parvulum partum nutriendum: quin etiam pecora — si quidem fides habenda est auctori Peripl. Pont. Eux. (c. X) — Ponti accolae ad mare deducere solebant ut inde potarent non sine aliquo emolumento; accedit quod limosae illae maris partes largum ac praeclarum pabulum suppeditant et quod carent beluis grandioribus, cum praeter phocaenam et delphinum nulla sit in Ponto et quidem delphinus ipse pusillus (Aristot. VIII 90 sq., Ael. h. a. IV 9, Philostr. imagg. XIII p. 390).

Coeunt thynni scombrique circa finem Elaphebolionis h. e. post Id. Mart.[2]) (Aristot. VI 105) post latitationem hibernam (Theophr. ap. Ath. VII p. 301 e), pariunt circa initium Hecatombaeonis h. e. Iunio exeunte (Aristot. l. c., V 37 = Ath. VII p. 303 d); partum edunt tanquam in folliculo (οἷον ἐν θυλάκῳ, θυλακοειδές), in quo insunt multa et minuta ova. Thynnis semel parit, sed quod praemature partem ovorum edit, partem serius, bis parere videtur; et prima quidem suboles circa Posideonem mensem editur ante brumam, posterior vere (Aristot. V 33). Difficultas quae inter utrumque Aristotelis locum intercedit aliqua ex parte eo fortasse potest expediri, quod a piscatoribus sine dubio observatum erat, id quod comprobatur experientia officinarum, in quibus hodie ova piscium arte excluduntur, coeundi ac fetificandi tempus admodum pendere ex aëris aquaeque tepore: quo mitior coeli tempestas, eo maturius pisces et coeunt et pariunt eoque celerius recens suboles augescit; velut ova Clupeae harengi, cuius greges diversissimis anni temporibus in singulis oris fetificant, eodem successu prospero maturescunt sub qualibet teporis condicione quae scalae centenariae gradibus indicantur a dimidio usque ad sextum decimum, sed aut 40—50 diebus opus est aut 6—8 ad pisciculos ex ovis excludendos (cf. M. v. d. Borne, Hdb. d. Fischz. p. 50). Quare ne eodem quidem loco tempus quo genus aliquod piscium fetificat certis anni mensibus hebdomadibusve coërcere licet ac multo praestat ad certas quasdam rerum naturae vicissitudines feturam referre, velut cum glacies solvitur aut cum arbores

1) cf. Polyb. IV 42: ὅσῳ γάρ ἐστι νῦν ἡ Μαιῶτις γλυκυτέρα τῆς Ποντικῆς θαλάττης τοσούτῳ θεωρεῖται διαφέρουσα προφανῶς ἡ Ποντικὴ τῆς καθ' ἡμᾶς.

2) In mensibus veterum ad nostram anni divisionem referendis et in certis temporibus astronomicis constituendis tabellas secutus sum quas promunt Aubert et Wimmer in editione Aristot. hist. anim. I p. 187 sq., secundum Idelerum (Hist. Unters. über d. astron. Beobb. d. A., 1806, et Handb. d. Chronol. I) et Hartwigium (Ueber d. Berechng. d. Auf- und Unterg. d. Sterne, 1862), qui siderum ortus et occasus heliacos revocavit ad annum 430 a. Chr. n. et ad horizontem Athenarum.

fruticesque gemmant. Accedit quod opus fetificandi per complures hebdomades permanet, cum iuniores piscium alio tempore pariant atque aetate superiores et plurima genera non semel edant totum fetum sed partim tempestivum partim cordum minoribus maioribusve deinceps portionibus (ibid. p. 43). Dubitari nequit quin thynnus non nisi fetificandi causa ad litora accedat; cum advenit feminarum ova parum quidem adulta sunt, sed celerrime incrementum capiunt: thynnarum Aprili mense captarum ovarium 15 circiter uncias pendit, earum quae Maio in retia incidunt plus 6 kilogr.; complura centena milia quaeque continet ovorum (cf. Brehm, Thierl., VIII p. 96), non tamen maiora papaveris seminibus (cf. Bloch, Naturg. d. F., p. 98). Etiam proles celerrime adolescit: Iulio mense pisciculi ex ovis prodeunt, post aliquot dies pondus habent unciae unius semis, Augusto mense iam 4, Octobri 30 unciarum pondus adepti sunt (cf. Brehm, l. c.). Quae res non ignota erat Aristoteli, qui haec fere adnotat (V 106): thynnidum incrementum celerrimum est; cum enim pariant pisces in Ponto, ex ovis nascuntur quas vulgo vocant scordylas, Byzantii auxides, quoniam paucis diebus adolescunt; auctumno e Ponto exeunt cum thynnis, vere iam factae pelamydes illuc redeunt.

Thynni carne vescuntur (Aristot. VIII 28) et ne abstinent quidem a suo ipsorum partu; quare Oppianus (I 756 sqq.) nullum thynna iniustiorem piscem nec malevolentia provectiorem in mari habitare existimat eamque 'νηλής' (ibid. 760) et 'βαρύφρων' (IV 505) epithetis notat; sed iniuria thynnae soli illam crudelitatem vitio vertit, cum omnes pisces quidquid partus sui apprehendunt devorent praesertim carnivori (cf. Aristot. VIII 28; — Lenz, Zool. d. a. Gr. u. R., p. 503, Brehm p. 13 sq.). Nonnunquam thynni etiam fuco vescuntur (Aristot. VIII 33). Ad Carteiam teste Strabone (III 2, 7 p. 145) thynni nutriuntur glande querna, quae in mari nascitur, humilis plane sed praegrandem fructum generans; haec arbor etiam in terra per Hispaniam frequens nascitur, magna radice sicut quercus perfectae sed stirpe inferiore quam quercus humilis; tantam fructus copiam gignit, ut litus maris infra et extra Columnas oppleatur. Polybius tradit hanc glandem in Latium usque eici, nisi forte, inquit, etiam Sardinia eam procreat et vicina huic loca; thynni vero quanto magis ad Columnas accedunt, tanto fiunt macriores nutrimento deficiente. Quare tanquam suem marinum esse hoc animal: glande enim delectari eaque eximie pinguescere, et quando glandium copia nascatur, multos etiam nasci thynnos (cf. Athen. VII p. 302 c. d, Eustath. p. 994). Hoc thynnorum nutrimentum non tamen generari ab arbore quadam, qualem quidem similiter depingit Theophrastus (hist. plant. IV 8, 8), sed esse Fucum vesiculosum quem vocant hodie, docuit E. Meyer, Botan. Erläutt. z. Strab. Geogr., p. 3 sqq. — Nec minus purpuram sectatur thynnus prope terram ab extero mari usque ad Siciliam (Strab. V 2, 8 p. 225). Coracinus thynnum ducit (Opp. III 184), orcynus asello delectatur

(ibid. 191), qua de causa piscatores pro esca hos pisces hamo affigebant.

Ad Pharnaciam delphini dum avidissime piscium greges sectantur, cordylae potissimum ac thynnae et pelamydis, praeda pinguescunt ac facile capiuntur, cum petulantius ad litus accedant (Strab. XII 3, 19 p. 549): neque incredibile est, thynnum fugatum et delphinum persequentem rapidissimo impetu vectos una in litore interdum quassari, ut est in fabula Aesopea 167 H. In freto Siculo cum praeter Italiam gregatim feruntur, postquam in ipsum euripum inciderunt et Siciliam attingere prohibentur, a maioribus beluis thynni intercipiuntur, delphinis, canibus, aliis cetorum similibus; qua ex venatione saginantur galeotae, quos etiam xiphiae[1]) et canes dici aiunt: Polybius (ap. Strab. I 2, 15 p. 24), cui hanc notam debemus, fabulam Scyllae Homericam inde exortam esse suspicatur citatis versibus μ 95 sqq. Ad Taprobanen insulam thynnis balaenae insidiantur (Ael. h. a. XVI 18); etiam callichthys thynnum sectatur (Opp. III 191).

Nec minus aves rapaces thynnis insidiari inde colligimus, quod in numis Sinopes, Olbiae, Istri aquila cernitur, haliaeetos qui vocatur, thynnum divellens (vide infra!); etiam in asse Romano aquila conspicitur thynno insistens (Garucci, Syll. inscr. lat. p. 53). Non hostile quid agentes sed emolumenti causa cepphi aves maxime comitantur thynnos, quod aluntur caruneulis quae ab iis pisciculis quos illi dentibus discerpunt in aquis relinquuntur (Opp. ixeut. II 10).

Thynni validum piscium genus sunt, sed post primum impetum deficiunt viribus sanguine torpescente ac remissi celerrime inferiores exsistunt hoste alacriter adversante; quare aulopias, quamquam maximus maximis thynnis magnitudine cedit, vi ac robore fortasse superior evadat e certamine, quoniam aulopias multo magis perseverat (Ael. h. a. XIII 17). Omnino facillime metu territantur (cf. Ovid. hal. 98: pavidi thynni); quae thynnorum timiditas e nonnullis observationibus narratiunculisque a veteribus deducitur et a recentioribus comprobatur: in euripo Bospori Thracii iuxta Chalcedonem saxo miri candoris adeo terrentur, ut praecipite agmine adversum Byzantii promuntorium petant (Plin. IX 50); in Cypro insula ferunt tumulo reguli Hermiae iuxta cetarias marmoreo leoni fuisse inditos oculos e zmaragdis ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi thynni refugerent, diu mirantibus novitatem piscatoribus, donec mutavere oculis gemmas (Plin. XXXVII 66); pelamydes metum habent tene-

---

1) Gladium piscem thynno infestissimum esse saepius antea creditum est, non tamen recentioribus comprobari videtur observationibus: secundum Brehmium (p. 96. 119) et maiores et minores a carchariis et delphinis venando atque insidiando infestantur, cum gladio amice vivere videntur, ideoque saepius coniuncti iter faciunt. — Thynni nutriuntur praecipue sprattis, sardellis, aliis id genus pisciculis, praeter consuetudinem scombris et piscibus volantibus, interdum conchis (p. 96).

bricosum (φόβον ὀρφναῖον), ut docet Oppianus (IV 563 sqq.), ac si quid in mare inciderit, contremiscunt, ideoque sub crepusculum remorum contorumque strepitu in retia compelluntur. Hodie quoque piscatores inanibus terriculis utuntur ad thynnos capiendos, velut manipulis arenae, quibus thynnos in retia disposita impellant (cf. Brehm, p. 99); Richter (Ichthyotheol. p. 464) thynnos tonitribus adeo territari ait, ut tanquam de industria in retia ac manus piscatorum sese praecipitent: sed quid mirum? male pius addit, 'wenn Gott redet, wer sollte sich nicht fürchten, und wenn der Herr schilt, wer sollte sich nicht entsetzen?' Thynnos ab oris Francogalliae australis tormentorum bellicorum fragore depulsos esse refert Millin (Voyage dans les dép. du Midi, 1807, p. 472).

At iidem teste Plinio (IX 51) navigia velis euntia comitantes mira quadam dulcedine per aliquot horarum spatia et passuum milia a gubernaculis spectantur ne tridente quidem in eos saepius iacto territi, unde a quibusdam pompili vocantur; in Indico mari, ut narrat idem (IX 4), Magni Alexandri classis tanta thynnorum multitudine obruta est, ut 'haud alio modo quam hostium acie obvia contrarium agmen adversa fronte direxerit: aliter sarisis non erat evadere, non voce non sonitu non ictus fragore terrentur, nec nisi ruina turbantur'. Hanc militum Macedonum sub Clearcho profectorum narratiunculam in thynnos peculiariter transtulit Plinius, quo iure aut quo auctore usus nescio; eandem de cetis generatim narrant Diodorus Siculus (XVII 6 p. 243 sq.) et Arrianus (Ind. XXX 1 sqq.), de physeteribus Strabo (XV 12 p. 726): qui tamen auctores facile beluas fugatas esse tradunt, tubarum sonitu et plausu exaudito; Strabo addit, etiam eos qui ipsius temporibus in Indiam navigarint beluarum vastitatem earumque apparitiones affirmare, sed neque confertim neque crebro sese offerre et discedere clamore ac tubis repulsas.

Instinctu tam insigni thynni praediti sunt, ut sagacissime anni tempora noverint neque ad aequinoctia solstitiaque percipienda indigeant canonum astronomicorum (Plut. soll. an. XXIX p. 979, Ael. h. a. IX 42); praeter hanc scientiam mathematicam Plutarchus (l. c.) iisdem attribuit optices quandam notitiam, cum in dextro oculo quo acrius cernant in migrationibus corporum tutelam ponant, nec minus artem arithmeticam qua utantur in agminibus ad cubicam rationem instituendis. Minus benevole de thynnorum indole atque ingenio iudicat Lucianus (Iov. trag. c. 25), qui Iovem Neptuno commentum thynnos redolens ac nimis pingue exprobrantem facit — θυννῶδες τὸ ἐνθύμημα, 'stockfischartig' apte vertas —: 'Ergo melius vos aliud excogitate', inquit Neptunus, 'si mea adeo ad thynnos a vobis relegantur' (εἰ τἀμὰ οὕτως ὑμῖν ἀποτεθύννισται). Ac sane quidem thynni admodum stulti sunt 'wie alles Heerdenvieh' (W. E. Weber ad Hor. sat. II 5, 44 p. 412).

Calore thynni laetantur prae ceteris piscibus omnibus ac propterea arenam litoralem petunt et in summo aequore innatant, ut

tepore potiantur (Aristot. VIII 128 = Ath. VII p. 301 e); Aelianus quidem (h. a. XV 3) thynnorum agmina quae Caniculae exortu in Pontum festinant idcirco constipata et tanquam contexta natare putat, ut fluctibus solis ardore calescentibus umbra quodam mcdo perfruantur corporum coniunctione.

Interdiu rhyades vagari solent, noctu quiescere ac pabula quaerere, cum vero luna splendeat proficisci neque quiescere (Aristot. VIII 93); rhyadum vox ut hoc loco etiam ad thynnos referatur ipsa lectio continua poscere videtur et nescio quo pacto admonemur responsi, quod Pisistrato dedit Amphilytus hariolus (Her. I 62):

θῦνοι δ' οἱμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός.

Somno thynnos indulgere inde concludit Aristoteles (IV 116), quod thynnorum piscatores saepe dormientes eos circumdent retibus, id quod ex eo appareat, quod quiescentes et ima corporis albentia pandentes ('τὰ λευκὰ ὑποφαίνοντας') capiantur: noctu potius quam interdiu dormire ita sopitos, ut ne iactu quidem retium[1]) moveantur. Similiter Plutarchus (soll. an. l. c.) delphinum itemque thynnum cum indigeant somni in summo aequore sublime ferri resupinos adnotat ac leni flumine vectos ad litus appellere, tum experrectos altum repetere ideoque requiete non sine aliqua motione perfrui. Plerumque vel ad terram vel ad arenam vel ad lapidem in fundo pisces procumbunt aut sub saxo aut litore abditi (Aristot. l. c.), quam observationem ad genus universum piscium pertinentem de thynnis solis refert Plinius (X 210): 'de thynnis confidentius affirmatur [eos dormire], iuxta ripas enim aut petras dormiunt' (cf. Schneider ad Artedi Synon. pisc. p. 56); idcirco apud Marcellum Sidetam (v. 70) thynnus appellatur φιλοσκόπελος.

Hieme thynni non vagantur sed ubicunque bruma deprehensi sunt ibi hibernant usque ad aequinoctium (Aristot. VIII 93, sed quidem generatim de rhyadibus; Plut. soll. an. XXIX p. 979, Ael. h. a. IX 42; — Plin. IX 51 de cuius errore cf. Birt de halieut. p. 150); abdunt sese in imos gurgites maris ibique latent. Interdum per hoc tempus capiuntur locorum tepore aut tempestatis serenitate insolita excitati: prodeunt enim paullulum e latibulis ad pastum, itemque pleniluniis; inter latitationem plerique pisces suavissimi sunt (Aristot. VIII 101 sq., Plin. IX 53). Primades in coeno latent, id quod inde apparet, quod tunc non capiuntur tergoque admodum limoso et pinnis impressis cernuntur; et quidem abscondunt sese pisces aut in arenam aut in coenum, ut os tantum promineat (Aristot. VIII 103 sq.). Pelamydes ab ipso in luto latendo nomen traxisse iam

1) 'ὥστε βαλλόντων μὴ κινεῖσθαι': quod ut de fuscinae iactu intellegendum sit haud facile tibi persuadeas; περιβάλλονται paululum praecedens nos docet agi de retium iactu: quare δίκτυα supplendum est (cf. Aubert-Wimmer, ed. I p. 439).

supra commemoravi. Ab iisdem piscium cubilibus (θαλάμαις) in Matronis comici parodia (ap. Ath. IV 135e, v. 53) thynnus θαλαμηιάδης vocatur, tanquam cubilis filius, quo nomine patronymico ad Homericum Τελαμωνιάδης luculenter alluditur. Post latitationem, φωλείαν quam vocant Graeci, thynnus coit (Theophr. ap. Ath. VII p. 301e): idem de primadibus adnotat Aristoteles (VIII 103), de pelamydibus Oppianus (IV 526 sqq.). Et quidem latet thynnus quamquam sanguinosus est (Ath. ibid.).

Addere liceat, thynni sanguinem esse colore rubro: quare apud Martialem (IV 88, 5 sq.) 'Antipolitani de sanguine thynni testa rubet'; quocum conferas Manil. Astron. V 667, ubi thynnorum caedes depingitur: 'Inficiturque suo permixtus sanguine pontus.'[1])

Sub ortum Caniculae thynni et xiphiae asilo seu oestro misere vexantur, qui pinnis vel capiti insidet, magnitudine araneae — μέγεθος δ' ἡλίκον δραχμῆς Eustath. p. 1928 videlicet corrigendum est ἀράχνης —, scorpioni ceterum simili; qui tanto eos infestat dolore, ut xiphias interdum e mari exsiliat non inferiore saltu quam delphinus et in navigia saepe incidat, id quod de thynno quoque adnotant Plinius et Eustathius (Aristot. V 142, VIII 128, Opp. II 506 sqq., Athen. VII p. 301e. 302b. c, Eustath. l. c.; Plin. IX 54): ceterum thynnus in quibusdam Germaniae regionibus hodie 'Springer' vocatur (Sanders, Wb. d. dtsch. Spr. II, 2 s. v.). Ille oestrus sive asilus secundum Lenzium (Zool. d. a. Gr. u. R., p. 487) Lernaea filosa est (Pennella filosa Okenii); Bracchiellam Thynni, cancrum parasiticum thynni, in gemma antiqua insculptam (Imhoof-Blumer et O. Keller, Tier- u. Pflanzenbb. tab. XXIV 35, cf. ibid. praef. p. VIII) vir doctus quidam agnovisse sibi visus est; sed potius Palinurus e Langustarum familia neglegentius effictus sub isto sigillo latet (ibid. p. 147). — Post exortum Arcturi — die 15—19 Septembris — thynnus ab oestro agitari desinit ideoque ad priorem carnis bonitatem redit, cum deterior sit aestate (Aristot. VIII 88, = Athen. VII p. 301e). Etiam primades oestro vexantur quo tempore fetus iam adolevit intus, ac plurimi tunc capiuntur (Aristot. VIII 103).

---

1) Obiter rem maxime memorabilem quod attinet ad artem physiologicam huc addere libet, thynni sanguinem — atque omnino Scombridarum — nonnullis gradibus thermometricis calidiorem esse quam ceterorum piscium, id quod efficitur perpetuo corporis motu atque continua musculorum intentione, unde respiratio haud mediocriter acceleratur; musculi plus continent venarum ac nervorum quam piscium aliorum et propius accedunt ad musculos avium vel mammalium (cf. Davy, On the temperature of some Fishes of the genus Thynnus in Edinb. New Philos. Journ. XIX (1835) p. 325 sqq.; Günther, Handb. d. Ichth. p. 91. 323).

III.

De thynnorum migrationibus et de locis eorum captura insignibus.

In cognoscendis thynnorum migrationibus initio ea respicere neglegam, quae accuratis virorum doctorum investigationibus nuperrime institutis hodie de ea re comperta habemus; immo veterum sententiam sequar etiamnunc multis rerum naturalium peritis probatam, quae se dat in hunc fere modum: Thynnorum greges, genus ab Oceano late effuso oriundum, nuptiarum appetentes vere in mare internum proficiscuntur (Opp. hal. III 620 sqq.), et litora legentes Iberiae, Galliae, Italiae, Sardiniae, Siciliae deinceps capiuntur ab orarum accolis; inde per immensa profunda disperguntur totumque mare implent (629 sq.). Maxima catervarum pars per Propontidem et Bosporum in Pontum Euxinum migrat fetificandi causa, unde partu edito redeunt praeter oras Asiae et Africae (cf. Smyth, The Mediterranean, 1854, p. 197; Böttger, Mittelmeer, 1859, p. 223). Eadem via progrediamur in enumerandis regionibus ac locis hac captura insignibus, thynnorumque ut ita dicam vestigia gradatim usque persequamur.

Hispaniae ora maritima et copia et bonitate thynnorum valde excellebat, quamquam Plinius (IX 49) his regionibus eos abrogare videtur, cum dicat: 'Hispaniae cetarias hi [sc. scombri] replent thynnis non commeantibus', ad quem locum adnotat Gesner (H. A. IV p. 1159): 'sed quaerendum an Plinius potius senserit de tempore quo non commeant thynni'. Ordiamur a Carteia urbe in Baetica provincia sita, cum dubium sit num piscem, quem ostendunt numi Osonobae, Lusitaniae oppiduli, thynnum interpretari liceat (cf. Mionnet, Descr. de méd. ant. I p. 3). Ad Carteiam secundum Polybii testimonium quod supra attulimus thynnus commeabat pinguis atque crassus, qui glandium quernarum pastu saginabatur. Praeter ceteras urbes hoc piscatu Gades insignes erant, 'quas oestro citati cursu petunt thynni' (Theodoridas ap. Ath. VII p. 302c); ac potissimum quidem orcyni magnitudine atque obesitate eminebant, ad quos certe respicit Scymni Chii v. 161: 'Γάδειρ', ὅπου μέγιστα γίνεσθαι λόγος κήτη': cervices eorum separatim sicut etiam antacaeorum maxillae ac palata, et melandryae quos vocabant ibi saliebantur (Athen. VII p. 315). Ex eodem pisce frusta triquetra sale conficiebantur (ὀρκύνοιο τρίγωνα), quae urceis condita inde exportabant mercatores Bruttii vel Campani vel Tarentini (Ps.-Hesiod. ap. Ath. III p. 116b): velut Puteolis (ἐν Δικαιαρχίᾳ τῇ Ἰταλικῇ) domus ad mare sita commemoratur, ubi mercatorum ex Iberia merces salsamentaque (Ἰβηρικὸς φόρτος καὶ ταρίχη) in magnis vasis deposita erant (Ael. h. a. XIII 6). Laudatissima enim erant salsamenta Gaditana (Hippocr. int. aff. p. 238 τάριχος Γαδειρικόν, Poll. onom. VI 63 Γαδειρικὰ ταρίχη, Hesych.

s. v.), praesertim post tempora belli Peloponnesiaci, atque copiosissime exportabantur (cf. Blümner, Gewerbl. Thätigk. d. V. d. kl. A. p. 135): haec potissimum intellegenda sunt salsamenta Iberica apud Lucianum (Navig. c. 23 τάριχος ἐξ Ἰβηρίας). Non minus excellebant praestantia pelamydes inde (ἐκ τῆς Ἰβηρίας) evectae, quippe quae proximum in veterum aestimatione locum obtinerent a pelamydibus Sardois omnium probatissimis (Galen. alim. aqu. p. 347). Numos Gaditanos thynnorum typo insignes affert Gesenius (Script. Phoen. mon. p. 305 sqq., III tab. 40; cf. Mionnet p. 12 n. 77, p. 13 n. 83 sqq.; Sestini, Descr. num. vet. p. 1). — Mellariae cetarias memorat Strabo (III 1, 8 p. 140), idem in Βελών urbe emporia et cetarias (ibid.), Malacae cetarias magnas (III 4, 2 p. 156): quamquam ταριχεῖαι generatim tantummodo his locis a Strabone enumerantur, tamen si animo perpenderimus ex thynnis potissimum salsamenta a veteribus confecta esse, non est cur dubitemus oppidis modo allatis thynnorum piscatum vindicare, praesertim cum thynnum ad illas oras commeare aliunde sciamus. — Sexti[1]) maxime insignes erant salsamentorum praestantia, unde Saxitana cognomine dicerentur: quae quamquam maxima ex parte e scombris confecta esse videntur, tamen numorum copia thynnorum typo signatorum dubitationem non admittit, quin hi quoque pisces plurimi ibi capti sint. Numos olim Canacae tributos, Baeticae oppidulo ex Ptolemaeo tantum noto, Punicis literis notatos et thynnorum imaginibus insignes Sextis restituit Lindberg (De numis Punicis Sextorum, 1824; cf. Gesenius l. c. p. 308). — Etiam Abderae in Hispania sitae numi thynni effigiem ostendunt; praeter ceteros ille typus dignus est qui commemoretur, quo repraesentatur templum V columnarum, quarum duae thynnis figurantur sublime erectis (cf. Eckhel, D. n. v. I p. 13 sq.; Gesenius l. c. p. 310). — Carthaginis Novae finitimarumque regionum multum opus salsamentarium memorat Strabo (III 6 p. 158 πολλὴ ἡ ταριχεία).

Non est dubium quin iam antiquissimis temporibus circum haec litora a Phoenicibus thynnorum piscatio exercita sit, a quibus ii qui postea his regionibus potiti sunt etiam capiendi atque conficiendi rationes didicerunt. Recentioribus quoque temporibus nonnullae cetariae ubertate florebant nec deerant quae Hispaniae principibus seu grandibus maximam reditus partem suppeditarent: cetariorum vitam licentiosissimam ac dissolutissimam depingit Cervantes in narratiuncula de ancillula nobili ('De la illustre fregona'), neque in numero grassatorum audaciumve quemquam habendum esse censet, quin bis thynnorum piscatus academiam percurrerit ('dos cursos en la academia de la pesca de los atunes'); Zaharae vero cetarias, viculi prope Trafalgar promuntiorum siti, tanquam morum deperditorum culmen

---

1) Σαξιτανία Athen. III p. 121a, Gal. t. 6 p. 402, Plin. XXXII 11, 53; Saxetanus Mart. VII 78, 1; Ἐξιτανῶν πόλις Strab. III p. 156. 170; Hexi Pomp. Mel. II 6; Σέξ Ptol. II 4, 7.

notat ac sane tetriores Sancti Antonii pecudibus. Paulatim Hispaniae cetariae socordia atque inertia neglectae sunt praesertim post ingentem terrae motum anni 1755, Olisipponis urbis excidio famosum, quo orae maritimae condicionem adeo commutatam esse ferunt, ut thynni iam non invenirent loca ad fetificandum idonea. Hodie thynnorum piscatus exercetur ad Gades, Tarifam, Gibraltariam, passimque in ora Cataloniae (cf. Brehm p. 97; Andree, Geogr. d. Welth. III 2 p. 349, 375, (402); Brachelli, Staaten Europas p. 118).

In ora Galliae thynni capiebantur a Celtis ad Rhodani ostium et a Massiliensibus (Κελτοὶ Φωκαίης τε παλαίφατοι ἐνναετῆρες, Opp. III 626; Ael. h. a. XIII 16); et potissimum quidem hoc piscatu Antipolis eminebat (Mart. IV 88, 5), quae urbs fabricatione muriae, liquaminis e thynnis confecti, maxime insignis erat (Plin. XXXI 94; Mart. XIII 103). Nostris quoque temporibus opus piscatorium sollertissime navatur ab incolis orae Francogallicae, qui thynnis insidiantur amplissimis apparatibus retium complexione exstructis (madragues, thonnaires), aut iis potiuntur eo quod in vadis totos greges naviculis circumdant.

Loca thynnorum captura insignia neque in ora Liguriae (τὸ Λιγυστικὸν πᾶν Ael. XIII 16) neque Sardiniae nominatim afferuntur, quamquam ab hac insula certa quaedam thynnorum species et certum aliquod salsamentorum genus nomen traxerunt; pelamydes e Sardinia insula evectae inter omnia salsamenta primum obtinebant locum et suavitate et teneritate carnium Galeno arbitro (p. 350), una cum mullis ex Ponto exportatis. Hodie thynnorum venatus praecipue in oris quae ad meridiem et occidentem vergunt exercetur et quidem cum apparatu amplissimo (cf. v. Maltzan, Reise auf d. I. Sard. p. 514; Neigebauer, D. I. Sard., 1853, p. 113).

In ora Italiae thynnorum speculas Strabo memorat Populoniae (Ποπλώνιον V 2, 6 p. 223) et Cosae (Κόσσαι V 2, 8 p. 225). — Thynnus cui aquila insistit in asse Romano conspicitur (Garucci, Syll. inscr. lat. p. 53 n. 34). — Beneventi omnium genus salsamentorum confici refert Plinius (XXXII 19), at sane dubites num ad thynnos quoque hoc pertineat, cum illa urbs nimis longe absit ab ora maritima. — Cumae cetariis optimis excellebant (Strab. V 4, 4 p. 243: κητεῖαι παρ' αὐτοῖς ἄρισται), nec non garo laudabantur Pompeii (Plin. XXXI 94), id quod luculenter testantur urceorum tituli nuperrime ibi repertorum (cf. C. I. L. IV 2570 sqq.; Blümner, Gewerbl. Thätigk. p. 118). — Velienses regionis iniquitate piscationi operam dare cogebantur, 'καὶ ταριχείας συνίστασθαι καὶ ἄλλας τοιαύτας ἐργασίας' (ibid. VI 1, 1 p. 252). — Thynnos qui ad Vibonem (Ἱππώνιον) capiuntur longe omnium praestantissimos, ut victoriae fastigium habeant, praedicat Archestratus (fr. XXXIV v. 8 sqq.); ad eandem Vibonem sine dubio pertinet Aeliani nota (XV 3), ad promuntorium Vibonicum (ἐν τῷ ῥίῳ τῷ Βιβωνικῷ) innumerabiles esse gentes thynnorum, quae ad Bubonicum Lyciae promuntorium olim

relata est. — Ad Scyllaeum promuntorium thynni oram Italiae praetervehentes et fretum Siculum intrantes in maiores beluas marinas incidunt, ex quo venatu galeotae pingues redduntur (Polyb. ap. Strab. I 2, 15 p. 24, = Eustath. p. 1715).

Pars gregum oram Siciliae septentrionalem sequitur, in qua Tyndaris et Cephaloedium propter eximiam thynnorum bonitatem ab Archestrato laudibus efferuntur (fr. XXXIV 6 sq.). — Solunti litram argenteam, quae in parte antica gallum, in altera inscriptionem Punicam et thynnum ostendit, exhibent Imhoof-Blumer et O. Keller (Tier- u. Pflanzenbb. p. 44, tab. VII 48). — Pars per fretum Siculum agmina dirigit: Pachynicorum thynnorum mentionem facit Athenaeus (I p. 4 c), Pachyno multam thynnorum copiam inesse ait Solinus (p. 54, 1) ac propterea semper capturam largam: Movers (Phoen. II 2 p. 325) Pachynum interpretatur speculam et nomen aut de specula thynnaria aut de lato in mare prospectu aut de utraque causa depromptum ideoque Paconiam insulam Liparaeam denominatam esse suspicatur (ibid. p. 346); aliter de hac re sentit Grasberger (Studien z. d. gr. Ortsnamen, 1887, p. 157). — Ad Gelam patriam sine dubio respicit Archestratus in fragmento XXXIV v. 11 sqq.: thynnos ait Vibone per multa maria delatos in suis ipsius regionibus iam capi intempestivos; certe enim ea loca Siciliae poeta significat, 'quorum ipse non solum accola (ἐπὶ τῶνδε τόπων) sed etiam civis fuerit (ἡμεῖς)', et Gela potius debet intellegi quam Syracusae — qua in urbe magnam quidem vitae partem poetam degisse constat — quippe quae longius a Vibone absit atque in ora Siciliae sita sit maxime contraria (cf. Brandt, Corpusc. poes. ep. gr. ludib., 1888, I p. 184 sq.). — Siculi thynni frustum laudat idem (fr. XXXVIII), thynnorum Siculorum abdomina albentia Theopompus (ap. Ath. IX 399 d). Addatur quod in Theocriti idyllio III, quippe cuius ut ita dicam scaenam praebeat ipsa Sicilia insula, caprarius amore incensus minatur pellicia laena exuta in fluctus illinc sese desulturum esse unde thynnos speculetur Olpis piscator (v. 25 sq.). — Etiam Gaulum insulam a thynnorum piscatu appellatam esse conicit Movers (p. 360) e numis probabiliter illi insulae tributis, quorum inscriptio Punica, si quidem Phoenicium insulae nomen significet, vix aliter sit interpretanda atque Ἰχθυόεσσα seu Piscaria; navem insulae nomen interpretatur Gesenius (p. 303).

Mediae aetatis temporibus de piscatu thynnorum interdum commemoratur in decretis regum Siciliae: Tunnariae Panormitanae mentio fit in Charta Friderici II Imp. ann. 1211, et in Charta Caroli I regis ann. 1277 (cf. Ducangii Gloss. lat. VIII p. 209); Monasterio in Monte Regali sito in Charta Willelmi regis ann. 1176 conceditur, ut omni tempore ad utilitatem suam officium piscationis thynnorum exercere liceat in Tonnaria, quae est in insula quae dicitur Fimi (ibid.); Tonnaria curiae Siciliae occurrit in Charta Caroli regis ann. 1275 (ibid.). — Hodie thynnorum piscatus studiosissime exercetur ingentibus re-

tium apparatibus, 'tonnare' quas vocant Itali, potissimum in ora Tusca, in sinu Neapolitano — Torre del Greco oppiduli incolae thynnorum piscatores omnium sollertissimi habentur (Böttger, Mittelm. p. 250) —, in sinu Salernitano, circa Siciliam insulam; crudele atque cruentum illius piscatus spectaculum in oblectamentis populi ponitur. Duodequinquaginta tonnarae in oris Italicis hodie in usu sunt: in septem eiusmodi apparatibus regionis Trapanensis — quae regiones maritimae XXII sunt in Italia — singulis annis circiter XIX milia thynnorum capiuntur, thynni pondere circiter 120 kg aestimato (cf. Lindeman, Seefischerei, 1881, p. 109).

In Italiae ora australi Thurii fabricatione muriae excellebant (Plin. XXXI 94). — Tarentum omni piscatus genere insigne erat (Aristot. Pol. IV 4, 1): quare in numis Tarentinis fuscina apparet, peculiare thynnorum capturae instrumentum (cf. K. O. Müller, Hdb. d. Archaeol., p. 508). Etiamnunc thynni saliti frustum ventrale, quod sapore cetera superat, ab Italis 'tarantello' vocatur.

Delmaticam muriam laudat Plinius (ibid.).

De Corcyraeorum piscatione hanc narratiunculam refert Pausanias (X 9, 3): Corcyrae taurum aliquando ceteris bobus relictis e pastu abiisse et contra mare mugitus edidisse; quod cum per aliquot dies faceret bubulcum ad mare descendisse et innumerabilem conspexisse thynnorum copiam. Corcyraeos vero cum frustra thynnis capiendis operam dedissent Delphos sciscitatum misisse atque ex oraculi responso taurum Neptuno sacrificasse piscibusque potitos esse, tum e decima praedae Delphos et Olympiam taurum aeneum dedicasse. Cognoscimus ex hac narratiuncula, thynnos qui antea ad Corcyram non commearent repente apparuisse casu aliquo commotos, Corcyraeos vero huius piscationis imperitos aliunde operas quaesivisse. In numo Corcyraeo argenteo Triton conspicitur, qui fuscina piscem transfigit (Mionnet II p. 69 n. 3).

Thynnorum piscatum in ora Pisatidis exactum esse indicat fortasse tabula in fano Artemidis Alpheosae posita, opus Cleanthis Corinthii, in qua teste Demetrio (ap. Ath. VIII p. 346 b. c) Neptunus pictus erat Iovi parturienti thynnum porrigens; E. Curtius (Peloponnes II p. 94) hunc piscatum a Phoenicibus in illo litore institutum esse suspicatur et Apollinis Opsophagi, quem Eleos veneratos esse testatur Polemo (ed. Preller p. 109), commonefacit.

Megarici thynni laudantur ab Antiphane (ap. Ath. VII p. 295 c) in loco admodum dubio, quoniam glauci desiderantur, ad quos pisces exemplo comprobandos Athenaeus hoc fragmentum affert; Kock (Com. Att. fr. II p. 92) haec adnotat: 'θύννοι A] supra scr. γλαῦκοι C. scilicet animadverterat librarius eum de quo dicturus erat Athenaeus piscem non commemorari. at saepissime is ea verba quibus quod dicit confirmare voluerat, excerpere oblitus est . . . . quamquam Archestratus quoque glaucum Megarensem laudat Athen. ibid.' Etiam a Kaibelio (ed. 1887, II p. 151) θύννοι in textum receptum est,

qui tamen fortasse versum excidisse arbitratur: θύννοι ⟨......| γλαῦκοι⟩ Μεγ.

In ora Attica Halae Aexonides thynnis capiendis operam dabant et magnum quaestum inde faciebant, qui publice impendebatur ad sacra Apollini Κυννείῳ vel Κυνηείῳ facienda; nec deerant qui dei cognomen ipsum a thynno derivatum esse existimarent ob levem soni similitudinem: Κύννειος — θύννειος (Phot. Lex. s. v. Κύννειος, Suid. s. v. Κυνήειος; — cf. Boeckh, Staatshh. d. Ath., [3]1886, I p. 268 adn.). — Apud Atticos in sermonis cotidiani consuetudine ὄρκυνοι, apud Athenienses θυννίδες proprie dicti esse videntur thynni, si recte intellego Athen. VII p. 303 b. c: Ἡρακλέων δ' ὁ Ἐφέσιος ⟨θύννον⟩ τὸν ὄρκυνόν φησι λέγειν τοὺς Ἀττικούς .... c...... οὓς ἔνιοι θύννους καλοῦσιν, Ἀθηναῖοι δὲ θυννίδας. Addam quod Aristophanes Cleonem tanquam e specula thynnaria reipublicae reditus speculantem facit, ut intercipiat (equ. 312 sq.), et eundem frusta thynni calida devorantem atque merum insuper infundentem (ibid. 354).

Carysti thynnos generosos laudat Archestratus (fr. XXXIV); numum aeneum typo Tritonis piscem transfigentis insignem memorat Friedlaender (Repert. p. 35). — Eretrienses itemque Naxios thynnorum venatu floruisse perperam ex Ael. h. a. XV 5 a nonnullis conclusum est (cf. Koehler, Τάριχος p. 361; Grüter, De Naxo ins. p. 52), cum Aelianus — pro delicata eius atque contorta dictione — imagine utens respiciat ad oraculum Amphilyti harioli (Herod. I 62; — cf. Aelian. ed. Jacobs II p. 508).

In titulo Copaeo 'Θύννων Ὀφελείμω' nomen occurrit (cf. Cauer, Del. inscr. gr., 1883, p. 211 (308)).

Acanthi Macedoniae urbis numum argenteum thynni typo signatum affert Brandis (Münzw. in V.-Asien p. 533).

Thasus insula fabricatione muriae eminebat (Θασία ἅλμη Poll. onom. VI 63, Athen. VII p. 329 b).

In Thraciae sinum Melas qui vocatur, piscibus lutosa cubilia praebentem neque impetuosis procellis obnoxium, pelamydes festinant teste Oppiano (IV 515 sqq.), postquam Maeotidem quamvis parvulae reliquerunt, ibique hibernant, tum verno tempore fetu iam impletae ad mare patrium remeant. Capturam earum cruentam atque immanem quae hieme a Thracibus exercetur depingit ibid. 531 sqq.

Ex Aegaeo mari thynnorum greges per Hellespontum, Propontidem, Bosporum in Pontum Euxinum migrant, postquam scombri quippe debiliores praegressi sunt, ut semper animalia viribus inferiora in deversoriis mutandis antecedunt animalibus validioribus (Aristot. VIII 79; Plin. IX 49); et quidem verno tempore thynni, pelamydes, amiae Pontum intrant aestatemque ibi degunt ut fere plurimi pisces fusanei et gregales (Aristot. VIII 89, Plin. IX 47; Ael. h. a. XV 3: ἐπιτέλλοντος τοῦ Σειρίου; de pelamydibus Opp. IV 522 sqq.). In universum dextrorsum thynni migrationes dirigunt, unde narratiuncula exorta est, in dextro oculo eos esse acriore visu. Urbes thynnorum

captura insignes laudat Aelianus (XV 5) Heracleám Ponticam — numos tridente et pelamydibus signatos, quos ex Hunteri Museo affert Böttiger (Amalth. II p. 307), nusquam commemoratos repperi — Tium (Tieum), Amastrim (Sesamum). — Circa Maeotidem et in palude ipsa thynnae fetae partum edunt; quae cum relinquunt vere ineunte loca natalia, ab universo piscium excursu tantus efficitur fluxus strepitusque aquarum, ut audiatur vel ab incolis Bospori — nempe oppidi ad Bosporum Cimmerium siti, Panticapaeum quod alias vocatur — spatio circiter DCC stadiorum a palude interiecto (Ps.-Hipparch. ed. Maass in Anall. Eratosth., 1883, p. 147); non dubium est quin hoc loco de thynnis eorumque prole agatur, quamquam non aperte nominantur: ac re vera thynnorum ac pelamydum greges cum ingenti strepitu incedere nostrorum testimoniis comprobatur. Duos numos aureos qui in parte adversa piscem ostendunt sub clipeolo in quo caput Satyri iuvenilis expressum est — in parte postica quadratum incusum — non sine aliqua probabilitate Panticapaeo urbi tribuit Koehler (Ges. Schr. ed. Stephani VI p. 99, tab. IX 6. 7); piscis in aeneis eiusdem oppidi numis conspicitur, sed quidem in parte postica eorum, qui capite leonis signati sunt: forma eius a thynni specie non ita abhorret. Salsamenta inde exportata esse testatur Demosthenes (c. Lacrit. c. 32. 34: ταρίχους κεράμια ἕνδεκα ἢ δώδεκα). — In numo electreo qui ad Phanagoriam urbem in contrario euripi litore sitam pertinet, Phanagorae herois eponymi caput pisce terminatur thynno non dissimili; altera pars quadratum incusum habet (cf. Koehler, l. c. VI p. 91. 93. 95).

Locis ubi natae sunt gregatim relictis pelamydes oram Asiaticam legunt teste Strabone (VII 6, 2 p. 370): et primum quidem Trapezunti et Pharnaciae capiuntur (ibid. XII 3, 19 p. 549) nec tamen largum piscatum praebent, cum sint admodum parvulae; tum ad Sinopen commeant iam tempestiviores et ad capiendum atque condiendum aptiores: pelamydea huius urbis admiratione digna, scilicet lacus per oram aut natura aut arte ita dispositi, ut ultro pisces intrent, laudantur a Strabone (XII 3, 11 p. 545: πηλαμυδεῖα θαυμαστά). Numos argenteos typo aquilae thynnum lacerantis signatos affert Brandis (Münzw. in V.-Asien p. 306. 433).

Salsamenta Pontica (ταρίχη Ποντικά Poll. onom. VI 48) apud veteres in summo honore erant nec nisi Sardois et Ibericis inferiora Galeno iudice (alim. aqu. p. 347). Quod attinet ad piscem de quo agitur paucae urbes huc addendae sunt seorsum sitae ab oris quas in migrationibus instituendis thynni legere solent. Chersonesus urbs in australi Chersonesi Tauricae lacinia sita piscatum exercebat mullorum praecipue ac pelamydum, cuius ubertatem comprobant numi piscis imagine notati (cf. Neumann, Hellenen im Skythenl., 1855, I p. 391); ad thynnorum genus sine dubio referendus est piscis ad dextram versus supra Herculis clavam et XEP inscriptionem, qui conspicitur in parte postica numi argentei capite muliebri

signati apud Koehlerum (l. c. II tab. VIII 19, et fortasse in numis simili typo insignibus ibid. 25. 26. 28). — In Olbiae urbis excidiis, quae largissima omnis piscium generis captura excellebat, symbola reperta sunt piscis forma expressa ac literis signata, quae ad thynnos certe referenda sunt, ibidem numi aenei, qui ad salsamenta pertinere videntur; de utrisque infra fusius dicam. Numi qui iam non priscae at saltem antiquae artis rationem prae se ferunt, haliaeetum thynnos capientem ostendunt (cf. Furtwaengler, Goldf. v. Vettersf. p. 24). — Similem typum Istri urbis numi gerunt (ibid.). — Ceterum res est maxime memorabilis, nuper thynnos Ponto omnino abrogari: 'Fama non admodum certa fertur', inquit Pallas in Zoogr. Rosso-Asiat. III (1831) p. 214 sq., 'Thynnos in Ponto observatos fuisse et eosdem fuisse pisces qui Neograecis sub nomine Lakierda noti sunt; sed quum hi pisces altum tenere soleant et piscandi modus in mari mediterraneo ad hoc usitatus hic nondum exerceatur, mihi de eo certiorem fieri non contigit, non magis quam de Pelamyde, quam vere interdum irretitam fuisse ultimis his annis, antea in Ponto non visam gnari affirmant'; pelamydem Strabonis eundem esse piscem censet idem, quem Scombrum Glauciscum appellat ipse, vel mugilem (ibid. p. 216). Et profecto Ponto hodie deesse videtur thynnus, si recte se habent recentiorum observationes — id quod vix dubitari potest — qua de re adnotat Pavesi (Le migrazioni del tonno, Milano 1887, in Rendic. R. Istit. Lomb. (2) XX fasc. 8, p. 314): 'Nei recenti rapporti, inviati alla Commissione reale per l'industria delle tonnare, i nostri consoli di Odessa, Varna, Kustengé e Tiflis accordansi tutti a dire che il tonno è sconosciuto nel mar Nero e d' Azof.'

Postquam adolevit partus, e Ponto exeunt thynni post Vergiliarum ortum — inter XV et XIX diem Maii —; si hiems fuerit austrina tardius exeunt, sin aquilonia citius propter flatus secundi commoditatem, unde fit ut Byzantii parvus fetus capiatur quippe cui adolescendi tempus in Ponto defuerit (Aristot. VIII 91; Plin. IX 51). Aliam huc addere liceat observationem e recentiore piscatorum experientia petitam, quid polleat hiemis tempestas ad pelamydum condicionem: quando levis fuit hiems et mature ver incidit, palamidae parum valent, quo gravior, eo spissioribus agminibus apparent eoque perfectiores ac pinguiores sunt; quod inde fieri aiunt piscatores, quod hieme leni pisces parvis turmis dissipati ob pastum ubique vagentur et inde macrescant, frigore vero gravi profunda maris eos petere et arctioribus spatiis versari: quod cum idem faciat capsa, quo pisce potissimum nutriantur, et pabulum ibi abunde suppeditare et quietem facultatemque pinguescendi; nec tamen eadem pinguedine sunt aestate ineunte atque auctumno, quo tempore dorsa earum in sinibus vadisque saginatarum adipe tument digiti crassitudinis (Kohl, Reisen in Südrussl., 1841, p. 179).

Iam porro prosequamur thynnorum greges e Ponto descendentium!

Bosporus Thracius valde piscosus est (Βόςπορον ἰχθυόεντα Liban. epist. 84, 4 p. 45 [Wolf]): nec mirum, cum in angusto freto duo maria maiora coniungenti non aliter constipentur pisces atque homines in arcto isthmo inter frequentes duas terras continentes. Neque modo cum pisces ex Ponto descendunt sed etiam cum ascendunt captura largissima est: pelamydem advenam ex Hellesponto Bosporitae aestate tempestivam esse ait Sophocles (fr. 460, ap. Ath. VII p. 319 b), ad hunc enim frequenter eam commeare. Quare ταριχόπλεως Βόςπορος appellatur apud Ps.-Hesiodum (Ath. III 116 b), id quod ad Bosporum Cimmerium urbemque homonymam rettulit Koehler (Τάριχος p. 358), nulla alia videlicet causa commotus nisi ut Russiae patriae vindicaret epitheton illud memorabile: Byzantium enim in proximis versibus insequens tantum abest ut aliam atque de qua agitur regionem significet, ut contra omnem dubitationem auferat. Atque ipsum Byzantium praeter ceteras urbes largissima ac lucrosissima piscatione excellebat, cum tota fere vis thynnorum ac pelamydum ex Ponto exeuntium portum intraret, ut in proverbium abiret lucrum inde factum: Διὰ τὸν ἰχθὺν εὐδαίμονες Βυζάντιοι (Dio Chrys. II p. 11; Eustath. ad Dion. v. 803 p. 253). 'Est in euripo Thracii Bospori quo Propontis Euxino iungitur in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis saxum miri candoris a vado ad summa perlucens iuxta Chalcedonem in latere Asiae; huius adspectu repente territi semper adversum Byzantii promontorium ex ea causa appellatum aurei cornus praecipiti petunt agmine: itaque omnis captura Byzantii est magna Chalcedonis paenuria, M passibus medii interfluentis euripi.' Sic Plinius (IX 50 sq.); illud saxum iam non e mari eminet (cf. v. Hammer, Const. u. d. Bosp., 1822, II p. 298). Thynnos albentium calcis rupium splendore fugari probat W. E. Weber (Des Q. Hor. Flacc. Satt., 1852, p. 385), qui simile quiddam in captura salmonum observatum esse ait, cum in locis riparum antea largissimis captura statim diminuta sit domibus prope ripam exstructis, quarum tectorium album pisces propulsarit, id quod ad Visurgim et in Britannia acciderit; sed vide ne aliter res se habeat: ab ipsis enim riparum accolis pisces turbantur nec mirum si perpetua sollicitatione atque infestatione perterriti alia loca quaerunt tranquilliora et ad fetificandum aptiora. In Bosporo Thracio thynnorum ac pelamydum agmina certe non tam terrore aliquo quam fluctu rapidissimo ac valentissimo — Scheitan akindissi hodie vocant Turci h. e. fluctum diabolicum (cf. v. Hammer, II p. 215. 298) — de cursu directo deflectuntur atque in portum Byzantii rapiuntur, ut recte haec urbs appelletur θυννίδος μητρόπολις (Archestr. fr. 37) vel θύννων ὡραίων μήτηρ (Ps.-Hesiod. ap. Ath. III 116 b). Portus enim, circiter LX stadia occidentem versus patens, quasi alterum cornu copiae largissimis donis Byzantios cumulabat: nam propter piscium copiam et fluctus irruentis vim et loci angustias ita pisces constipantur, ut manu saepe capiantur (Strab. VII 6, 2 p. 320). Ad hanc loci

opportunitatem respicit responsum illud Apollinis Pythii, quod Megarenses sedem quaerere iussit caecorum terris adversam, qua ambage, ut ferunt, Chalcedonii monstrati sunt, quod priores illuc advecti, praevisa locorum utilitate peiora legissent (Tac. Ann. XII 63; cf. Strab. l. c., Steph. Byz. s. v. Χαλκηδών); idem iudicium de Chalcedoniis factum apud Herodotum (IV 144) Megabazo satrapae tribuitur, 'cuius sententia, cum magni Persarum regis vice ibi regnaret, tanquam pro oraculi responso habenda erat' (v. Hammer, II p. 342). Alius oraculi mentionem facit Stephanus Byzantius (s. v. Βυζάντιον), cuius versum '"Ενθ' ἰχθὺς ἔλαφός τε νομὸν βόσκουσι τὸν αὐτόν' Spanhemius (De praest. et usu num. ant., [2]1671, p. 202), sententiam secutus Tristani, antiquarii et numismatici in aula Ducis Aurelianensis saec. XVII, interpretatur de pelamyde et cornu aureo Byzantii, cornu cervino simili (cf. Strab. VII 6, 2 p. 320: τὸ Κέρας . . ., κόλπος . . . ἐοικὼς ἐλάφου κέρατι· εἰς γὰρ πλείστους σχίζεται κόλπους, ὡς ἂν κλάδους τινάς). Numi delphinum ostendunt inter duas pelamydes (Eckhel, D. n. v. II p. 28, v. Werlhof, Hdb. d. gr. Numism., p. 270, tab. V 9), Neptunum scopulo insidentem quasi thynnos speculantem (K. O. Müller, Hdb. d. Archaeol., [2]1835, p. 508), thynnum sub tauro (Furtwaengler, Goldf. v. Vettersf., p. 27), hami quandam speciem intra coronam (Eckhel, II p. 27). — Etiam recentioribus temporibus pelamydum capturam Byzantii copiosissimam testatur Gyllius (De Bosp. Thrac. ll. III, 1562), qui Bosporum principem creatorem Byzantii meliorem et praestantiorem quam Byzantem huius urbis conditorem vocat (p. 1); tanta multitudine eas portum intrare ait, ut primo cuique magnum piscium numerum capere et ferire liceat: neque modo ab usu piscandi instructi sed etiam totius piscationis rudes atque adeo pueri et feminae capere possint domi desidentes ex fenestra calathis demissis, hamisque ab esca nudis etiam imperiti piscandi pelamides capiant tot et tantas, ut toti Graeciae sufficiant aliisque nationibus (p. 4). Pro meris somniis haec habenda esse iudicat Pavesi (l. c. p. 311 [1]), et quidem loquatur ipse: 'Non merita la pena di occuparsi dei naturalisti, secondo i quali il tonno sarebbe un pesce eminentemente nordico, od al contrario tanto comune nel Bosforo da prenderlo con le mani, da pescarlo appena sospendendo un paniere nell' acqua e produrvi quella ricchezza nel paese da esserne derivato l' epiteto di Corno d' Oro alla punta di Bisanzio! Pure cotesto e peggio riproducesi ancora con la massima serietà da certi zoologi di poca critica.'

Chalcedon 'caecorum' urbs, quamvis multo cederet fecunditate maris Byzantio arctissimis freti angustiis separato, non tamen expers erat pelamydum capturae, ac si non copia piscium at bonitate excellebat: pelamydem Chalcedoniam laudat Varro (ap. Gell. VI 16, 5), domicilia ciborum omnibus aliis praestantia enumerans, quae profunda ingluvies vestigarit. In numis aureis et electreis Chalcedoniis bos gradiens supra thynnum conspicitur (Brandis, Münzw. p. 388).

In piscosa Propontide (Avien. per. 465) Cyzicus summa thynnorum ac pelamydum copia nobilis erat, ut thynno urbs pro signo ipsius uteretur (Brandis, p. 311). In pondere aeneo 29. 8 gr., quod ΚΥΞΙ ΔΙCτάτηρον literis signatum est (cf. Mommsen, Röm. Münzw., p. 7), thynnus iacens ansae vice fungitur (cf. Caylus, Recueil d'ant. VI p. 132 sq., tab. XXXIX 4. 5); in numis Cyzicenis innumerabiliter thynnus occurrit cum variis ac diversis typis coniunctus: in numis argenteis cum prora navis, capite leonis, apro, capite Atyos, capite Proserpinae, effigie Apollinis, in numis aeneis cum tripode; multo maior typorum varietas est in numis aureis et electreis, ubi thynnus aliis typis additur (cf. Brandis, p. 311 sq. 403—409. 427. 439 sq. 522; Greenwell, The electrum coinage of Cyzicus in Numism. Chron. III ser. VII (1887) p. 1—125, tab. I—VI; Imhoof-Blumer et O. Keller, Tier- u. Pflanzenbb., tab. I 20. 35, IV 19, VII 7—10, XI 13. 23. 40, XII 1. 23. 30. 37, XIII 10. 23. 28). — Hodie thynnorum piscationes Graeciae, Propontidis, Bospori tenues sunt (cf. Pavesi, p. 324).

Non minus excellebat Hellespontus summa piscium frequentia ac multitudine (ἰχθυόεις Hom. I 360; piscosus Avien. per. 717), ut proverbii loco usurparetur sententiola 'ἰχθὺν εἰς Ἑλλήσποντον', eodem sensu atque 'γλαῦκ' Ἀθήναζε' et 'πύξον ἐς Κύτωρον ἤγαγες' (Eustath. p. 88); 'Ἑλλησποντίς pelamys vocatur a Sophocle in Pastoribus (fr. 460, ap. Ath. VII p. 319), scombros ac salsamentorum omne genus ex Hellesponto evectum laudat Hermippus (ap. Ath. I p. 27e, v. 5). Ex urbium numero ad Hellespontum sitarum Lampsacus thynnum in numis habet sub capite Neptuni (Mionnet, Suppl. V p. 368, cf. Klausen, Aen. u. d. Pen., I p. 85); in numo ex auro albo cuso thynnus conspicitur sub urbis signo, equi marini alati protome (Brandis, p. 389). — Etiam in numis Abydi thynnus inesse videtur una cum aquila, urbis symbolo (ibid. p. 188).

In Aegaeum mare reversi thynni oram Asiae potissimum praetervehuntur. Antigonus Carystius (ap. Ath. VII 297d) narrat, sub capturam thynnorum piscatores Neptuno sacrificantes primum quem ceperint thynnum deo immolare, quae sacra θυνναῖα appellentur; e iucunda Wilamowitzii coniectura Αἰολέας pro ἁλιέας[1]), a Kaibelio recepta, concludere licet — si fas est e coniectura concludere — thynnorum capturam in ora Aeolica floruisse: ac sane quidem iam antiquissimis temporibus thynnos ibi captos esse inde apparet, quod a Schliemanno in tertia funditus urbe — secunda e recentiore dinumeratione — ad Hissarlik vicum effossa, ustam quam vocat, maximorum thynnorum et carchariarum vertebrae inventae sunt (cf. Schlie-

1) Optime haec coniectura fulcitur eadem utriusque vocabuli mutatione cum agatur de auricula marina, conchylii genere quodam; legimus apud Athenaeum (III p. 88a): 'Ἀντίγονος δ' ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ λέξεως τὸ ὄστρεον τοῦτο ὑπὸ Αἰολέων καλεῖσθαι οὖς Ἀφροδίτης' (cf. Eustath. p. 1821, 54), apud Hesychium (s. v.): 'οὖς Ἀφροδίτης· οἱ ἁλιεῖς ὄστρεόν τι οὕτω καλοῦσιν.'

mann, Ilios, p. 360. 364 sq.)[1]); etiam hodie in Troade piscatio prospere succedit et in Hellesponto et in mari Aegaeo (Virchow, ibid. p. 363).

Methymnae numus aureus thynnum habet sub apro (Brandis, p. 391); Lesbius thynnorum speculator commemoratur apud Alciphronem (I 17, 1: ὁ σκοπιουρὸς ὁ Λέσβιος).

Omotaricho optimo e thynni cervice confecto praeter ceteras urbes Cyme nobilis erat (Xenocr. IV 35 ογ′).

In ora Ionica Clazomenae, quae gari fabricatione excellebant (Plin. XXXI 94, XXXII 18), thynnum in numis aureis ostendunt sub protome apri alati (Brandis, p. 392), Teos thynnum sub grypho (ibid. p. 398). — Chios sphingem habet supra thynnum in numis aureis (ibid. p. 400), Samos exuvias capitis leonis supra thynnum (ibid. p. 401. 415): circa Samum insulam permagnum thynnum capi, quem orcyn vel cetum vulgo vocent, Archestratus docet (fr. XXXIV 3), deorum epulis dignum — τούτου δὲ θεοῖς χρὴ ὀψωνεῖν; θέρευς e coni. Ribbeckii: aestate emendum, cf. Corpusc. poes. ep. gr. lud., I p. 183 sq.) atque quovis pretio expetendum; addam quod Barthélemy (Voy. du j. Anach. ed. Biester, [2]1794—1804, VI p. 254 sqq.) in euripo inter Samum insulam et Mycalen montem interfluenti Anacharsin thynnorum capturam spectantem facit.

Eandem piscationem in ora Dorica exactam testatur orcyneum ad mare situm quod occurrit in titulo Halicarnassensi (cf. Bulletin de corresp. Hellén. IV (1880) p. 304: καὶ τὴν θάλασσαν ὅπου τὸ ὀρκυνεῖον).

Salsamentum Rhodium (τάριχος Ῥόδιος) laudatur apud Chionem (epist. VI, ed. Kober), quocum coniungere poteris id quod narrat Aelianus (v. h. I 28), Rhodios ex omnibus cibariis pisces maxime appetivisse.

In numis Lyciae thynnus occurrit sub protome tauri alati (cf. Imhoof-Blumer et O. Keller, p. 66); Phaselitae salsamentis Cylabrae heroi sacrificare solebant (Athen. VII 297e sq.).

Thynnorum piscatum in ora Pamphyliae exercitum esse colligimus e nota Hesychii s. v. κασσύας· ὄρκυνος. Περγαῖοι; Perge urbs, quamquam LX stadia a mari distabat, tamen Cestro fluvio navigabili cum eo coniuncta erat (cf. Strab. XIV p. 667). — Tarsus in ora Ciliciae sita ac similiter Cydno fluvio cum mari coniuncta in numo Pharnabazi satrapae caput muliebre a fronte ostendit, in dextra area thynnum, in sinistra delphinum (Brandis, p. 429).

In Cypro insula cetarias memorat Plinius (XXXVII 66) et narratiunculam refert de thynnis oculos leonis marmorei, qui in tu-

1) Prima thynni vestigia, quae quidem hominum memoriam excedunt, in tertiariis telluris formationibus tanquam in tabulariis rerum primordialium condita sunt, nec raro Scomber, Thynnus, Cybium reperiuntur in illis straturis fossilibus quas eocaenas et miocaenas vocant geologi (cf. Günther, Hdb. d. Ichthyol. p. 323).

mulo Hermiae reguli exsculptus erat, expavescentibus e zmaragdis inditos.

Phoenices quin iam antiquissimis temporibus ex hominum memoria prorsus sublatis piscationi operam dederint dubitari nequit: immo vero ab ipsa piscatione, quod quasi nautarum seminarium est, navigatio atque commercium certe profecta sunt (cf. Movers, Phoen. III 1 p. 15). A piscium ubertate Sidon urbs appellata est: piscem enim sidon appellant Phoenices (Iustin. XVIII 3, 2; Isid. orig. XV 1, 28); unus e primis Tyri incolis piscatum atque instrumenta piscatoria invenisse fertur, Tyrus ipsa e vaticinio Ezechielis (XXVI 5. 14) in rupem nudam mutator ac maris aestuarium, ubi retia piscatoria panduntur. Quod attinet ad thynnorum capturam non est dubium quin Phoenices tridentis inventores fuerint, proprii huic piscatui ac peculiaris instrumenti: quae fuscina deinde ad ceteras nationes pervenit una cum cultu Neptuni, qui semper originem Phoeniciam portendit (cf. Böttiger, Amalth. II p. 306). Inter pisces qui praecipue in honore erant apud veteres, thynnum Tyrium nominat Pollux (VI 63); ex thynno sine dubio ὠμοτάριχος conficiebatur (Xenocr. IV 35 ογ', Dioscor. II 33; — cf. Diphil. ap. Ath. III p. 121b), 'Φοινίκιον ὄψον' quod valere iubet Matro parodicus in cena Xenoclis rhetoris (ap. Ath. IV 135a, v. 17): quem versum, ut propius accedat ad exemplar Archestrati fr. XXXVIII Br. v. 3, sic restituendum esse censet Kaibel: ὠμοτάριχος ἐῶν χαίρειν μακρά, Ποντικὸν ὄψον, 'nisi forte salsamenta Gaditana intellegas'; at causa leviuscula: nec sane intellegas cur mutaverit quispiam Ponticum opsonium notissimum in Φοινίκιον ὄψον semel dictum? Hoc quidem cum Brandtio (Corpusc. poes. ep. gr. lud., I p. 73) inde colligas, Phoenices illa salsamenta non tam in deliciis quam in necessariis habuisse, ut qui navigantes coacti fuerint carne sale indurata vesci.

Non prorsus expers thynnorum commeatus erat ora Africae. Aegyptia quidem salsamenta quae laudat Pollux (VI 48: ταρίχη Αἰγύπτια) maxima ex parte conficiebantur e piscibus quos immensa ubertate promebant Nilus (Lucian. navig. 15: τὰ Νειλῷα ταῦτα ταρίχη τὰ λεπτά) ac Moeris lacus. — Leptis, quae urbs potissimum gari fabricatione excellebat (Plin. XXXI 94) et Zuchis ad Syrtem minorem sita (Strab. XVII 3, 8 p. 835: πορφυροβαφεῖα ἔχουσα καὶ ταριχείας παντοδαπάς) officinis piscibus conficiendis nobiles erant; apud Meningem insulam thynni largissima copia capiebantur (Strab. ibid.); ad promuntorium Ammonis Balithonis specula thynnorum erat (ibid. 3, 16 p. 834); nec sane carebant hoc piscatu Taricheae insulae (ibid.), quas ab incolarum negotiis praestantissimis denominatas esse apparet (cf. Blümner, Gewerbl. Thätigk. d. V. d. cl. A., p. 5).

In oceano Atlantico thynni commemorantur exceptis oris Hispaniae, quas supra perlustravimus, ad ostium Garumnae (Auson. ep. XIV P., v. 61) et in iis oceani regionibus, quae fuco natanti Sargasso qui vocatur coopertae sunt; has enim Ps.-Aristotel. mirab. ausc.

c. 136 intellegendas esse ac non partem aliquam Americae aut Brasiliae, ut quidam suspicati sunt, concedere vix quisquam dubitabit, quamquam de fucis a fluctibus in litus eiectis auctor loqui videtur (cf. edit. Beckmanni, 1786, p. 307). 'Ferunt Phoenices qui Gades inhabitent, extra columnas quatriduum navigantes vento subsolano ad loca solitaria accedere ulvis ac fucis referta[1]), mari refluente ab undis relicta, surgente inundata, in quibus ingens thynnorum copia reperiatur et magnitudine et crassitudine incredibili: qui sale asservati et vasis reconditi Carthaginem transvehuntur; Carthaginienses haec salsamenta non exportant sed propter bonitatem ipsi comedunt.' Computatis quidem quattuor dierum itineribus non attingeremus illa loca, nec si sequimur auctoritatem Scylacis (p. 30), qui iter diurnum D stadiis (= 12½ mil. geogr.), neque Herodoti (IV 86), qui DCC stadiis (= 17 mil. geogr.) aestimat. Ad Cernen insulam locorum descriptionem refert Blümner (l. c. p. 5).

De thynnis, quos in Indico mari commemorat Plinius (IX 5), supra dixi (v. p. 23). Thynnorum in oris quas inhabitant Ichthyophagi qui vocantur captorum mentionem facit Arrianus (Ind. 29, 12). Etiam ad Taprobanen insulam thynni memorantur ab Aeliano (h. a. XVI 18), quibus balaenas insidiari perhibet.

Finium si rationem habemus, quibus coercetur thynnorum genus, tanquam cosmopolita hicce piscis habendus est, cum omnes inhabitet regiones tropicas et temperatas sed ita, ut plagas nimis frigidas evitet neque admodum frequens sit intra orbes tropicos. In Oceano Atlantico reperitur circa promuntorium Bonae Spei, ad oras sinus Guineani, ad Canarienses insulas inter Teneriffam et Gomeram, ad Maderam insulam, ubi cum magno apparatu capitur; visitat oras Lusitaniae, Francogalliae, Bataviae, Britanniae, parvulos Scotiae sinus occidentales, denique septentrionem versus ad oram Norvegicam reperitur usque ad 63° lat. bor.; interdum mare Balticum intrat rarus quidem advena.[2]) — In Oceano Indico eiusque partibus nonnullae

1) cf. Jordan. de reb. Get. c. I: Oceani vero intransmeabilis ulteriores fines non solum non describere quis aggressus est, verum etiam nec cuiquam licuit transfretare, quia resistente ulva et ventorum spiramine quiescente impermeabiles esse sentiantur et nulli cogniti nisi soli ei qui eos constituit.

2) In sinu Eckernfordensi a. 1605 'thynnus octo pedes cum dimidio longus, crassus per medium et in ambitu sex captus est', ibidem alius a. 1835, ad Coeslinum alius a. 1814, ad Stralsundum alius a. 1869; propius orientem versus in mari Suevico nondum repertus est, in fretis aditum ad hoc mare praebentibus minus raro apparet hospes aestivus clupearum, scombrorum, belonarum agmina persequens (cf. Moebius-Heincke, Fische d. Ostsee, p. 40). — Tempus quo pisces australes apparent omnes posterior anni pars dimidia est a m. Iunio ad Decembrem — et quidem plurimi a Septembri ad Octobrem —, id quod inde explicatur, quod nullo anni tempore summa maris Suevici clupearum sprattorumque gregibus adeo oppleta sunt quam auctumno atque hieme et quod tum ipsum aqua marina in vadis salsior est quam aliis anni temporibus (auctumno 1. 8‰, hieme 1. 9‰); accedit quod auctumno aqua satis tepida est (8. 6° C); cfr. l. c. p. 169 sq.

thynni species domicilium habent nec desunt Oceano Pacifico circa Tasmaniam insulam et ad oras Chinenses ac Iaponicas (cf. Bloch, l. c. p. 96; Schmarda, Geogr. Verbreitg. d. Th., 1853, p. 624; Andree, Geogr. d. Welth., 1867 sqq., III 2 p. 59. 402. 723; Moebius-Heincke, Fische d. Ostsee, 1883, p. 40; Günther, Catal. Acanth. Fishes. Brit. Mus. II (1860) p. 362 sqq.; Handb. d. Ichth., 1886, p. 323 sqq.; Pavesi, Le migraz. del tonno, 1887, p. 314).

Migrationes ita thynni instituunt, ut certis agminibus proficiscantur et militum phalangis instar octoni vel seni deni vel duplici numero invicemque sibi suppositi fluctuent alius supra alium natantes, spatio inter utrumque relicto quantum latitudine sua explerent (Philostr. icon. XIII p. 390; Opp. III 643 sq.: ἐπὶ cτίχας ὥcτε φάλαγγες ἀνδρῶν ἐρχομένων καταφυλαδόν; cf. Pierer, Univ.-Lex. s. v. Th.: in Schaaren (zu Hunderten u. Tausenden), welche gewöhnlich ein Viereck bilden). Cubicam rationem corporum constipatione thynnos efficere Plutarchus asserit (soll. anim. XXIX p. 979), figuram exsequentes sex lateribus inter se aequalibus coercitam: quod cum accurate observent 'πλαίcιον ἀμφίcτομον'[1]) thynnorum speculatorem totum piscium numerum illico computare posse, quoniam totidem versentur et in latitudinem et in longitudinem et in altitudinem. Omnes pisces gregales ducibus uti docet Aristoteles (VIII 89, cf. Plin. IX 49), quam clausulam pro insiticia fortasse habendam esse suspicatur Barthélemy-St. Hilaire III p. 67 n.

Has migrationes si comparamus cum iis, quas hodie a thynnis suo tempore repeti videmus, in universum inter se congruunt. Aegre tamen a nobis impetrabimus, ut thynnos tam ingentia maris spatia inde ab Oceano Atlantico usque ad Pontum Euxinum permetiri credamus neque alia loca accedere ad fetificandum idonea nisi oras Ponticas: iam si rationem habemus temporis ad tales migrationes extensissimas necessarii suspicio movetur, vel summam licet sumamus piscium celeritatem. Etsi nusquam librorum veterum expressis verbis enuntiatum legimus, unum eundemque thynnum illa maris intervalla permeare ac remeare, tamen haec sententia sine dubio omnibus probata erat, quam eandem recentiores quoque scriptores amplexi sunt; Aristoteles quidem illorum tantum thynnorum rationem habuisse videtur, qui Aegaeum mare Pontumque frequentant. Certe illa opinio inde exorta est quod per fretum Gaditanum, per fretum Siculum, per Hellespontum, per Bosporum utrumque thynnorum greges permigrantes cernebantur ac singulae observationes inter se coniungebantur. Vix tamen aliter res se habet cum thynno atque cum harengo, notissimo illo atque utilissimo pisce e familia Clupearum,

---

1) Dormitasse hoc loco Plutarchum, cum ἀμφίcτομον vocem adderet, luce clarius est, nisi forte putas, dimidiam thynnorum partem natare retroversam! cf. Arrian. tact. c. 29 1: ἔτι δὲ ἀμφίcτομος μὲν φάλαγξ καλεῖται ἡ τοὺς ἡμιcέας τῶν ἐν τοῖς λόχοις ἀνδρῶν ἀπεστραμμένους ἀπὸ cφῶν ἔχουcα, ὡς ἀντινώτους εἶναι.

qui fetificandi causa e mari glaciali longissima itinera facere olim perhibebatur ad oras oceani Germanici et maris Suevici, nunc illorum marium profundis a viris doctis attribuitur, in quorum litoribus fetificat, ut non tam itinerum longorum peregrinator habendus sit quam orarum ad quas capitur accola non admodum remotus.

Pro vero thynni domicilio mare internum sine dubio habendum est, in oceano Atlantico rarior esse eiusque vice cognatae eiusdem generis species fungi videntur; repentina certis anni temporibus thynnorum frequentia antea declarari non poterat nisi immensa e mari extero immigratione: hodie haec sententia superat, etiam thynnum sicut multos alios pisces aliquamdiu in gurgitibus maris aut in alto mari degere et tempore fetificandi instante ad litora demum accedere. Ac sane certas vias ingreditur vallibus submarinis ut videtur commotus quas sequitur: migrationes vero quales suspicati sunt veteres auctores certe non fiunt, quamquam non negabitur, thynnorum greges etiam ex oceano in mare internum introire itemque inde Pontum petere (cf. Brehm, Thierl., VIII p. **95** sq.).

Nuperrime thynni migrationes accuratius examinavit P. Pavesi (Le migrazioni del tonno, Milano 1887, in Rendic. R. Istit. Lomb. II vol. XX fasc. VIII p. **311** sqq.), quarum quaestionum haec fere summa est: Thynni totum annum in mari Mediterraneo degunt et post migrationem in profundis sinuum versantur; minime quadrant thynnorum adventus ad intervalla regionum, in quibus capiuntur atque adeo contra opinabile illud thynnorum iter aperte repugnant, quoniam exempli gratia in cetariis sinus Salernitani, Napetini ('golfo di S. Eufemia'), Tarentini et in piscationibus Dalmaticis Martio exeunte aut Aprili capiuntur videlicet uno minimum mense, quin etiam duobus ampliusque antequam comparent ad Lusitaniam australem ('Algarve') et oras Hispali urbi subiectas. In priore Maii parte dimidia thynnus vagari incipit nec modo in occidentali maris interni parte sed etiam ad Corcyram, ad Smyrnam, in Hellesponto, in Bosporo: ab universis ille motus fit absque ordine isto imaginario, plus minusve concitatus in singulis locis; lucri admodum tenuis si rationem habemus quod intra Columnas Herculis accolae orarum Hispaniae, Francogalliae, Algeriae faciunt e captura thynnorum, cum cetariae Calabriae, Sardiniae, Aegatium insularum, Tunesiae Maio et Iunio piscium ubertate scateant, aut nobis persuadere cogimur, clanculum thynnos fretum Gaditanum intrare priusquam ad Lusitaniae oras apparuerint et in mari Iberico hominum conspectu evitato simul ad idem temporis apparere intervallo MD circiter kilometr. interposito, aut desciscere ab illa extrinsecus immigrationis coniectura usque repetita. Contrarium fit in remeatu thynnorum, cuius ea est condicio ut certis locis piscium greges convertantur — in Ilva insula prope Infulam ('Enfola'), in Sardinia in sinu Asinario et ad Sulcos, in Sicilia ad Pachynum promuntorium, in Graecia ad Sciathum insulam —: capiuntur enim in prima retrorsum cetaria Siciliae minus III milibus thynnorum, extra

columnas ad Barbatam et Zaharam calculo subducto summa octo milia quingentos excedens, ad ostium Anae fluminis (Guadianae) ad milia XVI, in cetariis Lusitaniae captura thynnorum remeantium altero tanto largior esse solet quam meantium. Thynnorum frequentiae aut maioris aut minoris vicissitudines minime inter se congruunt, nequaquam certe universa omnium cetariarum aut abundantia aut penuria accidit; suus cuiusque tonnarae fructus fluctuat vicissitudine periodica, neque indignum est quod commemoretur maximum numerum piscium quinto quoque anno suppeditare post numerum minimum, id quod cohaeret fortasse cum peculiari thynnorum incremento ac facultate genitali. Verae thynni migrationes primum ad perpendiculum directae sunt ab imo ad summum mare, deinde ad libellam in certas oras versus certis finibus circumscriptas et cum certa directione aut meandi ('corsa') aut remeandi ('ritorno'), tum deorsum in ima maris. Commorationis centra ubi magnam anni partem thynni degunt existimanda sunt in sinu Gaditano, in occidentali maris interni parte, in mari Tyrrheno et Ionio, M—MD ulnas nauticas ('braccia marine') sub aequore.

Nostris temporibus migrationes magis magisque vacillare videntur, cum thynnorum greges aut libidine aut casu aliquo commoti alia atque consueta itinera ingrediantur. Ac profecto varius fluctuum decursus atque ventorum flatus inconstantia permultum conferunt ad istam meatuum variationem; alia nec levior causa ingens commercii ac navigationis incrementum est, quoniam frequenti perpetuoque navigiorum cursu, praesertim ingentium illorum ac paene modum excedentium quae vaporis vi agitantur, piscium greges terrentur et perturbantur, eorumque domicilia ad fetificandum apta evertuntur. Neque vero antiquis temporibus migrationes sibi constitisse e nonnullis vestigiis fortasse concludas: velut ex thynnidum defectu nonnunquam intercedenti (Aristot. VI 105, suspecto quidem loco; v. s. p. 17); eiusmodi thynnorum defectus ad Cyprum insulam observatus apud Plinium (XXXVII 66) de metu oculorum leonis marmorei nimis radiantium deducitur; ac potissimum quidem huc pertinet locus ille Pausaniae (X 9, 3), quo refert narratiunculam de Corcyraeis oraculum Delphicum adeuntibus, novo ac repentino thynnorum adventu commotis.

IV.

De variis thynnos capiendi rationibus.

Iustum thynnos capiendi tempus orditur ab ortu Vergiliarum — inter XV et XIX diem Maii — ad extremum Arcturi occasum usque — inter XXI et XXV diem Octobris —, reliquo tempore quiescunt in latibulis; interdum per id temporis capiuntur, cum pro-

deunt paululum e cubilibus locorum tepore aut insolita tempestatis serenitate aut pleniluniis excitati (Aristot. VIII 101; Plin. IX 53).

Captura thynnorum, θυννεία[1]) vel κητεία, ut dicere assolebant Itali et Siculi (Ael. XIII 16), item captura pelamydum, πηλαμυδεία (Strab. XII 3, 19 p. 549), permultis ac plane diversis modis exercebatur (Philostr. icon. XIII p. 390: ἰδέαι καθ' ἃς ἁλίσκονται μυρίαι): atque ut omittam id quod nisi casu accidere non poterat, ut pelamydes in portu Byzantii pro incredibili fere piscium frequentia in sinuum angustias fluctu compulsorum interdum manibus comprehenderentur (Strab. VII 6, 2 p. 320), thynni aut hamis aut retibus iaculisve aut fuscinis aut venenis capiebantur (cf. Philostr. l. c. φάρμακα ἐπιπάσαι).

Quod attinet ad ultimam quam attuli piscandi rationem, Oppiani locum adeamus quo describit piscatum id genus (hal. IV 647 sqq.): postquam pisces reticulis densioribus atque contorum remorumque impulsu in unum locum frequentibus latibulis et cavernis praeditum coacti et retibus circumvallati sunt, placentis ex argilla pingui ac radice quadam congestis, κυκλάμινον quam vocant medici, mare inficitur ac venenatur: illi venenis graveolentibus e latibulis propelluntur et tanquam vino gravati usquequaque versantur, donec animam exspirant et infinita cadaverum turba mare obtegit. Rapacem istam atque immanem piscationem a Phoenicibus inventam esse concludas forsitan ex Aristotele (VIII 132), qui pisces plomo seu phlomo interfici docet (τῷ πλόμῳ, φλόμῳ vulg.): ideoque in fluviis et lacubus capi a ceteris, a Phoenicibus etiam pisces marinos. Plinius verbascum interpretatur (XXV 8, 54; cf. Corp. gloss. lat. II p. 580: Flomus ⟨herba lucernaris que uerliascus [sic] dicitur⟩), qua de herba legimus apud Bergium (Mat. med., 1778, p. 117): 'vis plantae stupefaciens ex eo demonstratur, quod pisces a seminibus adeo stupefacti evadunt, ut manibus capi possint.' Barbasco herba hodie adhibetur ab Indianis ad lacus piscandi causa venenandos (Carus, Gesch. d. Zool., p. 718); in archipelago Sundas insulas alluenti radicibus ac foliis herbae cuiusdam — Dalbergiae ut videtur — pisces obstupefiunt eodem successu (cf. Amtl. Berichte d. internat. F.-Ausst. z. Berl. 1880, p. 82 sq.); apud nos quoque piscatores improbi ac praecipue piscium fures interdum utuntur Cocculis Indicis s. Levanticis in farinam redactis — 'Kokkelskörner' vel 'Fischkörner' lingua vernacula appellantur — quo tamen veneno ipsae piscium carnes inficiuntur (cf. Brockhaus, Conv.-Lex. s. v.).

Hamis sidereis thynnos capi, permagnis sane atque validis, apud Celtas et Massilienses et tota ora Liguriae refert Aelianus (XIII 16): eiusmodi hamum ad anthiarum capturam usurpatum describit Oppianus (III 285 sqq.), ex aere duro aut ferro factum, duabus cuspidibus praeditum, valido et bene plexo fune destinatum. Orcyni hamo

---

1) Zonar. Lex. s. v. θυννεία· ἡ τῶν θύννων ἄγρα, ad quod vocabulum adnotat Tittmann: 'addatur lexicis, quae nomen substantivum ignorant.'

transfixi statim in ima maris submerguntur et ore ad solum illiso hamum expellere conantur, ac vulnere capitis pulsatione dilatato cuspidem exspuunt (Opp. III 132 sqq., Ael. I 40); nec raro accidit ut orcynus supra spinam acutam morsu dissecet lineam atque aufugiat, sicut authias, callichthys, alii pisces cetacei (Opp. ibid. 333 sqq.).

Ad thynnos inescandos non modo piscibus hamo infixis veteres utebantur, velut coracino (Opp. III 184) aut asello (ibid. 191), sed etiam escis e variis remediis callide ac sollerter congestis; escae fabricandae praeceptum in thynnis solis utendae legimus Geopon. l. XX c. 34: 'Nuces iuglandes exurito donec cinis fiant et cum sampsucho terito et cum pane puro aqua madefacto, ac caseo caprino trito in massas cogito atque utitor.' Etiam portulaca premnades inescatae esse videntur (cf. Plat. com. ap. Ath. VII p. 328 f.: ἁλιευόμενός ποτ' αὐτὸν εἷλον ἀνδράχνῃ μετὰ πρημνάδων). Sed vanis quoque illecebris pisces nostri irritabantur qua sunt voracitate, velut pelamydes esca ex purpura Lacaena confecta et lana involuta aut lari penna (Ael. XV 10).

Thynno ipso callichthyes inescabantur (Opp. III 191), eiusque iecur aliquam inescandi vim habere creditum esse, e praecepto excellentis escae cognoscimus nihil aliud nisi adultos mugiles venantis (Geopon. ibid. c. 16): 'Hepatis thynni drachm. IV, squillarum marinarum drachm. VIII, sesami drachm. IV, fabae fresae drachm. VIII, amiarum crudarum drachm. II; trita haec sapa destillata excipe et collyriis inde formatis escae loco utere.'

Retium ad thynnos capiendos adhibitorum forma et amplitudo varia erat: usurpabatur a veteribus modo brevius iaculum (Herod. I 64 βόλος), modo rete, δίκτυον (Aristot. V 32, Opp. III 641, Suid. s. v. θυννοσκοπῶν), aut parvum, si cui grex exiguus quoque sufficeret (Philostr. l. c.), aut rete amplius, profundum et quod claudi poterat (βαθεῖ καὶ κλειστῷ δικτύῳ ibid.), superne suberibus suspensum infra plumbo gravatum (Ael. XV 5; cf. δίκτυον ἀκρομόλιβδον Maced. in Anthol. Pal. VI 30, δίκτυα μολίβῳ στεφανούμενα, δυσιθάλασσα Phil. Thess. ibid. VI 38; — λίνον ἀκρομόλιβδον VI 5, 3), modo permagna sagena raro nodorum nexu fabricata (Lucian. Tim. c. 22; σαγήνη θυννευτική ibid. epist. Sat. 24), quacum comparat Lucianus vestem in modum cribri a muribus corrosam (l. c.); eodem certe referendum est 'εὐκλώστοιο λίνου βύσσωμα' Maecii (Anthol. VI 33, 3), quo velox thynnorum gyrus (θύννων ῥόμβος) cingitur (cf. σαγηνευτῆρες ibid.); sagena totus fere sinus circumdatur apud Alciphronem (I 17, 2), qua pro magna thynnorum pelamydumve copia ingentis cameli cadaver iam putrescens ac vermibus scatens protrahitur; cf. Manil. V 676: vasta sagena. Thynnis scombrisque haud raro accidere perhibet Oppianus (III 596 sqq.), ut non in ipsum retis ventrem incidant sed obliquis irruant dentibus, semitam corporibus sufficientem meditantes; in dentibus vero infixis humidum rete inhaeret et tanquam frenis impositis vincti capiuntur sua ipsorum stultitia.

Fuscina tribus cuspidibus praedita[1]) et ab antiquissimis temporibus inter piscationis instrumenta maxime necessaria habita, praecipue in captura thynnorum usurpabatur cum ad singulos fortuito ictu percutiendos tum ad pisces retibus circumvallatos atque in arctum coactos universa caede profligandos (cf. Apostol. VIII 96: θυννίζειν· ἀντὶ τοῦ κεντᾶν. τριαίναις γὰρ τοὺς θύννους κεντοῦσιν, Arsen. XXX 19, Diog. V 22; schol. Vesp. 1087: θυννάζοντες· κεντοῦντες ὡς τοὺς θύννους τοῖς τριόδουσι, Hesych., Phot., Suid.). Neptunus fuscina armatus, qui ad litus maris thynnos speculari videtur, interdum occurrit in gemmis: saxo insidens, Müller-Wieseler, Denkm. d. a. K. II, [3]1877, tab. VII 77[b], p. 53, lapidi insistens pede sinistro, Overbeck, Griech. Kunstmyth. II tab. gemm. II 5; Neptunus in hippocampo equitans dextraque fuscinam vibrans, qui conspicitur in numo electreo Cyziceno, non tam mare concitare videtur quam thynnos venari (cf. Müller-Wieseler, l. c. tab. VII 79[c], p. 53, = Overb., l. c. tab. num. VI 22). Germanos quoque piscatores hoc instrumento utentes videmus, velut in sarda collectionis Imp. Vindob., in qua vir barbatus insculptus est, veste brevi et pileo fastigato tectus, qui ad piscatum contendit sinistra fuscinam, dextra rete tenens; in alia gemma lapidis et possessoris ignoti vir nudus cernitur in lintre stans, qui altera manu fuscinam tenet, altera vasculum (Compte-rendu 1867, p. 95). Rete plumbo gravatum circa fuscinam nexum tanquam rei piscariae insigne occurrit in Macedonii epigrammate (Anth. VI 30, 1). Retis cum tridente coniunctionem nihil habuisse insoliti ex armatura retiariorum cognoscimus, qui utroque telo instructi erant: hanc dimicandi

1) τρίαινα, τριόδους, τρίοδος (Hesych.), θρῖναξ (ibid. s. v.), ἰχθυόκεντρον (Hesych., Phot., Suid.), ἰχθύκεντρον (Poll. on. X 133, Pausan. ap. Eustath. p. 811 = Phot.); fuscina, tridens latine. Apud poetas variis attributis hoc instrumentum exornatur variisque verborum ambagibus notatur: κητοφόνον τε τρίαιναν, ἐν ὕδασι καρτερὸν ἔγχος, Philipp. (Anth. VI 38, 3); τανυγλώχινι τριαίνῃ Qu. Smyrn. VII 574; τρηχύν τε τριόδοντα, Ποσειδαώνιον ἔγχος Leon. Tarent. (Anthol. VI 4, 5); αἰχμῇ τριγλώχινι πεπαρμένον Opp. hal. III 553 contra gladium piscem; σιδηρείοισι . . . αἰχμαῖς τριγλώχισι ibid. IV 252 sq.; ῥιπῆς τριγλώχινος ἀμειλίκτοιο τυχόντες . . . θύνουσι ibid. 646; — ἰχθυβόλος μαχανά Aesch. Theb. 123; τομὸν βέλος Man. Phil. anim. propr. 1561; σίδηρον ἔστιν ἐπ' αὐτοὺς (scil. θύννους) θήξασθαι Philostr. icon. XIII p. 390; ferroque necantur Manil. Astron. V 666; — utrum reti an telo audiendum sit sane dubites Ovid. a. a. I 763 sq.: 'Hi iaculo pisces, illi capiuntur ab hamis, Hos cava contexto retia fune trahunt'; sed quoniam hamorum et retium una mentio fit haud scio an telum subdere malis, ut tria diversa piscandi genera commemorentur. — Piscator: ἰχθυβόλος Opp. III 631, Maneth. VI 452, ἰχθυοβολεύς Hesych., Phot., Suid.; ars fuscina feriendi: τριοδοντία Plat. Soph. p. 220e, τριοδοντική Poll. on. VII 139. — Inter venationis instrumenta αἰχμὴν τριγλώχινα memorat Oppianus (Cyneg. I 152), τρίστομος αἰχμά occurrit in Agathiae epigr. (Anthol. VI 167, 3). In imagine venationis Calydoniae, nigris figuris in patera Archiclis et Glaucytae picta, Meleager et Mopsus fuscinis armati sunt (Gerhard, Auserl. Vbb. IV n. 333); in patera archaica Camiri reperta Bellerophontes Pegaso exsilienti insidens dextra fuscinam tenet (Archaeol. Ztg. XXIV 1866, p. 296). — cf. Wieseler, De vario usu tridentis (Ind. schol. Gotting. hib. 1872/73).

rationem e piscatorum consuetudine depromptam esse, iam e pisce apparet secundum Festum galeae murmillonum affixo (cf. P. I. Meier, De gladiatura Romana, 1881, p. 36) et e versiculo, quo illi adversarios perstringere solebant (Festus s. v. retiarius; cf. Mart. V 24, 12: Hermes aequoreo minax tridente). Nihil ad hoc notus ille Pittaci dolus, qui Phrynonem reticulo sub scuto abscondito illaqueatum interfecit (Polyaen. strateg. I 25; Diog. Laert. I 74): Strabo fuscinam quoque ei tribuit (XIII 1, 8 p. 600), nimirum ut pugnam illam insignem retiariorum gladiaturae quasi exemplar statueret aeque ac Romanorum antiquarii (cf. Fest. l. c.; Friedländer, Mus. Rh. X n. s., p. 584).

Speculae thynnariae, θυννοσκοπεῖα, aut in loco aliquo edito erant (cf. Theocr. III 25 sq.; Strab. V 2, 6 p. 223. 2, 8 p. 225. XVII 3, 16 p. 834; Opp. IV 637) aut in malo alto (Varr. ap. Non. I p. 49; Philostr. l. c.: ἀφ' ὑψηλοῦ του ξύλου); machinam paulo artificiosiorem e binis tignis abiegnis procerissimis exstructam, quae trabibus latis et crebris immissis et intercepta et iuncta sunt, describit Aelianus (XV 5). Etiamnunc in utraque ora Bospori Thracii lignea tabulata exstruuntur alte in mare prominentia — 'dalian' quae vocant Turci —, unde e corbe vel tabernula craticia piscatores per complurium horarum spatia immoti greges piscium speculantur ac potissimum gladiorum, qui summum aestimationis fastigium illic hodie obtinere videntur (cf. v. Hammer, Const. u. d. Bosp., 1822, I p. 47. II p. 444; Walsh, Const. u. s. Umgebgn., 1841, p. 133); item in oris Ponti Euxini alti mali eriguntur oblique super mare vergentes et corbe aliqua praediti (cf. Kohl, Reisen in Südrussl. I p. 177): iam e longinquo inde cognoscunt piscatores genera piscium appropinquantium et ex umbrarum discriminibus quae in summo mari cernuntur (cf. Alciphr. I 17, 1: ... ὁ σκοπιουρὸς . . . φρίκῃ σκιερὰν κατὰ μέρος τὴν θάλατταν ἰδὼν ἀνεβόησεν, ὡς πλήθους ὅλου προσιόντος θύννων ἢ πηλαμύδων) et e genere ludendi; nec solum crispulum undarum motum observant, qui pertinet ad variationem flatuum, sed etiam aquarum fluxum nequaquam sibi constantem, qui plurimum valet ad meatus piscium (ibid. p. 178). Speculator — θυννοσκόπος, σκοπός, Ael. XV 5, σκοπιουρός Alciphr. I 17, 1; θυννοσκοπεῖν, σκοπιάζεσθαι Theocr. III 26, σκοπιωρεῖσθαι Philostr. l. c. — thynnorum adventum indicat eorumque numerum quem computat e cubica singulorum gregum ratione (κιούσας παντοίας ἀγέλας τεκμαίρεται αἵτε καὶ ὅσσαι, πιφαύσκει δ' ἑτάροισι Opp. III 638 sqq.), et omnino totam piscatorum expeditionem iussis dirigit: quare et oculorum acie et ratiocinandi facilitate et vocis claritate praeditus sit oportet (ταχὺς μὲν ἀριθμῆσαι, τὴν δὲ ὄψιν ἱκανός, ... βοῆς τε ὡς μεγίστης δεῖ αὐτῷ πρὸς τοὺς ἐν τοῖς ἀκατίοις Philostr.).

Thynnorum capturam in Ponto Euxino usitatam Aelianus nimia ut assolet loquacitate 'velut quidam eloquentiae institor' in hunc fere modum describit (XV 5): Singulae naves utrimque sex remos ac iuvenes expedite remigantes habent; retia bene longa sunt, non admodum levia, et quae magis deprimantur plumbo, cum sursum attol-

lantur suberibus; speculator sicut dux exercitus vel choro praefectus imperio expeditionem dirigit; illi vero, alligato ad alterum tignum quod speculam sustinet (v. p. 46) perlongo retium fune, naves ordine remis propellunt, ita ut invicem non separentur, quoniam rete in singulas naves distributum est; prima navis, ubi suam retis partem eiecit, discedit; hoc idem facit deinceps secunda et tertia et quarta; qui quintam remis impellunt, interim cunctantur neque unquam laxare debent; deinde alii alio remigant et pro se quisque retis partem trahit, postea quiescunt. Thynni vero circumvallati per ignaviam et timiditatem non se loco movent, itaque conferti comprehenduntur.

In mari interno primam capturam habent Iberi, secundam Celtae ad Rhodani ostium et Massilienses, tertiam Siculi marisque Tyrrheni accolae (Opp. III 620 sqq.): designatur locus maris nec valde angustus neque admodum ventis expositus, nec nimis apricus nec nimis opacus; simulatque nuntiavit speculator thynnorum greges quales et quanti sint, retia cuncta procedunt tanquam urbs; in reti vero vestibula insunt et ostia et intima atria (ἐν δὲ πυλωροὶ δικτύῳ, ἐν δὲ πύλαι μύχατοί τ' αὐλῶνες ἔαςιν v. 641 sq.; cf. Lucian. Tim. c. 22: θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν); thynni vero certis ordinibus ut phalanges virorum tributim incedentium appropinquant, et quidem iuniores et maiores et mediam aetatem agentes: atque innumeri in retia incurrunt donec ipsa plenitudo capturae finem imponit. — Captura nonnunquam tam larga est, ut piscatores ancipites quid tanta multitudine faciant, rete aperiant et praedae partem elabi patiantur (Philostr. l. c.). — In retibus constipati fuscina trucidantur, ut sanguine mare inficiatur; in ipso litore in artus scinduntur atque in varios usus pulpamenta distribuuntur (Manil. Astron. V 666 sqq.).

Interior retium institutio illustratur ingentibus retium saepimentis in modum labyrinthi constructis, quae in oris Hispaniae, Francogalliae, Italiae, Sardiniae, Siciliae, Dalmatiae nostris temporibus per totum annum in mari defixa sunt nec nisi magnitudine sumptibusque impensis profecto differunt ab illis veterum machinationibus. Quae tanquam castella marina — 'tonnare' quas vocant Itali, 'madragues' Francogalli — e validis funibus constructa atque ancoris plumbeisque ponderibus lapidibusve in fundo maris devincta sunt in fretis vel inter insulas a thynnis praecipue frequentatas. Saepes illa retibus munita undique clausa est praeter unam portam, ad quam retia usque ad litus decurrentia piscibus aditum praebent (Oppiani πυλωροί, cf. schol. v. 641: εἴcοδοι, μεγάλαι; 'coda', 'la chasse').[1] Simulatque intraverunt thynni primum conclave ('foratico'), aditus reti obseratur et porta interna alio reti suspenso ape-

1) Quoniam ostium piscium agmini oppositum esse oportet in certa tonnara aut meantium thynnorum greges aut remeantium tantum captari possunt: quare complures duobus ostiis praeditae sunt aut alternum introitum parant piscibus (cf. Pavesi, l. c. p. 319).

ritur, per quam pisces clamoribus (cf. Philostr. l. c.: βοὴ δὲ ἦρται τῶν ἁλιέων) ac remorum plausibus in aliud indaginis spatium agitantur: magnus persaepe conclavium numerus suppeditat portis inter se coniunctorum (Oppiani πύλαι μύχατοί τ᾽ αὐλῶνες, cf. schol. v. 642: βαθύτατοι, τελευταῖοι), quae a piscatoribus iocose nominibus ex aedium institutione petitis appellata sunt; tonnarae pars principalis ('isola') in 2—9 spatia distributa est (cf. Lindeman, Seefischerei p. 107). Ultimum spatium e validioribus funibus cannabinis gravioribusque ancoris constructum ad caedem thynnorum destinatum est ('camera di morte' vel 'corpo' italice, 'corpou' francogallice): sola haec cella letalis angustioribus maculis texta fundum habet, quippe quae cum thynnis captivis suspendatur; interdum huius quoque parietes ancoris devincti sunt ideoque rete ad libellam transmissum sublime attollitur ('letto, lavaria', ibid. p. 109). Thynni undique hastis ac telis[1]) obruti et omni spe salutis iam desperata magna vi ac pernicitate huc illuc feruntur (θύννων ῥόμβον vocat Maecius, Anthol. VI 33, 3), aquam pinnis in cymbas iaculantur, retia dirumpunt, cerebella in scopulis vel ancoris vel ipsis hostium navigiis saepe elidunt (cf. Brydone, Reise d. Sic. u. Malta, 1774, II p. 176 sqq.). Conscientiam malam cum isto thynni irretiti furore comparat Plutarchus (de sera num. vind. X p. 554) versu poetae cuiusdam citato: 'θύννος βολαῖος πέλαγος ὡς διαστροβεῖ', eodem fori eloquentiam concitatam atque impetuosam (v. Lucull. I p. 491). — In ora Francogalliae minora retium munimenta usurpantur in cochleam figurata, quae soli thynnorum capturae addicta sunt ('thonnaires'): qui quidem semper fere mortui inde promuntur, cum branchiis ipsorum constipatione occlusis suffocentur, quare maiora saepimenta ('madragues'[2]))

1) Rationi magis convenienter nuper thynnorum captura exerceri videtur, cum piscatores abstineant fuscinarum telorumque ictibus caecis ac fortuitis piscium pretium imminuere; certissime quidem Carolus Vogt (Bilder a. d. Thierl, 1852, p. 20sq.) in descriptione piscatus ad Sanctum Hospitium facti pro meris somniis eiusmodi narratiunculas impugnat: aut manibus aut laqueo circum rimam branchialem iacto prorsus inviolatos e mari caute protrahi thynnos et mature suffocari lamellis branchialibus aëre exsiccatis; ne nimis extendatur mortis discrimen, quo temporis momento summo furore debacchentur bestiae immanes, cum protrahantur aut iam in naviculam coniectae sint necari cultello subter iugulum in corde defixo, neque alio omnino uti piscatores instrumento quam cultello ad usum cotidianum destinato.

2) madrague vel mandrague a nonnullis derivatur a μάνδρα, quae vox saeptum vel stabulum significet et iam apud Massilienses veteres ad talem apparatum notandum in usu fuerit; sed si rectiorem vocabuli formam 'madrague' (cf. Dictionn. de l'Ac. franç. s. v.) comparamus cum Hispano 'almadraba (-illa)' et Lusitano 'almadrava', haud scio an assentiamus Littraeo (Dictionn. de la langue fr., Suppl. p. 218), qui derivat vocabulum ab Arabico 'almazraba' „enceinte de filets pour prendre des thons, de zaraba, enclore (Dozy)", praesertim cum Hispana thynni vocis forma ipsa 'atun' Arabicam formationem prae se ferat (al-tun, vel l litera assimilata at-tun, atun); accedit quod apud Italos quoque is, penes

illis praeferuntur ad quodvis piscium genus capiendum apta (cf. Millin, Voy. dans les dép. du Midi, p. 470). — Tam ingentes machinationes non a quopiam piscatore suscipi posse remque esse sumptuosissimam ac iam antiquitus fuisse, luce clarius est: a negotiatore quodam piscatores mercede conducebantur, qui capturam exercerent sub imperio viri piscatus illius periti, qualis est ὁ τῆς θήρας ἡγεμών apud Philostratum (cf. 'reïs', 'roi de la madrague'); etiam publice thynnorum piscatus locabatur velut Halis Aexonidibus (v. p. 31). Nostris temporibus ubique haec thynnorum piscatio publice locata est neque eam quovis loco exercere licet, ne navigatio atque commercium impediatur; impensae annuae quibus opus est ad locandum et conservandum eiusmodi apparatum L milibus fr. aestimantur (cf. v. Maltzan, Reise a. d. I. Sard., p. 515).

Pelamydum primam quidem capturam sed perexiguam ob pisciculorum parvitatem Trapezus et Pharnacia habebant. Posterioris urbis incolae potissimum rei metallicae et piscariae operam dabant ac praecipue pelamydum et delphinorum, qui greges piscium sectantes, cordylae et thynnae et pelamydis, pingues reddebantur ac facile capiebantur, cum petulantius ad terram appropinquarent; inescatos delphinos concidebant eorumque adipem copiosum ad omnis generis usus adhibebant (Strab. XII 3, 19 p. 549); ac sane apud Mosynoecos, qui illam regionem incolebant, Graeci cum Xenophonte e Cyri minoris expeditione revertentes delphinorum frusta in amphoris sale condita invenerunt eorumque adipem vasis reconditum, quo illi item uterentur atque Graeci oleo (cf. Xenoph. anab. V 4, 28). — Secundam capturam commodiorem iam ac lucrosiorem Sinope exercebat, quae urbs lacubus admiratione dignis ad pelamydes capiendas institutis insignis erat, tertiam omnium largissimam Byzantium et locorum opportunitate et piscium tempestivitate, ut latius supra explicavi (cf. Strab. VII 6, 2 p. 320. XII 3, 11 p. 545. 3, 19 p. 549).

Rationem aliquam pelamydum capiendarum describit Oppianus (IV 562 sqq.): retia e lino levissimo fabricata in orbem agitantur sub crepusculum et pelamydes, quippe quae timorem tenebricosum habeant (φόβον ὀρφναῖον v. 564), remorum contorumque strepitu perterritae in retis sinum impelluntur, quod piscium turba timida refertum funibus utrimque aptis ad litus festinanter extrahitur: 'nisi vero ipsis deorum aliquis marinorum irascatur, saepe etiam terrestre supra litus tractae extra mare, nolunt relinquere linum, sed inhaerent ipsum funem tortuosum pertimescentes.' — Aliam piscandi rationem haud sane pervulgatam explicat Aelianus (XV 10): decem iuvenes

---

quem summum capturae imperium est, 'reïs' appellatur, quae vox in lingua Arabica praesidem vel ductorem significat; unde concludere licet, Arabes etiam thynnorum captura antea eminuisse (cf. Brehm, Thierl. VIII p. 98). Ac sane vero simile est, cum peculiari apparatus institutione etiam appellationes ex Arabum lingua Hispaniam olim obtinentium receptas esse.

ad summum aetatis vigorem florescentes navem expeditam atque celerem conscendunt, et cibo admodum satiati aequabiliterque in utrumque navis latus distributi remigare contendunt atque huc illuc vagantur; unus eorum, ad puppim sedens, binas lineas hamis armatas, ad quas aliae quoque adnexae sunt, ad utramque navis partem demittit: singulis hamis esca inhaeret ex purpura Lacaena confecta et lana involuta vel lari penna, ut ab occurrente aqua sensim et leviter agitetur. Pelamydes vero hac esca allectae in hamos innatant, ac si una earum liguritione stimulata morsu escam appetierit, ceterae quoque consequuntur, ut hami multitudine piscium uno tempore transfixorum vexentur: iuvenes vero remigare desistentes de transtris surgunt ad extrahendas lineas piscium multitudine onustas.

Prorsus aliam piscandi rationem Thracibus peculiarem, quam hiberno tempore in Melane sinu adhibeant, depingit Oppianus (IV 531 sqq.): est quaedam firma trabs, cubitalis in longitudinem, crassitudine quam maxima, multa plumbi infusione gravata et multis densisque ferri cuspidibus trifidis armata; funis procerissimus eam circumdat. Piscatores in altum navigantes in gurgitem demittunt trabem abiegnam, quae plumbo atque ferro deorsum vergens in fundum maris fertur et pelamydibus in limo abditis illiditur; tum illae ferreis mucronibus percussae variisque vulneribus laceratae, ut vel ferocem virum misereat immanis piscationis, extrahuntur.

Quod attinet ad tempus diurnum, quo piscatum exercere oportet, generatim adnotat Aristoteles (VIII 129), pisces praecipue ante solis ortum et post solis occasum captari et omnino circa solem orientem vel occidentem: quos quidem iactus appellari tempestivos (ὡραίους βόλους); similiter Oppianus (IV 640): τοὺς μὲν ὑπηματίους, τοὺς δ' ἕσπερος εἷλε δαμέντας; vespertinam pelamydum capturam, quam depingit idem, modo commemoravi. Neque ignota erat nocturna facibus accensis piscatio (cf. Aristot. IV 115: ἐν ταῖς πυρίαις ἁλίσκονται; πυρευτική Plat. Soph. p. 220d, Poll. on. I 96. 97, VII 139), quae sicut hodie saepe exercetur ad thynnos capiendos velut in Bosporo Thracio, certe antiquitus quoque exercebatur, ut concludere licet e nonnullis locis: in Tridente poeta quidam (Philippides? ap. Ath. XV p. 699f) fuscinam et lychnuchum arripere iubet aliquem et eundem bestiarum aquatilium telum ferreum ac laternae corneae fulgorem dextra tenentem facit; eodem pertinet Oppiani locus quo aperte alludit ad etymon quod latet in thynni voce (IV 644 sqq.): ἔνθ' οἱ μὲν πεύκης λιπαρῇ φλογὶ καγχαλόωντες ἀμφ' ἀκάτῳ θύνουσι, κακὸν δ' ἴδον ἑσπέριον πῦρ, ῥίπης τριγλώχινος ἀμειλίκτοιο τυχόντες (cf. ibid. I 181: θύννοι μὲν θύνοντες); idem forte suspiceris e similitudine qua utitur Qu. Smyrnaeus (VII 569 sqq.), qui Neoptolemum hostes trucidantem comparat cum piscatore pisces taedae ardentis splendore allectos fuscina percutienti.

Tanti momenti rem quanti thynnorum piscatum antiquitus pensum videmus non sine sacris precationibusve susceptam esse nemo

veterum religionis ac morum peritus negabit. Et quidem testatur Antigonus Carystius (ap. Ath. VII p. 207d), piscatores vel, si probamus Wilamowitzii coniecturam Αἰολέας pro ἁλιέας, Aeolios Neptuno sacra fecisse quo tempore thynnorum captura instaret et primum quemque thynnum deo immolasse, si prospere captura successisset: haec sacra θυνναῖα appellata esse. A Corcyraeis ex oraculi responso ille taurus Neptuno immolatus est, qui insolita agendi ratione effecerat ut innumeri thynnorum greges reperirentur nec praetermiserunt iidem, oraculum Delphicum et Olympicum donis ex decima lucri parte dedicatis exornare (Paus. X 9, 3).[1]) Etiam inter piscandum, cum iam retibus thynni circumscripti sunt, Neptuno malorum depulsori (Ποσειδῶνι ἀλεξικάκῳ) piscatores vota faciunt, ne vel gladius piscis vel delphinus thynnorum agmini captivo accedat, cum saepe gladius reti dirupto viam aperiat gregi irretito, et delphinus dentibus rete discerpere noverit (Ael. XV 6). Haud secus pelamydum piscatores frequentibus votis adeunt deos piscatorios, ne quidquam aut extra linum saliat aut commotum viam ostendat, cum si viderint pelamydes celeriter omnes leve linum transsiliant piscatumque irritum faciant (Opp. IV 577 sqq.).

In oris Italiae et Francogalliae hodie universus concurrere solet populus quo die thynni in tonnarae cella letali ad necem destinati communi caede profligantur ('mattanza') non sine summa omnium concitatione id quod vividissime ac lepidissime depingit Carolus Vogt (Bilder a. d. Thierl., 1852, p. 1—26). Nec desunt spectaculo officia divina, cum retia sollemniter a clericis consecrentur et piscatores ex Sanctorum numero ei quem thynnorum capturae praesidem ac patronum sortiti sunt praedae partem dono offerant (cf. Cetti ap. Brehm., p. 98. 100). Ceterum commemorandum est, nuper thynnorum piscatum paulatim decrevisse, cum vix ulla res plenior sit aleae: quoniam enim valde vacillant piscium migrationes, ut supra dixi, saepissime fit ut minime respondeat totius piscationis quaestus sumptuosissimis retium machinationibus, qua de causa complures tonnarae temporum decursu ad incitas redactae sunt. Accedit quod pretium magis magisque vilius factum est, et quod in Italia multimodis a ieiuniorum praeceptis ecclesiae abalienari coeptum est, et quod thynni caro gravis et difficilis ad concoquendum habetur atque cholerae urgentis temporibus omnino a medicis vetari solet (cf. v. Maltzan, Reise a. d. I. Sard., p. 515; Neigebauer, D. Ins. Sard., 1853, p. 113).

1) Haud ab re duxerim commemorare, nuper in Olympiae excidiis, imperii Germani sumptu effossis, basim atque cornu tauri aenei Eretriorum reperta esse, cuius una cum tauro Corcyraeorum, Theopropi Aeginetae opere, mentionem facit Pausanias (V 27, 6); cf. Bötticher, Olympia, [2]1886, p. 346.

V.

Gastronomica.

Saepissime nobis occurrunt apud scriptores veteres praesertim Graecos praecepta quae pertinent ad artem coquinariam: quando quodque animal evadat tempestivum et optimo sapore praeditum, et quae sint aptissimae cibos praeparandi atque exornandi rationes. Archestratus doctrinae coquinariae arbiter ac princeps in Hedypathiae libro (de titulo cf. Corpusc. poes. ep. gr. ludib. I ed. Brandt., p. 121) totius carminis argumentum ponit in docendo, qui et qualis piscis suavissimum cibum praebeat, qui maxime sit tempestivus quique aptissime edatur aut Arcturo aut Vergiliis aut Canicula illucescentibus (fr. III Br.); coquus quem in Syntrophis universae culinarum scientiae summam promentem facit Damoxenus, permagni pendet novisse qui piscis Vergiliarum occasu aut solstitiali tempore optimus sit: motus enim locorumque mutationes alimentorum variationem efficere; quod vero suo tempore captum sit iustam gratiam referre (ap. Ath. III p. 102c). Et quidem in pisce maximi est momenti, sitne tempestive captus (ὡραῖος; ὥριμος Nicomach. ap. Ath. VII p. 291b) an intempestive (ἄωρος), cum interdum thynno melior sit boax (Nicom. l. c.). 'Omnino epularum luxuria apud Graecos quidem tantum aberat ut in edacitatem brutam ac barbaram degeneraret, ut contra in subtili quodam palati iudicio posita esset, quod cibis quibusdam velut certis certorum piscium partibus certam aetatem adeptorum certisque locis captorum ficticiam quandam aestimationem tribueret' (cf. Neumann-Partsch, Phys. Geogr. v. Griechenl., 1885, p. 41).

Post Arcturum thynnus ad priorem carnis praestantiam redit, quoniam illo tempore ab asilo vexari desinit: quare per aestatem deterior est (Aristot. VIII 88); pinguissimus evadit e latibulis et capitur interdum inter latitationem, quo tempore plurimi pisces suavissimi esse solent (ibid. 101 sq.); primades verno tempore prodeunt e cubilibus et ad litora accedunt coeundi et fetificandi causa, et tum ipsum tempestivi esse putantur, auctumno et hieme deteriores: capiuntur vero illo tempore gravidae itemque mares semine genitali referti; pelamydem aestate Bosporitae tempestivam esse ait Sophocles (fr. 460, ap. Ath. VII p. 319b: ὡραία θέρους, id quod interpretatur Hesych. s. v. πάραυλος: ἡ κατὰ τὸ θέρος ἀκμάζουσα).

Iam recenseamus veterum iudicia de bonitate thynnorum facta!

Canes marini, cetaceis piscibus adnumerandi, durum ac praegravem carnem habent ideoque in frusta concisi et saliti plebeium edulium praebent, quoniam iniucundi ac mucosi sunt: quare cum sinapi vel oleo acetoque vel acri eiusmodi iure eduntur; eiusdem generis sunt balaenae, delphini, phocae, ad quas prope accedunt thynni grandes, non tamen similes esus iucunditate: sunt enim iniucundi ac potissimum quidem recentes, saliti meliores fiunt; minorum

vero natu ac statura caro minus dura est, ut aptiores sint ad coquendum, multoque magis excellunt pelamydes, quae etiam salitae optima salsamenta aemulantur; ac plurimae quidem ex Ponto exportantur, quae non nisi Sardicis et Ibericis superantur iucunditate ac teneritate carnium praestantissimis (Galen. anim. aqu. fac. p. 350). Senes thynnos ne ad saliendum quidem idoneos esse ait Aristoteles (VIII 176), cum plurima carnis pars colliquescat; orcynum coenum resipere iudicat Diphilus (ap. Ath. VIII 357a: βορβορώδης). Thynnum eximiae magnitudinis circa Samum insulam capi, orcyn vel cetus qui appelletur, Archestratus docet (cf. XXXIV Br.), quem dis opsonari oporteat nec de pretio litigare (?)[1]; generosus thynnus Byzantii et Carysti capitur, multo etiam maiores Cephaloedis ac Tyndaris ora alit, longe vero, longe omnium praestantissimos Hipponium praebet, Proserpinae bene coronatae sedes (Περσεφόνης ἕδος εὐστεφάνου e coniectura Kaibelii pro ἑρπετὸν εἰς ὕδατος στεφάνους), qui summum obtinent victoriae culmen; qui vero inde per longa maris spatia vagati sunt, intempestivi iam ab Archestrati popularibus capiuntur (ibid.). Inter pisces plurimi a veteribus aestimatos thynnus Tyrius laudatur (Poll. VI 63); Carthaginienses thynnos magnitudine et obesitate insignes, qui oceani locis fucorum et algarum plenis capiebantur, tantopere in deliciis habebant, ut non exportarent sed in suo ipsorum usu consumerent (Ps.-Aristot. mir. ausc. 136). Lucilii temporibus non defuerunt qui thynno capto gobium excluderent foras (fr. inc. 179 M.); pelamydum praestantia Chalcedon prae ceteris urbibus florebat secundum Varronem (ap. Gell. VI 16, 5). Admodum maligne de thynnis ac pelamydibus iudicat Prodromus monachus, infimae graecitatis versificator, in carmine quo invehitur in abbatum luxuriem (contra Hegum. ed. Corais, 224 sqq.): aegre afferri sibi thynni frustum pusillum (θυννόκομαν δαμάκιν), immundum, marcidum, insulsum, foetidum (βρωμιάριν, cf. ibid. 102 ἢ θῦνα ἢ βρωμιαρέα, 223 θύνναν βρωμιαρέαν, 321 θύναν τὴν βρωμισμένην; 246 παλαμίδαις σαχναῖς καὶ βρωμισμένες), quod inter apparandum evanescat e scutella; palamidas, nihil nisi palamidas! iam aegrotare sese ex esu palamidarum nec multum abesse quin pereat; quoquo se vertat palamidam sibi occursare vel dormienti in somnis offerri; nec tamen abstinere sese ab isto pabulo, cum stomacho improbo misere excrucietur. Tanto fastidio eiusdem pabuli usus perpetuus implere potest vel homuncionem famelicum qualis est Prodromus, qui ab ipsa mendacitate nomen suum mutarit in Πτωχοπρόδρομον, luculentum testimonium paupertatis!

---

1) Locus valde dubius: τούτου δὲ θεοῖς χρὴ ὀψωνεῖν ἃ πρέπει ταχέως καὶ μητέρι τιμῆς A, καὶ μὴ περὶ τιμῆς Corais probante Meinekio qui lacunam indicans suppleri iubet δηριάαν vel tale quid; θέρευς pro θεοῖς scriptum vult Ribbeck, cum non quid dis offerri debeat Archestratus carmine suo docuerit, sed quid quo tempore ubi terrarum emendum et qua quidque ratione apparandum videatur (cf. Corpusc. I p. 183).

Sed haec hactenus: iam comprobatum videmus sermone tritum illud de gustibus non esse disputandum, 'ut est lubricum et fallax palati ventriculique de gustu et natura cibi iudicium' (Schneider, Synon. pisc., p. 228). Ceterum ut arbitrium e nostra quoque aetate petitum afferam, Brehmius sibi quidem thynni gustum probari negat neque carnem esse comparandam cum carnibus aliorum maris interni piscium ad cenam adhibitorum, cum dura sit atque crude sapiat adipemque piscium; Italos quoque nobiles libenter eam cedere pauperiori plebei, cui propter vile pretium magni sit momenti (Thierl. VIII p. 101): 'la manna del Mediterraneo'.

Ex ipsa captura statim cum praedae in litore iacent, thynni quippe quorum carnes facillime corrumpantur, in artus scinduntur (membratim caesi Plin. IX 48, 'τεμαχιζόμενοι graece diceres', Gesner. H. A. IV p. 1165) singulaeque partes in varios usus describuntur (Manil. Astron. V 668 sqq.): nequaquam enim in eodem honore sunt singula frusta, sed cum in aliis piscibus tum in thynnis permagnum suppetit discrimen in singulis partibus aestimandis vel verum vel opinatum; ac sane suis quaeque appellationibus propriis distinctae sunt a veteribus.

Primum inter omnes thynni partes locum abdomen obtinet veterum iudicio, ὑπογάστριον (θύννων μεγαλόπλουτ' ἐπεισέπλει ὑπογάστρι' ὀπτῶν Eubul. ap. Ath. VII p. 302 d; θύννου ὑπογάστριον Aristoph. ibid.; ὑπογάστριον θύννου τι et ὑπογάστρια θ' ἡδέα θύννων Strattis ibid.; ὑπογάστριον θύννακος Eriphus ibid. e; orcyni ὑπογάστρια laudibus efferunt Hicesius (ap. Ath. VII p. 316 e) et Diphilus (ibid. VIII 357 a); Γαδειρικόν θ' ὑπογάστριον παρεισίτω Nicostr. vel Philetaer. ibid. III 118 e); ad vocem ipsam Athenaeus adnotat, peculiariter adhiberi ad significandum abdomen piscium, raro porcorum aliorumve animalium; ὑπόγαστρα forma in textum recepta est a Kaibelio Athen. III 116 b in loco misere lacerato (οἵ θ' ὑπόγαστρα τμήγοντες τετράγωνα ταρίχια τεκταίνονται: οἱ πυθόγαστρι A: corr. Herm.); ὑπογαστρίδες (Philox. Cyth. ibid. IV 147 c; cf. ὦ λοπαδάγχαι λευκῶν ὑπογαστριδίων Eubul. ibid. III 113 f); ὑπήτριον haec thynni pars vocatur a Theopompo comico (ibid. IX 399 d: θύννων δὲ λευκῶν Σικελικῶν ὑπήτρια), ἠτριαία apud Athenaeum (I p. 4 c: τῶν Παχυνικῶν θύννων τὰς ἠτριαίας): ἦτρον thynni abdomen proprie dictum esse adnotat Etym. M. (s. v. . . . καὶ τῶν θύννων τὸ μετὰ τὸν ὀμφαλὸν τέμαχος). Eadem significatione κοιλία usurpatur apud Xenocratem (IV 35 ογ´), nec dubium est quin eodem pertineat Antiphanis μεσαῖον θυννάδος Βυζαντίας τέμαχος (ap. Ath. VII 303 f) itemque eiusdem θύννου λαγόνες (ibid. 295 f). — Thynni abdomen (Lucil. ap. Gell. X 20, 4; Plin. IX 48) sumen vocat Martialis (X 14, 12: et madidum thynni de sale sumen erit) ad notandam eius pinguedinem ac saporem. Et hodie hoc frustum in summo honore est apud Italos et Francogallos ('ventresca, tarantello' — 'panse du thon'), minoris penduntur frusta dorsalia quippe quae

pinguedine careant ('tonnina' — 'thonnine'). Ac si iudicio hominis istarum rerum peritissimi opus est, adeamus auctoritatem Dorionis tibicinis, viri gulae subtilissimae (φίλιχθυς Ath. VIII 337b, ὀψοφάγος 338f), qui nescio cui batidem — piscem quendam e genere raiarum — bonum piscem esse dicenti respondit: „Perinde ac si quis edat tritum pallium elixum!" Laudante alio thynnorum abdomina „Recte tu quidem", inquit ille, „at enim ea comedere oportet ut comedo egomet ipse", atque interrogante illo, quonam modo? respondit: „Libenter!" (Athen. VIII 337d).

Frustum caudale, θύννης οὐραῖον, summis laudibus effert Archestratus, epulandi elegantiarum arbiter gravissimus (cf. XXXVII Br.); idem esse atque abdomen thynni asserit Corais (ed. Xenocr. p. 63: ὑπογάστριον] ὑποκοίλιον λέγει τοῦτο ἡ συνήθεια· καὶ ἔστι ταὐτὸν τῷ . . . οὐραίῳ), ac sane quidem utraque pars plus semel apud veteres confusa esse videtur, sed manifestum est, id fieri non potuisse nisi in piscibus minoris staturae; quid vero in pisce 2 vel 3 metr., quae vulgaris thynnorum longitudo est? Sub verborum ambage frustum caudale latet apud Antiphanem, qui laudat θύννης τὰ κάτωθεν (ap. Ath. VII 304a: θύννης τὰ πρὸς τῆς B. ποῖα; A. τὰ κάτωθεν λέγω; πρὸς γῆς Cob.); eandem partem (vel potius ventrem?) intellegi debere cum opsonari iubeat Archestratus thynni quae deceant (ὀψωνεῖν ἃ πρέπει fr. XXXIV 4 Br.) docuit W. Ribbeck (Mus. Rhen. n. s. XI 1856 p. 223). — Apud Romanos hanc thynni partem graeco vocabulo appellatum esse uraeon testatur Varro (de l. lat. V 77, 12 Sp.); caudam latine dicit Persius (V 182 sq.: rubrumque amplexa catinum cauda natat thynni); caudam cybii brevesque maenas ut edulium vilissimum affert Martialis (XI 31, 14).

In probatissimis thynni partibus frustum pectorale ducebatur, vel si mavis iugula thynni claviculaeve, κλεῖδες; thynni claviculas assas verecundum cibum vocat aliquis in Aristophontis Pirithoo (ap. Ath. VII 303b: σεμνὸν τὸ βρῶμα); orcyni κλεῖς atque abdomen ori grata teneraque praedicantur a Diphilo (ap. Ath. VIII 357a); κλειδίον forma Athenaeus utitur (VII 315d), cum orcynorum claviculas Gadibus separatim confici doceat; Hicesius orcynorum claviculas sapore superare iudicat vel pinguia abdomina, quippe quae ipsa ceteris partibus multo praestent gustus iucunditate; κλιδία forma legitur apud Hesychium (s. v. κλιδία· τάριχος); graecam vocabuli formam clidion retinet Plinius (IX 48).

Thynni cervicem eandem partem esse atque clidion contendit Corais (l. c. p. 171), quam utramque Plinius diversas esse ratus in opus suum receperit; nec tamen pro certo affirmari potest, cum multum insit dubitationis in vocabulis de animalibus quae illas partes possident desumptis et in pisces quippe qui illis careant translatis: in piscibus paulo maioribus cervicem eam dorsi partem esse suspiceris, quae respondet frusto pectorali. E cervice thynni ὠμοτάριχος qui vocabatur fiebat et quidem omnium laudatissimus Cymes Aeolidis

(Xenocr. IV 35 ογ΄); Diphilus, qui neutrali huius vocis forma utitur, hoc salsamentum a nonnullis κήτημα (κητεμε, κήτημα Mus., potius κήτειον Kaibel, ap. Ath. III 121 b) appellari adnotat. Non defuerunt qui vocabulum ipsum derivarent ab ὦμος, memores videlicet loci Xenocratei modo allati ('αὐχὴν μὲν γὰρ αὐτῶν γίνεται ὠμοτάριχος'), qui quidem notam illam veterum interpretationem etymologicam nimium resipit (αὐχήν — ὦμος): sed rectius procul dubio cum Coraë (p. 170) derivabis ab ὠμός, ita ut significet salsamentum nondum prorsus sale maceratum, quod ἡμιτάριχος quoque appellatur (Archestr. fr. XXXVIII 7 Br., Ael. XIII 2) vel νεαλής (Xenocr. 33 ξγ΄) vel ἀκρόπαστος (Sopater ap. Ath. III 119 a, Xenocr. 36 ος΄) vel ἡμίνηρος (Athen. III 121 c, Xenocr. 36 οζ΄); hoc salsamenti genus e thynnis confectum omotarichum proprie dictum esse etiam Dioscorides testatur (II 33): ὁ δὲ ὠμοτάριχος λεγόμενος σάρξ ἐστι θύννου τεταριχευμένου (cf. Archigenes ap. Galen. V 1); similiter ἀκρόπαστος de mugile, ἡμίνηρος de coracino proprie dicebatur (cf. Köhler, Τάριχος, p. 383). Omotarichum, Phoenicium opsonium quod vocat Matro parodus (ap. Ath. IV 135 a), in epularum gustatione appositum valere iubet.

Omnium partium vilissima thynni caput erat, quod solitarium procul a cena distat apud Matronem (v. 53 sqq.), Aiacis Telamonii instar (cf. θύννου κεφαλὴ θαλαμηιάδαο), ira armorum demptorum gravatum, nempe pinnarum ut quibus armis thynnus utatur (νόσφιν ἀφειστήκει, κεχολωμένη οὕνεκα τευχέων αἱρομένων, cf. Hom. λ 543 sqq.; οὕνεκα κλειδῶν αἱρομένων scriptum vult Brandt, Corpusc. I p. 65. 81 sq.: 'claviculae illae capiti finitimae rescissae erant utpote quae in epulis apponerentur, caput ipsum erat sepositum ut opsonium vilissimum'; sed mea quidem sententia nulla mutatione opus est). Apud Alexin comicum ridetur insulsus quidam, qui antea mirum quiddam deliciarum percepisse sibi videbatur, si thynni caput nactus esset (ap. Ath. VII 303 a: οὗτος πρότερον κεφαλὴν εἰ λάβοι θύννου ἐνόμιζεν ἐγχέλεια καὶ θύννας ἔχειν; κεφάλαιον (Meineke) εἰ λάβοι κυνός Kock, εἰ θύννου λάβοι Erfurdt); κεφάλαιον, quae vox legitur in fragmento Calliae vel Dioclis (ap. Ath. VII 286 b = 306 a: θύννου τε κεφάλαιον τοδί) ab ipso capite seiungendum esse censet Brandt (l. c.) nec diversum putat a claviculis; sed idem accidit ac supra in frusto caudali: nisi in minoribus piscibus fieri non potest.

Cetera parte plenis pulpamentis thynni sale adservantur (Plin. IX 48); ab ipsa forma qua salsamenta condiuntur, nominata sunt:

Melandrya ob similitudinem quam habent cum nigricantibus quercus assulis (v. p. 12); 'vilissima ex his quae caudae proxuma, quia pingui carent, probatissima quae faucibus, at in gladio pisce — id quod evidenter pro alio pisce correxit Birt (de hal. p. 108), cf. Archestr. fr. XL — circa caudam exercitatissima' (Plin. l. c.):

apparet inde, thynni partem dorsalem in frusta transversa dissectam esse.

Idem atque melandrya significare videntur οἱ κοςταί λεγόμενοι, quos sale confectos mediocres esse iudicat Diphilus (ap. Ath. VIII 356 f): hanc coniecturam adiuvat nota marginalis κοςταί, quam ad μελανδρίαι (sic) vocem in fragmento Xenocratis IV 35 ογ΄ Cor. exhibet Oribasii collect. codex R; nec tamen mediocrem crucem ista vox interpreti illidit, quoniam in graeco sermone non occurrit nisi in nota Hesychii, quo auctore hordei grana significat; latinam vero originem vocabulo vindicare, id quod voluit Corais (p. 172), quamvis optime quadret et ad formam vocis et ad significatum, tamen temporum ratio vetat: qui enim fieri poterat Diphili Siphnii temporibus, proximorum Alexandri Magni successorum aequalis (cf. Ath. II p. 51 a), ut vox latina per Graeciam percrebresceret? An Athenaeum vocabulum ipsius temporibus usitatum Diphilo intrusisse putemus?

Aliud salsamentorum genus in tesserae figuram consectum cybium vocabatur (κύβιον), ad quod certe referenda sunt Ps.-Hesiodi salsamenta quadrangula (ap. Ath. III 116 b: τετράγωνα ταρίχια); pelamydes secundum Plinium (IX 48) in apolectos particulatimque consectae in genera cybiorum dispertiuntur: velut ex tritomo, qui piscis est pelamydum generis magni, terna cybia fiunt (XXXII 151).

Triangula frusta Gadibus ex orcynis fiebant (ὀρκύνοιο τρίγωνα), quae salita ac vasis alternatim recondita a Bruttiis vel Campanis vel Tarentinis inde exportabantur, ut in primis cenis apponerentur (Ps.-Hesiod. ibid.).

Latius patent alia salsamentorum nomina, qualia sunt ὡραῖα τεμάχη et θύννεια et κορδύλεια (κορδύλη AC, κορδάλη E, corr. Kaibel, Diphil. ap. Ath. III 120 e); frusta horaea, quae alii verno tempore confecta interpretantur (cf. Hesych. s. v. ὡραῖον· . . . καὶ ὁ τάριχος ὁ κατὰ τὸ ἔαρ ςυντιθέμενος), alii a pisce grandi ac praeclaro petita esse contendunt (cf. Corais, p. 162: ἐξ εὐμεγέθους καὶ ὡραίου τουτέςτι καλοῦ ἰχθύος), optime sic interpretabimur, ut tempestiva salsamenta h. e. suo tempore condita intellegamus. Salsamentis pinguibus thynnea adnumerat Diocles Carystius (ap. Ath. III 116 e), pinguedine carentibus horaea; Diphilus Siphnius (ibid. p. 120 e) his attribuit cybia, illis cordylea: vetusta vero meliora esse et acriora et maxime Byzantia; thynneum confici e maiore pelamyde, quod si minus sit respondeat cybio; ex eodem genere esse etiam horaea. Byzantii horaei frustum praeclarum ac tenerum laudat Archestratus (fr. XXXVIII 9), scombrorum, mugilum, cybiorum (κύβων ll.), thynnidum frusta horaea Pollux (VI 48), thynnea calida Aristophanes (equ. 153). Thynni frustum (θύννου τέμαχος) saepius laudatur, praesertim in cupediarum enumerationibus: velut Siculi thynni frustum, concisum eo tempore quo in amphoris sale conficiatur appeti iubet Archestratus (fr. XXXVIII 1 sq.); idem significat Βυζάντιον τέμαχος (Nicostr. v. Philetaer. ap. Ath. III 118 d), quin etiam solum

τέμαχος, quod attributo carens legitur apud Nicostratum (ibid. IV 135c), eodem referendum est. Thynni et pelamydum frusta etiam apud Pt.-Prodromum occurrunt (cf. Corais, Atact. B 224 θυννόκομαν, A 96 παλαμιδοκόμματα, B 102 παλαμιδόκομαν).

Haud ab re esse videtur referre, qua ratione his nostris temporibus thynni in singula frusta dissecentur ad varios usus destinata. Capite deciso ossa carnesque intra pinnas exsecantur; deinde piscis praegrandis funibus ad caudam alligatis suspenditur et sex incisurae in longitudinem ductae infliguntur, binae ab ano usque ad extremam caudam, binae secundum dorsum, binae ad caudam versus tantulum inter se distantes quantulum sufficiat ad superiores pinnas spurias exstirpandas, postremo secundum utrumque latus inciditur: ita carnes accipiuntur, quae aestimatione ac pretio multum inter se differunt et quarum pro se quaeque species conditur; abdomen et gustu et teneritate nimium quantum excellens vel recens vel salitum altero tanto pluris stat quam pars praeter illud probatissima (cf. Brehm, p. 101 sq.).

Thynnum a ganeonibus interdum tanquam cenae caput appositum esse concludas e loco Platonis comici (ap. Athen. I 5b), quo ridetur ab aliquo Philoxenus ut novae cuiusdam belle delicateque cenandi artis inventor, quippe qui ordiatur a cepa, finem ponat in thynno. „At enim quod longe praestantissimum est postremo loco erat apponendum?" respondet alter.

Quod attinet ad varias thynnos apparandi rationes, nonnulla scriptorum testimonia usque ad nostram memoriam propagata sunt. Ac summam quidem barbariam Ichthyophagorum mos prae se fert, quos a peculiari ac fere unico alimento appellatos Nearchus in expeditione maritima Indiae litora obtinentes repperit: piscibus tenerioribus crudis vescebantur ut e mari protrahebant, maiores ac duriores solis ardore tostos molebant et ex farina inde fabricata panes aut polentam conficiebant (Arrian. Ind. 29, 12): similiter hodie quoque a piscatoribus qui Lofotas insulas inhabitant crustula e gadorum carnibus frictis et in farinam redactis fabricantur atque exportantur ('Fischmehl' vel 'Fischbrot') ad expeditiones alimentis instruendas aptissima. Nec tamen omnes illius regionis incolae crudis piscibus alebantur: nam cum Nearchus ad oppidulum quoddam extremorum Ichthyophagorum appropinquaret, hospitalitatis dona amice afferebant oppidani, thynnos clibano assos et placentulas paucas et palmarum glandes (ibid. 28, 1: θύννους τε ἐν κριβάνοισιν ὀπτούς . . . . καὶ πέμματα ὀλίγα καὶ βαλάνους φοινίκων).

Thynnos assos saepius commemorant scriptores graeci ac fortasse certum aliquod praeceptum veterum artis coquinariae erat, ut thynni assarentur utpote quae apparandi ratio huic pisci accommodatissima esse videretur: idcirco is quem quasi tirocinium totius artis coquinariae ponentem facit Antiphanes (ap. Ath. VII 295d = XIV 662b) thynni frustum assandum esse censet, cum glauculum

in muria elixandum esse doceat, lupum parvulum assandum integrum, squalum cum intrito elixandum, anguillulam et congrum sale, origano, aqua, raiam olusculis apparandam, carnem haedinam assandam, lienem farciendum. Thynni assi pulpa calida insolitae magnitudinis inter varias palati delicias apponitur in Philoxeni Cytherii Convivio (ap. Ath. IV 147 c) loco quidem male vexato. Thynni claviculas assas eximium cibum praedicat Aristophon (ap. Ath. VII 303 b), thynnides assas et orcynes laudat Anaxandrides (ibid. IV 131 e) inter lautissimos cibos convivii, quod vel famosam Cotyis regis cenam superaturum sit, quam apparavit cum filia eius Iphicrati nuberet. Assa nimirum frusta thynni sunt quae calida devorantem ac merum desuper infundentem Cleonem facit Aristophanes (equ. 313), ad quem locum respiciens adnotat Suidas s. v. θυννοσκόποс: ἅμα δὲ καὶ εἰс ὀψοφαγίαν αὐτὸν διαβάλλει Ἀριστοφάνηс.

Extensius apparandi praeceptum promit Archestratus (fr. XXXVII): Thynnae frustum caudale concisum omne assa recte, contrito sale tantummodo conspersum et oleo unctum, calidaque ede frusta in acrem muriam intincta: ac si sicca edere velis generosa erunt dis immortalibus habitu et specie similia; sin vero aceto rigatam apponas, periit illa. — Ipsa piscis magnitudo totum atque integrum assari et apponi vetuit thynnum, quamquam alioquin coquorum ars a pisce dissecando abhorrebat tanquam a nefasto: velut Plato comicus (ap. Ath. I 5 c) orphum, aeoliam, synodontem, carchariam dissecari vetat ne coelestium irae commoveantur, atque integros assos apponi iubet: multo enim praestare; idem de chrysophrye praecipit Archestratus (fr. XII), etiamsi decem cubitorum sit. Idem sentit recentiorum quoque arbiter quidam istarum rerum peritissimus, qui postquam Romanos laudavit, quod pisces non concisos sed integros apposuerint unde factum sit ut piscium carnes propriam suam naturam retinerent, addit: qui bonum piscem desquamatum ac dissectum apponit, non dignus est qui bono pisce vescatur! (W. E. Weber ad Hor. sat. II 2, 34 p. 279).

Nec deerant varia condimenta atque additamenta: optimae medium thynnadis Byzantiae frustum in laceris betae foliis abditum laudat Antiphanes (ap. Ath. VII 303 f); thynnum cibum non spernendum vocat Ananius (ibid. 282 b), sed inter omnes pisces eminentem cum myttoto, iure quodam acribus condimentis confecto ('cum alliato' Schweigh.); Martialis cum amicum invitat, quem belle secum cenaturum esse promittit, inter cibos in gustu apponendos cordylam memorat ovis ac rutae foliis ornatam (XI 52, 7); cybium sub divisis ovis latens ut parvae cenulae escam affert idem (V 78, 5); melandrya sinapi adiuncto appetitum excitare docet Xenocrates (IV 35 ογ′), sed difficilius corrumpi quam abdomen, quia pinguedine careant.

Incredibilem fere condimentorum farraginem ad cibos apparandos adhibet Apicius, cuius praecepta coqui nostrates vix sine torpore legant: ac sane prae condimentis nescias quid edas. Iam ipse iudica:

IV 158: Sardas sic facies: teres piper, ligistici semen, origanum, cepam siccam, ovorum coctorum vitella, acetum, oleum. haec in unum temperas et perfundes.

IX 431: In sardis. sardam farsilem sic facere oportet: sarda exossatur, attoritur puleium, ciminum. piperis grana, mentam, nuces, mel. inpletur et consuitur, involvitur in carta et sic supra vaporem ignis in operculo conponitur. conditur ex oleo, caroeno, allece.

IX 432: Sarda ita fit: coquitur sarda et exossatur. teritur piper ex ligistico, timo, origano, ruta, cariota, melle et in vasculo ovis concisis ornatur inpensa. vinum modicum, acetum, defrictum et oleum viride.

IX 433: Ius in sarda: piper, origanum, cepam, aceti modicum et oleum.

IX 434: Ius in sarda: piper, ligisticum, mentam aridam, cepam, coctum mel, acetum, oleum. perfundes, asparges ovis duris concisis.

IX 435: Ius in [cordula][1]) sarda: piper, ligisticum, api semen, mentam, rutam, cariotam, mel, acetum, vinum et oleum.

IX 436: Convenit et in sarda ius quod in mugile.

IX 439: Ius in siluro: in pelamide et in tinno salsis: piper, ligisticum, ciminum, cepam, mentam, rutam, calvam, cariotam, mel, acetum, senape, oleum.

X 457: Ius in pelamide assa: piper, ligisticum, origanum, coriandrum viride, cepam, uvam passam enucleatam, acetum, liquamen, defrictum, oleum et coques. hoc ius convenit et in elixa. si vis, et mel addes.

X 469: Ius in tinno: piper, ciminum, timum, coriandrum, cepam, uvam passam, acetum, mel, vinum, liquamen, oleum. calefacies et amolo obligas.

X 470: Ius in tinno elixo: piper, ligisticum, timum, condimentum, hortariam, cepam, cariotam, mel, acetum, liquamen et oleum et senape.

Ohe, iam satis! Quae si perlegimus praecepta haud scio an libenter etiam in haec iura iudicium referamus quod de alio quodam praecepto Apiciano facit Vaerst (Gastrosophie II p. 228): muscas potius alliciant quam homines!

Recentiores repudiaverunt istam condimentorum farraginem, velut haec praecipit Platina Cremonensis (De tuenda valetudine, Basil. 1541, p. 325 sq.): 'Salitum eius abdomen, et solidum nec molle, quod tarantellum vulgo appellant, aqua et aceto, interiectis furfuribus, quo melius salsedinem relinquat, bene lotum et repurgatum in aqua non multum coquas, exemptum, et aceto bene maceratum, ubi voles edito. Sunt qui aromata dulcia inspergant. Ex eodem thynno fit salsa-

1) cordula] in sex codd. om. cordula, in β [cod. Vat. 1146 c. X sec.] et in ed. pr. est assa pro sarda, in γ [cod. Vat. 1145 sec. XIV] sarda = corda chorda, sarda post tempus legitimum seu sero nata, iuvenis? Schuch, ed. p. 193 sq.

mentum, quod thynninam appellant. In aqua tepida horas sex hęc innatet oportet, si purgatum voles. Elixam parum admodum, ex aceto comedes. Haec ut omnia salsamenta, pessimi sunt alimenti. Recentem thynnum pipere, cinnamo, coriandro tritis, cepa cocta et concisa, aceto, melle, oleo condies.' Palmam profecto fert praeceptum quod promit Brillat-Savarin, Gastereae decimae Musae inventor quae gustus delectationes curet, de placenta ex ovis cum recenti thynni carne et lacte carpionum apparanda (cf. Physiol. d. Geschm., ed. C. Vogt, [2]1866, p. 307 sq.): cibi illius delicatissimi virtutes inter scribendum ei salivam movisse crederes. Ceterum recens ars coquinaria diversissimas thynnos apparandi rationes adhibet: praeclara iura inde decoquuntur, assantur carnes lautissime, vapore suo molliuntur, intinctu suo incoquuntur, elixantur, fumo siccantur, nec non recentes eduntur sale ac pipere conditae ut caro salmonum (cf. Brehm, Thierleben, VIII p. 101).

De variis salsamenti generibus ad amplissimam atque accuratissimam Koehleri quaestionem relegare satis habeo 'Τάριχος' quae inscribitur 'ou Recherches sur l'antiquité des pêcheries dans la Russie méridionale' in Comment. Acad. Petropol. 1832, ser. VI p. 347—490; hodie ex thynnis in hunc fere modum conficiuntur: carnes in magnis cratibus ferreis torrentur et sale, pipere, caryophyllis, lauri foliis admixtis in dolia imponuntur, aut bene lotae in aqua salibus aromatisque condita elixantur et doliis lagoenisve reconditae oleo perfunduntur; ova piscium et iecinora separatim saliuntur (cf. Pierer, Univ.-Lex. s. v. Th.).

Restat ut pauca addamus de liquaminibus e thynno fabricatis. Garum, τὸ γάρον vel ὁ γάρος graece (cf. Aeschyl. fr. 406: καὶ τὸν ἰχθύων γάρον), secundum Isidorum Hispalensem (XX 3, 19) liquor erat piscium salsus, qui olim conficiebatur ex pisce, quem Graeci γάρον vocabant, et quamvis postea ex infinito genere piscium fieret, nomen tamen pristinum retinebat, a quo initium sumpserat. Meliores gari notae e branchiis et intestinis scombrorum et thynnorum conficiebantur, velut praestantius garum αἱμάτιον quod vocabatur in hunc fere modum fiebat (Geopon. XX 46): intestina thynni cum branchiis seroque ac sanguine sale quantum satis erat aspersa in vase reponebantur per duos fere menses, tum vase ipso perforato garum αἱμάτιον appellatum effluebat. Praestantissimum garum Romanorum iudicio pretioque carissimum Carthagine nova conficiebatur, garum sociorum quod vocabant, e scombri intestinis fabricatum (cf. Hor. sat. II 8, 47: garo de sucis piscis Hiberi).[1]) Deterior ac vilior erat

1) Satis mire ex caro gari pretio suspicatur Brillat-Savarin (Physiol. d. Geschm. ed. C. Vogt, [2]1866, p. 72), liquamen esse peregrinum neque quidquam aliud fortasse ac Soiam Indicam ex piscibus cum fungis fermentatam: fabricatur vero e faba quadam Iaponica piscibus non adhibitis; primum commemoratur illud ius in rerum venalium indicibus societatis Batavo-Indicae a. 1778 (cf. Beckmann, Vorbereitg. z. Waarenk., 1794, I p. 104 sqq.).

ἅλμη vel muria ex intestinis thynni fabricata, id quod apparet ex epigrammate Martialis XIII 103, ubi amphora muriae Antipolitani thynni filiam ipsa se appellat. Ampliorem significatum habet liquamen, quod inde nomen traxisse adnotat Isidorus (ibid. 20), quod soluti in salsamento pisciculi eundem humorem liquent: cuius liquorem appellari salsuginem vel muriam; liquamen primum et secundum in edicto Diocletiani (cap. III 6. 7) discernuntur. Muriae fabricatione excellebant Thasus (Poll. VI 63, Athen. VII 329 b), Byzantium (Hor. sat. II 4, 65 sq.), Thurii (Plin. XXXI 94), Antipolis (Plin. l. c., Mart. l. c.), Delmatia (Plin. l. c.), gari confectione Clazomenae, Pompeii, Carthago nova, Leptis (Plin. l. c.). Non tamen omnibus haec liquamina probata fuisse videntur, nec mirum: quo magis enim ganeonum palatum titillarent eo magis hominum simplicium odoratum offenderent necesse erat; idcirco Artemidorus garum nihil aliud esse nisi putredinem contendit (Onirocrit. I 68: οὐδὲν ἄλλο ἢ σηπεδών) quae sententia in Zonarae et Suidae lexica abiit; cf. Manil. V 672 sanies pretiosa; Sen. ep. 95, 25 Quid? sociorum garum, pretiosam malorum piscium saniem non credis urere salsa tabe praecordia? Plin. l. c. putrescentium piscium sanies; — Manethon. l. VI (III) v. 456 sqq. poeta patulo aeno cavisque lebetibus noxiam muriam coqui facit putrescentibus cum piscibus (πυθομένοις ἅμ' ἰχθύσιν οὐλοὸν ἅλμην; cf. Hor. s. II 4, 65: muria qua Byzantia putuit orca); homines qui exsecrandam istam artem exigant itemque cadaverum conditores maligno sidere natos esse, cum medium centrum Mars Saturnusque regant et in partibus quas percurrant ipsi alterum adipiscantur neque ulla beneficarum stellarum adspiciat illorum locum.

Utrumque liquamen modo purum modo variis condimentis commixtum ad cibos apparandos adhibebatur: ὀξύγαρον (Ath. II 67 e, in nonnullis Ponti regionibus separatim fabricatum ibid. IX 366 c), oxygarum (Mart. III 50, Apic. I 33. 38, VIII 353); oenogarum (Apic. saepe, oenogaratus VII 329. VIII 379) vel garoenum (Apic. saepe); γάρελον (Hesych. s. v. γάρος καὶ ἔλαιον), γαρέλαιον (Galen. alim. aqu. p. 345; Φιλογαρέλαιος nomen piscatoris Alciphr. III 58 e coni. Ruhnkenii, φιλογαρελαδίω φιλοναελαδίῳ codd.), eleogarum (Apic. IV 157. 159 e coni. Schuchii, inotogonon, in otocano codd.), hydrogarum (Lamprid. Elag. 29, Apic. II 48; hydrogaratus II 45); ὀξάλμη, σκοροδάλμη (Poll. VI 68, Athen. IX 385 b—d).

VI.

Quid medicis veteribus de thynnis placuerit.

Pisces in heroum Homericorum epulis prorsus desiderari, id quod iam grammatici veteres animadverterunt (cf. Plut. quaest. conv. VIII 13 p. 730, Athen. I 9 c. d, 25 c. d), et hunc cibum non nisi in summa rerum desperatione sumptum esse (cf. Hom. δ 368 sq., μ 330 sqq.),

pueris decantatum est. Non tamen rei piscariae expertes illorum temporum aequales fuisse cum complures imagines a piscando petitae comprobent (cf. Hom. Ε 487, Π 406 sqq., Ω 80 sqq., κ 124, μ 251 sqq., χ 384 sqq.), tum beati ac generosi regis laudatio ab Ulixe praedicata (τ 109 sqq.), in qua praeter agri fertilitatem et arborum frugiferarum ubertatem et pecorum fecunditatem mare piscium copiam praebens memoratur: nimirum quem cibum spernebant principes non improbabat vulgus inops, quod pecorum possessione carens aquatile pabulum quaerebat. Sed ingens paulatim in piscibus aestimandis commutatio facta est: certe enim exquisitorum piscium amor, quem ineunte saeculo ante nostram aeram quinto Syracusis nec paulo post Athenis et in aliis Graecorum urbibus late patentem cognoscimus, non sine diuturna palati sapientis exercitatione fieri poterat (cf. Helbig, Ital. in d. Poeb., p. 75 sq.). Qui amor in tantum increvit, ut ὄψον vox peculiariter pro piscibus usurparetur (cf. Ath. 276 e. f; ψάρι, quae vox ex ὀψάριον corrupta est, apud Neograecos piscem significat, cf. Foy., Lautsyst. d. gr. Vulg.-Sp., p. 122), et cum mendica plebecula vilissimis apuis ac salsamentis vesceretur aut trichidiis vel sepiolis vel pisciculis assis, libertinorum pabulo (Alex. ap. Ath. VII 302 f), gulae proceres rarissimos atque carissimos pisces appetebant. Quae cum ita sint non mirum est, si permulta medicorum veterum praecepta de esu piscium data nobis occurrunt, nec pauca quidem de thynni natura, quippe piscis in summis deliciis habiti nobilium iudicio et potissimum in plebei usum conditi.

Gregales pisces in universum grati quidem sunt in cibo propter pinguitudinem Mnesitheo iudice (ap. Ath. VIII 357 b), sed ventriculum gravant et aegre concoquuntur; quare ad salsamenta maxime idonei sunt optimumque salsamenti genus ex iis paratur; assi quoque utiles sunt, quia liquescit eorum pinguedo. Thynnus, thynnis, colias, orcynus, pelamys, scombrus non apti sunt stomacho secundum Xenocratem (I 8 ιη'): malum succum habent, flatum gignunt, scabri, difficiles ad excernendum, abunde nutrientes; quorum tenerrima est pelamys, colias et ori ingratus et nullius succi, thynnis ei subicitur, thynnus vero difficulter concoquitur; etiam Diphili iudicio (ap. Ath. VIII 356 b) thynnis et thynnus graves sunt largiterque nutriunt. Crassi ac tenacis succi thynnos esse docet Galenus (p. 354), commodiores pelamydes; secundum eundem (p. 349) thynni magni aeque ac phocae, phalaenae, delphini, zygaenae, canes marini duram ac mali succi carnem habent abundeque nutrientem: perinde praecondiuntur, cum ita tenerius factum alimentum ex iis percipiendum facilius in corpus recipiatur atque in sanguinem vertatur; recentes vero, nisi optime elixantur, crudos humores in venis cumulant (cf. Paul. Aegin. p. 137, Sim. Seth. p. 43 L., Pselli de vict. rat., Basil. 1529, p. 16). Epilepticis vetantur pisces pingues et cetacei, ut scombri et pelamydes (Alex. Trall. ed. Puschmann, 1878/9, I p. 543), nephriticis pisces cetacei, ut thynni, pelamydes, scombri, cephali, item crustacea praeter

pectinem et echinum (ibid. II p. 473). Non admodum secus de thynnis recentiores iudicarunt: in Theodori physici Dieta (in Physica s. Hildegardis, Argentor. 1533) legimus, tinnum mediocriter siccare, ventrem deducere, apud Richterum (Ichthyotheol. p. 689), thynnum iis qui eo vescantur convulsiones gignere. Et hodie thynni caro ad concoquendum difficillima habetur et cum imminet cholera a medicis prorsus vetari solet (cf. v. Maltzan, l. c. p. 515, Neigebauer, l. c. p. 113). Nuperrime observatum est, thynnum maris interni aliasque Scombridarum species interdum efficere morbum, qui cernitur cutis pusulis, tumoribus faciei, labiorum, palpebrarum, dolore capitis, vertigine (cf. Kbg. Allg. Ztg. 1889, n. 436, addit. I).

Variae thynnorum species quod attinet ad rem medicam in hunc modum discernuntur a Xenocrate (IV 34 sq.): pelamys ori grata est, facile digeritur facileque excernitur; prorsus aliter quidem iudicat Diphilus (ap. Ath. VIII 357 f), qui pelamydem multum nutrire, ventriculum gravare, urinam ciere, aegre concoqui docet, sale vero conditam sicut cybium alvo commodam esse et attenuandi vim habere; idem fere censet Hicesius (ap. Ath. III 116 e), quo auctore nec pelamydes neque horaea ex alvo facile egeruntur. Cybium ori gratum et boni alimenti est; horaeum suave, boni alimenti, sitim non excitans; tritomum aegre concoquitur, solidius cybio est, in ceteris par; orcynus tritomo similis est nisi quod difficilius vitiatur, quare vetustatem patitur; apolectum tritomo friabilius est quamquam oris suavitate illi cedit, facile digeritur atque concoquitur; sarda ori grata est, acrimonia cybio praestans, appetitum excitans, facile ad excretiones lubricans. Thynni venter cum recens est esui convenit, sed vetustatem non patitur: stomacho idoneus est ut in salsamento, boni succi, facile corrumpitur sed propter pinguedinem ructum gignit; quocum conferendum est id quod refert Plinius (IX 48), thynnos membratim caesos cervice et abdomine commendari atque clidio recenti dumtaxat, et tum quoque gravi ructu. Orcynum coenum redolere adnotat Diphilus (l. c.), nec minus durum esse grandiorem quam chelidoniam, abdomen vero et claviculas ori grata et mollia esse; qui vero costae dicantur, eos sale conditos mediam quandam habere rationem.

De partibus piscium generatim docet Hippocrates (XXI p. 683), siccissimas esse partes superiores, levissimas ventris inferioris, capita vero humidiora propter pinguedinem et cerebellum. In partibus quae sint ad caudam, quoniam motu exerceantur, pisces bonum alimentum afferre ac delicatos esse ait Xenocrates (V ρ′), in iis quae ad ventrem pertineant, cum pingues sint, et ructum movere et ad excretiones inclinare; in dorso carnem esse duram, capita propter salsum humorem et pinguedinem non nutrire nec facile distribui. Piscium et salsamentorum ova (τὰ τῶν ἰχθύων καὶ τῶν ταρίχων ᾠά, caviarium quod hodie vocant) aegre concoqui omnia asserit Diphilus (ap. Ath. III 121 c) ac difficulter corrumpi praesertim pinguiorum et maiorum: duriora enim manere et indivisa; stomacho commoda fieri (εὔστομα

ACE, εὐcτόμαχα Kaibel) sale restincta ac deinde tosta. Salsamenta omnia ablui oportere donec aqua odore careat et dulcis fiat: si in aqua marina elixetur salsamentum dulcius fieri, et quidem calida esse suaviora.

Salsamenta vel e piscibus marinis confecta vel e fluviatilibus vel e palustribus parum nutrire ait idem (p. 120e), parum succi praebere, aestuosa esse, ventriculum levare, appetentiam excitare; optima vero ex salsamentis non pinguibus esse cybia et horaea et quae sint alia genera his similia, ex pinguibus thynnea et cordylea: vetusta meliora esse et acriora et maxime Byzantia (cf. Hices. ibid. 116e). Omotarichus quem gravem et glutinosum et difficilem ad concoquendum vocat idem (121b), secundum Xenocratem ori gratus est sed aegre vitiatur quia pinguedine caret, laudatissimus qui Cymes conficitur; melandrya appetentiam excitant sinapi adiuncto, sed difficilius corrumpuntur quam abdomen thynni, quoniam pinguedine expertia sunt; frustum hypomelandryodes (fort. πιμελομελανδρυῶδεc Kaibel) esui commodum vocat Epicharmus (ibid.).

Facultatum medicarum non expertes thynni putabantur ideoque a medicis veteribus ad nonnullos morbos sanandos adhibebantur variaque medicamenta ex iis fiebant: audi, miraberis!

Psilotrum est thynni sanguis, fel, iocur, sive recentia sive servata, iocur etiam tritum mixtoque cedrio plumbea pyxide adservatum: ita pueros mangonicavit Salpe obstetrix (Plin. XXXII 135); Aelianus quoque asserit, adolescentuli qui nondum excesserit ex extrema pueritia, malas thynni sanguine illitas non pubescere (XIII 27; cf. Sim. Seth. p. 43 L.). Ad pilos palpebrarum pungentes aliqui cicutae semen tritum ac thynnae sanguine exceptum praevulsis pilis illeverunt (Galen. comp. sec. loc. 4, 7 inter Asclepiadae oculares compositiones liquidas). Palpebrarum psilotrum est thynni iocur siccatum pondere XIV cum oleo cedrino perunctis pilis novem mensibus (Plin. ibid. 76); thynni iocur ac fel secundum Marcellum Sidetam (v. 70 sqq.) pilos non sinit crescere in palpebris, si volsella evelleris. Ad rhagadas et ad condylomata utilis est pelamydum salsarum capitum cinis vel cybiorum cum melle (Plin. 105); eandem remedii virtutem nempe ficuum sedis depellendorum satis poetice praedicat Marcellus Sideta (61 sqq.: . . . λυκαβηττίου εὔκυκλον ἕδρην ἀλθαίνει cυκῆcι περίδρομον ὀφρυοέccαιc· πηλαμύδοc χαροπῆc τε κάρη καὲν εἴκελα τεύχει); etiam ad verendorum pusulas adhibetur pelamydum capitis cinis (Plin. 107).

Salsamentum Gaditanum contra lienis morbum usurpari docet Hippocrates (intern. aff. p. 238). Ut sugillata in oculis discutiantur salsa thynni caro omotarichum quem vocant Graeci exprimatur, deinde in vino odoro trita imponatur (Archig. ap. Galen. comp. s. l. V 1); omotarichus ex thynno confectus iis quoque convenit, qui anguis morsu presterem quem vocant vulnerati sunt: quos vinum quam plurimum bibere ac vomere oportet; nec non usui est ad esum acrium

ciborum; apte illinitur etiam a cane morsis (Dioscor. II 33). Privatim contra presteris morsum sarda prodest (Plin. XXXII 46); contra canis rabiosi morsum et contra draconem marinum cybium adhibetur (ibid. 47); cybia vetera eluta in novo vase, dein trita, prosunt dentium doloribus; item purgant cybia vetera privatimque cruditates, pituitas, bilem trahunt (80); eodem remedio sanantur cacoethe et nomae et putrescentia (126); ulcera curantur cybio vetere, quod ut emplastrum panno inlini debet (Plin. Sec. med. ed. V. Rose, 1875, p. 75); cybium aliis quoque medicamentis additur, ut efficaciora fiant (cf. Plin. XXIX 80).

In medicina veterinaria contra scabiem equorum adhiberi quod in lancibus salitus thynnus remittat, Columella auctor est (VI 31).

Garum omne et ex piscibus salsis et ex carnibus confectum inlinitur contra ulcera putrescentia et morsum canis; idem inditur dysentericis, ut intestinorum ulcera compescat, et ischiadicis, ut quae ulceribus carent irritet (Dioscor. II 34). Garum pituitam et tenaces humores digerit, ventriculum mediocriter excitat excrementaque inde extrudit, sed sitim efficit, qua de causa qui sumunt rosaceo melle inspergunt (Sim. Seth. p. 33). Praeterea quoque saepe adhibetur velut ad auriculas uvulamve sanandas (cf. Plin. Sec. ed. V. Rose, p. 17. 29).

VII

Quid valuerit thynnus ad rem publicam et qualis appareat in artibus imitantibus.

Rem piscariam exercere viro ingenuo non dignum esse putabatur: aprum, cervum, dorcadem, leporem captare potius quam emere decere ait Plutarchus (soll. anim. IX 6 p. 966), thynnum, carabum, amiam mercari potius quam piscari, cum humile illud negotium ac parum sollers insidiosumque turpem et exiguam et illiberalem hanc capturam reddiderit. Quo largior fieret thynnorum pelamydumve piscatus modo maior modo minor piscatorum numerus societatem inter se inire solebant, utpote quae naviculis, retibus, ceteris piscandi instrumentis coniunctis piscatum communem exerceret: speculatores per oram maritimam dispositi piscium greges indicabant iussisque expeditionem sodaliciam dirigebant. Negotiatores non modo piscatorum operas mercede conducebant sed etiam officinarum opifices, qui piscium copiam conderent variisque modis appararent, quales erant cetarii, thynnarii (cf. Ulp. Dig. VIII 4, 13: piscationem thynnariam exercere), cybiarii (Arnob. II p. 70), salsamentarii, muriarii (negotiator muriarius Or. 7260), liquaminarii (Plac. Gloss. in Mai Auct. Class. III p. 444), alii; accedebant operum figlinorum fabricatores ad varias salsamenti notas asservandas destinatorum[1]).

1) Eiusmodi vasa erant ἀγγεῖα, quibus utebantur Phoenices qui Gadibus coloniam constituerant ad reponenda thynnorum frusta salita (Ps.-

Argumentationis iam non indiget, thynnorum capturam, oeconomiae publicae si rationem habemus, permagni fuisse momenti, cum appareat quaestum qui privatis inde redibat ad rempublicam quoque redundasse. Neque vero desunt exempla unde patet, publice piscationem exercitam ac reditus in publicum usum consumptos esse. Byzantii quam urbem tanquam thynnorum ac pelamydum parentem laudant veteres, piscatus et salis venditio publice administrabatur, id quod concludere licet ex Aristot. Oecon. II 2, 3 (cf. Boeckh, Staatshh. d. Ath., [2]1851, I p. 414), et quidem pelamydum captura Byzantiis et populo Romano reditum memorabilem praebebat (Strab. VII 6, 2 p. 320); Claudius Byzantiis Thraecio Bosporanoque bello fessis tributa in quinquennium remisit (Tac. ann. XII 63), nimirum ne deficeret ille fons reditus locupletissimi; Traiani temporibus ea condicio erat civitatis Byzantiorum confluente undique in eam commeantium turba ut honoribus eius praesidio centurionis legionarii consuleretur (Plin. epist. X 77. 78 K.). Halis Aexonidibus in vico ad oram Atticam sito ingens vectigal quod e thynnorum piscatione publice locata redibat in sacris Apollini Κυννείῳ faciendis consumptum esse supra commemoratum est: res publica sine dubio reditum illum pago assignavit in usum Apollinis (cf. Boeckh, Staatshh. [3]1886 [Fränkel] I p. 268 adn.). Quantum huic piscatui tribuerint Carthaginienses inde apparet, quod salsamenta e thynnis confecta qui in Oceani regionibus fucosis capti erant non exportabant (Ps.-Aristot. mir. ausc. 136), certe non tam praestantia eorum commoti quam oeconomiae publicae causa, ne qua carerent illo pabulo commodissimo ac vilissimo et ad expeditiones navales alimentis instruendas aptissimo; in hunc modum haud scio an optime explicetur memorabilis illa liberae exportationis coercitio apud nationem cuius permultum interesse oportebat mutuum commercium nullis carceribus circumscribi.

Quid multis urbibus praestiterit thynnorum captura inde cognoscimus, quod piscem cui magnam divitiarum partem debebant in numis earum repraesentatum videmus, pelamydem in numis Byzantii, thynnum in numis Gadium, Sextorum, Abderae, Romae (v. p. 28), Soluntis, Acanthi, Istri, Olbiae, Chersonesi, Panticapaei, Phanagoriae, Sinopes, Chalcedonis, Cyzici, Lampsaci, Abydi (?), Methymnae, Clazomenarum, Tei, Chii, Sami, Lyciae (v. p. 37), Tarsi, aut certe summa probabilitate agnoscimus. Inter numos urbium in ora Asiatica sitarum certa quaedam communio intercedere videtur: praeter numos Cyzici quae urbs quasi symbolo hoc pisce utebatur in numis aureis ac plerumque antiquissimis qui insignibus Sami, Chii, Tei, Methymnae,

Aristot. 136); στάμνοι, quibus Gaditani orcynorum triangula condebant (Ps.-Hesiod. ap. Ath. III 116 b); βῖκοι, quibus Siculi thynni frusta asservabantur (Archestr. fr. XXXVIII); vas pelamydum (Iuvenal. VII 119); amphora muriae (Mart. XIII 103); orca muriae Byzantiae (Hor. s. II 4, 65); — urceorum Pompeiis repertorum tituli LIQVAMEN OPTIMVM indicant, C. I. L. IV 2590 sqq.; cf. Blümner, Gewerbl. Thätigk. p. 118.

Clazomenarum, Lampsaci, Chalcedonis, Abydi (?) signati sunt — exuviis capitis leonis, sphinge, grypho, apro, apro alato, equo marino alato, tauro, haliaeeto — thynnus nobis occurrit secundarium quodammodo symbolum; postica horum numorum pars quadratum incusum habet quadripartitum. Verumtamen silentio non debeo praeterire quod ab aliis viris doctis rei numariae peritis numi Asiae minoris qui thynni typo signati sunt soli Cyzico urbi omnes tribuuntur (cf. Greenwell in Numism. Chron. III ser. VII (1887) p. 86. 109. 114. 117); Brandis cuius sententiam sequor haec fere iudicat de thynno cum insignibus aliarum urbium coniuncto (Münz-, Mass- u. Gewichtsw. in V.-Asien, 1866, p. 188 sqq. 241): Vix credibile est typum tam memorabilem casu vel absque causa additum esse, nec tamen imitatio typi noti atque gratiosi suspicanda, quoniam in Asia minore auri feriundi ratio Phocaea non Cyzico usque propagata est; cum vero animo perpendamus, staterem Phocaicum principio ad certum argenti pretium examinatum esse, quod pretium paulatim imminui necesse erat postquam ille iam non ex auro puro sed ex auro albo Lydio cudi coeptus est, nisi singulae urbes ad certam aestimationem invicem sese obligarent, inde quod complures Asiae minoris urbes numos aureos eodem typo signabant concludere licebit, legitimam pecuniae aestimationem eas conventione numaria inter se inita sanxisse. Numorum fabrica indicare videtur, multo ante Darium thynni typo signari coeptum esse, postea sub imperio Persarum a plurimis urbibus illa signandi ratio abolita est, quam sola fere Cyzicus quae urbs Mileto diruta primi ordinis emporium factum est retinuit et in argenteos quoque numos transtulit.

Maxime memorabiles numi aenei sunt in Olbiae excidiis reperti ac symbola quaedam aenea pisciculi forma excusa. Pisciculi minores ΘΥ literas in altera parte ostendunt, maiores qui multo rariores apparent ΑΡΙΧΟ literis signati sunt: quos pisciculos ad largissimum Olbiae piscatum pertinere vero simillimum est, praesertim cum ΘΥ compendii interpretatio ΘΥννοϲ facillime sese offerat; ΟΥ literas quas interdum repperisse sibi visus est Koehler (Τάρ. p. 425 s) idem significare neque ΟΥραῖα, 'tronçons de la queue de Thon ou de Pélamyde' interpretanda esse nemo non videt, Θ literae puncto centrali nimis detrito. Multo plus habet difficultatis interpretatio alterius inscriptionis ΑΡΙΧΟ: minime sane ferendum est id quod contendit Koehler (ibid.), τΑΡΙΧΟϲ esse supplendum, quod vocabulum Olbiae incolae quippe antiquitus barbaris Scytharum gentibus intermixti cotidiano sermone ἄριχοϲ vel ἄριχο pronunciaverint! Quid enim locutio Scythizans in Graeco symbolo publico? et qui consonae explosivae in initio positae defectus? Coniecturae Froehneri qui pisciculos ΘΥ signatos Thyniae urbi, ΑΡΙΧΟ epigraphe notatos Arrhichorum nationi ad Phanagoriam domicilia habenti (Ἀῤῥηχοί) vindicare conatur (Catal. de la collect. I. Lemmé, Par. 1872, p. 24), illud obstat quod utrique non nisi Olbiae reperiuntur. Quare facere non poterimus quin se-

quamur sententiam Salletii (Zschr. f. Numism., 1883, X p. 146), qui illam literarum coniunctionem ad ἄῤῥιχος vel prisce ἄριχος vocabulum referendum esse putat, quod corbem significat, ita ut pisciculi minores unum thynnum indicarent, maiores ΑΡΙΧΟ literis notati corbem thynnorum h. e. certum quendam modum lege sancitum: ΘΥ = θύνου vel θύννου scil. symbolum, ΑΡΙΧΟ = ἀρίχο, doricae et priscae genetivi formae pro ἀῤῥίχου; quadrat in hanc interpretationem quod haec symbola illis minoribus multo rariores sunt, quoniam rariores fuisse consentaneum est qui magna pecunia coemerent quam qui cotidianum pabulum sibi pararent. Fortasse publicus erat mercatus thynnorum in civitate Olbiensium et publice venibant aut edebantur symbola modo unum thynnum modo corbem thynnorum significantia, pro quibus invicem merx accipiebatur (ibid.). Forum piscatorium Olbiae olim exstans commemoratur C. I. G. 2058 (cf. Inscr. ant. orae sept. P. Eux. ed. Latyschev, 1885, p. 38 B: κατὰ τὸ πρότερ[ον] ὑπάρχον ἰχθυοπώλιον).

Eandem fere literarum coniunctionem ΑΡΙΧ numi aenei Olbiae reperti exhibent, singulis literis in singula quattuor rotae radiorum intervalla distributis; antica pars Gorgus faciem ostendit, interdum caput Palladis galeatae (cf. Koehler p. 428); in magno numo aeneo apud Koehlerum repraesentato (fig. 8) eadem epigraphe areae intervalla explet quae aquilae imagine vacant alas pandentis et piscem suspendentis. Haec epigraphe quamquam easdem literas continet quam exhibent pisciculi speciei maioris, tamen fortasse prorsus ab illa seiungenda est nec nisi casu cum illa convenit, etsi non possum non concedere, literarum istam convenientiam valde miram ac singularem esse: sed qui opinione non praeiudicata ad hos numos accesserit non leget ΑΡΙΧ sed ΧΑΡΙ, quam literarum ordinem numus ille aquila notatus aperte reposcere videtur, cum vocabulum si quis ab Α ordiri vellet misere distraheretur piscis effigie intercedente. Sub illo compendio magistratus cuiusdam Olbiensium nomen fortasse latet (ΧΑΡΙδημος, -κλῆς, -σίας, -των), quae sententia comprobari videtur aliis eiusdem fabricae numis aeneis Palladis galeatae capite et ΠΑΥΣ inscriptione signatis, quod compendium certe nihil pertinet ad piscatum (ΠΑΥΣανίας, -ίας, -ων), neque obstant numi rotae typo et in antica parte ΙΣΤ literis notati (ΙΣΤιαῖος, -ίαρχος, -ρος), quos Olbiae potius quam Istro urbi tribuendos esse censet Sallet (l. c. p. 147). — Omotarichum 'un tronçon du cou et des épaules' in numo Olbiensi qui Apollinis laureati capite et ΟΛΒΙΟ epigraphe signatus est repraesentatum vidisse sibi visus est Koehler (p. 427, fig. 7): at enim spectator sobrius nihil aliud cognoscet nisi piscis cuiusdam protomen et quidem delphini aut acipenseris potius quam thynni; piscis caput interdum cernitur in numis Cyzicenis, cf. Num. Chron. VII 1887, p. 121. 123, una cum cauda piscis ibid. n. 167, utrumque coniunctum cum thynno ibid. n. 162: κεφάλαιον — οὐραῖον?

Sed haec hactenus!

Largissima certis anni temporibus thynnorum captura, quae nonnunquam adeo abundabat ut piscatores praedae partem liberare cogerentur, mox eo adducere necesse erat, ut maris fructum in posterius tempus asservare studerent, eoque magis quod caro recens illis locis coeli tepore insignibus brevi corrumpebatur nec nisi ad loca proxima advehi poterat: qua de causa piscium sale conficiendorum ars iam priscis temporibus certe inventa atque exculta est. Quod Italiae praestabat Hispania australis, idem Graecis Ponti regio septentrionalis, eoque magis urbes Ponticae ad opus salsamentarium adducebantur quod multae e coctura salis marini haud mediocrem quaestum capiebant (cf. Preller, Ausgew. Aufs. ed. Koehler, 1864, p. 452). Parva tantum pars salsamentorum accolis victum praebuit, plurima copia in emporia Asiae minoris et inde quoquoversus exportabatur, praesertim cum pisces salsi pabulo usitatissimo essent tenuiori plebeculae (cf. Blümner, Gewerbl. Thätigk. p. 42): velut colonus quidam salsamentum navi oneraria Panticapaeo Theodosiam apportandum sibi curaverat, ut operas rusticas eo sustentaret (Demosth. c. Lacrit. c. 32 p. 933; 34 p. 934: ταρίχους κεράμια ἕνδεκα ἢ δώδεκα). Ita factum est, ut thynnus quippe qui praeter ceteros pisces ad saliendum aptissimus maximam salsamentorum partem efficeret, non deteriorem locum in veterum mercatu obtineret quam hodie harengus in mercatu totius orbis terrarum.

Vile salsamentorum pretium in proverbium abiit: velut Aristophanes tyrannidem salsamenti viliorem vocat (Vesp. 491: τοῦ ταρίχους ἀξιωτέρα; cf. Equ. 1247: ἐπὶ ταῖς πύλαισιν, οὗ τὸ τάριχος ὤνιον, ad quem locum adnotat scholiasta: ὤνιον· εὔωνον. ὅπου ταριχοπωλεῖον, ἀντὶ τοῦ ὅπου τὰ εὐτελῆ πωλεῖται); salsamentum horaeum duobus obolis stans memorat Alexis (ap. Ath. III 117 d), omotarichum quinque chalcorum idem (ibid. e); hyperbolice quidem haud dubie apud Nicomachum vel Philetaerum comicum (Ath. III 118 e) duobus obolis aliquis permagnum salsamenti frustum, τίλτον quod vocabant, drachmam valens sese mercatum esse ait, quod homines duodecim tribus diebus vix comederent; nec raro fortasse accidit, ut condimenta pluris starent quam salsamentum, ut est in proverbio: ὀβολοῦ τάριχος, δύ' ὀβολῶν τἀρτύματα (Mich. Apostol. XIV 9); Philippides comicus (ap. Ath. VI 230 a) salsamenti portionem duobus tribusve obolis pro virili parte aestimat, cappares tribus chalcis (cf. Boeckh, Staatshh. [3]1886, I p. 130). Cybium triobolo emitur apud Alexin (l. c.): pro vili edulio habebatur (Mart. V 78, 5. 22, XI 27, 3. 31, 14); cordylae apud tabernarios venibant Romae sicut tus piperve papyro involutae (Mart. III 2, 4. XIII 1, 1), easque apud Graecos quoque parvi pretii fuisse testatur sententiola: 'κορδύλης οὐκ ἄξιος' (Bekker, Anecd. I 105, 3. Suid. s. v. κορδύλη). Meliores vero recentium thynnorum partes ac praecipue frusta ventralia multo cariora erant: apud Timoclem comicum ridetur Corydus quidam parasitus, qui quattuor chalcos habens in macello anguillas, thynnea, narcas,

carabos gestierit, sed pretio audito ad membrades aufugerit (Ath. VI 241 a); Eriphi fragmentum docet, pauperes nec thynnacis abdomen nec labracis caput neque congrum neque sepias emere posse (Ath. VII p. 302 e); quin etiam perstringitur ab Hipponacte (ibid. 304 b) homo quidam delicatus, qui thynnidem ac myttoton cotidie epulans sicut Lampsacenus eunuchus patrimonium abligurierat, ita ut saxa in montibus effodere cogeretur, ficorum demensum ac panem cibarium ex hordeo factum rodens, servile pabulum. Caudam thynni cibum festo die appositum memorat Persius (V 182 sq.), ieiuniorum fortasse escam (cf. Herodis dies v. 180, recutita sabbata v. 184; Teuffel, Pers. Sat. 1844, p. 176). Catonis maioris temporibus Romae unum salsamenti Pontici vasculum trecentis denariis stetit (Polyb. XXXI 24: 'δραχμαῖς'), eidemque ganeonum luxuriem ac prodigentiam exprobranti apud Plutarchum (Qu. symp. IV 4, 2 p. 668 b) dictum tribuitur, vasculum salsamenti pluris venire quam centum ovium hecatomben una cum tauro (cf. Boeckh l. c.). Muriam multo viliorem fuisse garo Martialis xenium XIII 103 docet, quo amphora muriae dono sese non missam fore ait, si e scombro non e thynno fabricata esset; gari optimi congii fere bini Plinii temporibus singulis milibus nummum venum ibant (XXXI 94).

Quod attinet ad res divinas iam supra sacrorum mentio facta est thynnaea quae vocabantur: et quidem ex toto piscium genere solius fere thynni sacrificia fiebant apud veteres, cum in universum valeret Plutarchi illud 'ἰχθύων δὲ θύσιμος οὐδεὶς οὐδὲ ἱερεύσιμός ἐστιν' (Qu. symp. VIII 8, 3); quam rem ita explicat P. Stengel (Herm. XXII, 1887, p. 99), ut ideo pisces a veteribus dis non esse sacrificatos suspicetur, 'quod neque sanguinem habeant nec potuerint vivi atque integri ad deorum aras afferri: nihil autem sibi postulare deos nisi vitam hostiae quam sanguine potissimum contineri veteres putarent' (cf. Corpusc. poes. ep. gr. lud. I p. 184). Thynnum apud Graecos Dianae sacrum fuisse adnotat Blochius (Oec. Naturg. d. F. p. 101), testimoniis quidem non allatis ac perperam sine dubio; nec melius testimoniis comprobatur id quod legimus Élite céramogr. III p. 21 sq.: 'Le poisson pélamide κωλιάς ou κολιάς était considéré comme aphrodisiaque et consacré à l'Aphrodite Colias. Tous les poissons de la même famille passaient dans l'antiquité pour avoir la même propriété', unde thynno quoque tribuitur 'une puissante vertu aphrodisiaque' (ibid. p. 43): apparet enim, pelamydem ac thynnum pro uno eodemque pisce haberi ab editoribus atque coliam et lacertum ('les poissons pélamides étaient compris par les Latins sous le nom générique de lacerti, Plin. XXXII 11, 53') et pompilum ('Athenée [VII p. 282 f] appelle le poisson pélamide πομπίλος, ζῷον ἐρωτικόν' — immo vero similem non eundem utrumque piscem vocat, ἐοικὼς πηλαμύδι!), ac vim veneream pompilo adscriptam in ceteros transferri. Quod Venerem Coliadem artifex coliam piscem manu tenentem finxit (ibid.) — si quidem recte res se habet: locum citatum ad

quem respicit illa nota frustra quaesivi —, certe non propter magicas vires quae ad deam pertinent factum est sed propter marinam deae originem ac fortasse propter fortuitam Κωλιάς et κολίας vocabulorum similitudinem, ut quasi loquens nominis insigne deae attribueretur; an vice versa potius interpres recens statuam Veneris coliam (?) piscem manu tenentis ad Venerem Coliadem retulerit? — Veneris — Astartes symbolum fuisse thynnum eidemque sacrum, quam sententiam profert Greenwell (Numism. Chron. VII, 1887, p. 46), pariter testimoniis caret.

Non tamen veri dissimile est, apud Carthaginienses thynnum aut Herculi Tyrio (Melkarth) aut deo maris potenti sacrum fuisse (cf. Münter, Rel. d. Karth., ^{2}1821, p. 51. 103): in numis Gadium et Sextorum Punicis thynnus cum capite Herculis coniunctus esse solet, in numis Abderae capite Tiberii laureati signatis templum quinque columnarum apparet, quarum secunda et quarta piscis formam habent, in fronte templi inscriptio Punica cernitur (Gesen., Scr. Phoen. mon., p. 310. tab. 41 D); quod templum Neptuno sacrum fuisse existimat Florezius apud Eckhelium (D. N. V. I p. 13 sq.): addit idem, pisces in templo instar victimae constitui citatque Athenaei de thynnaeis locum. — Carthaginiensium moris fuisse in nuptiarum solemnibus, ut thynnorum concisis carnibus vescerentur, refert Alexander ab Alexandro, saeculi XV ICtus (Genial. dier. l. II c. 5), quae nota saepe deinceps repetita est sed quidem dubitanter[1]): ac frustra sane revolves veterum scriptorum libros; certe enim error intercessit vel fortuito vel consulto prolatus: aut ipsi lapsus memoriae accidit aut altissimam antiquitatis scientiam ut assolet simulans[2]) de suo narratiunculam ficticiam in medium protulit.

Inter deos quos thynnorum capturae patronos ac praesides venerati sunt veteres principem locum Neptunum obtinere apparet: Neptuno thynnaea sacrificia quotannis sub thynnorum tempestatem instaurantur, Neptuno Corcyraei taurum mactant taurique statuas aeneas Delphis et Olympiae ponunt, Neptunum malorum depulsorem precibus adeunt piscatores, ne gladius aut delphinus piscatum irritum

1) cf. I. C. Scaligeri Poet. l. III c. 101 p. 153; Hendreich, Carthago, 1664, p. 129, 'ex quo nescio'; Richteri Ichthyotheol. p. 522, qui quidem Graecis illum morem intrudit et thynnum fidei nuptialis symbolum facit apud Graecos (p. 631)! Beckmann ad Aristot. mirab. ausc. p. 307 Scaligerum testem laudat, 'sed nescio quo auctore usus' adnotans; Münter, Relig. d. Karth. p. 103[25] Alexandrum, 'ohne doch seinen Gewährsmann zu nennen'; addit idem, Milesios et Phocaeenses eorumque colonias thynnis capiendis ac saliendis operam dedisse 'wie allgemein bekannt ist': malum quod desunt veterum testimonia!

2) cf. Fabricii Bibl. antiqu., 1713, p. 67: 'Solet et hic Alexander plerumque autores, ex quibus profecit, dissimulare, vel iactare scriptores pridem deperditos et libros mirandae vetustatis, ubi ipse forte librum pandectarum vel alios scriptores obvios prae manibus habuit, uti passim notant Tiraquellus et Gothofredus.'

faciat (Ael. XV 6). Quare in artibus quae versantur in rerum imaginibus effingendis thynnum non raro Neptuno tributum videmus, quin etiam in antiquissima omnium ut videtur Neptuni effigie quam novimus (cf. Overbeck, Gr. Kunstmythol. II p. 209), imaginem dico Cleanthis Corinthii, quem linearis picturae inventorem — vel Philoclem Aegyptium — nominat Plinius (XXXV 16), qua de causa alte in saeculum VII retrorsum revocanda videtur imago (cf. Studniczka, Antenor u. arch. Malerei in Arch. Jahrbb. II [1887] p. 153): in illa tabula[1]) in fano Artemidis Alpheosae posita Neptunus pictus erat Iovi Minervam parturienti thynnum afferens (θύννον τῷ Διὶ προςφέρων ὠδίνοντι) teste Demetrio (ἐν ὀγδόῃ τοῦ Τρωικοῦ διακόςμου Ath. VIII 346 b. c). Per iocum ac ludibrium Neptuno thynnum tributum esse, perinde ac si Iovis dolores eo compescere vellet, Welcker arbitratus est ideoque Cleanthem pictoribus Alexandro Magno aequalibus vindicavit collato Ctesilocho pictore, qui secundum Plinium (XXXV 140) 'innotuit Iove Liberum parturiente depicto mitrato et muliebriter ingemescente inter opstetricia deorum'. Nihil tamen ridiculi habet illud thynni additamentum et ne recte quidem Neptuni habitum Demetrium explicasse apparet: certe enim artifex Neptunum non tam porrigentem thynnum quam manu tantummodo tenentem repraesentatum voluit ut marinum dei imperium significaret, neque vero suffecerunt vires id quod voluit peragendi pro impolita necdum libera priscae artis condicione. Omnino antiquioris artis fictores praeter fuscinam Neptuno piscem saepe tribuunt qui pro thynno fortasse habendus est, certe non pro delphino, quippe qui in recentioribus demum imaginibus occurrat (Conze, Heroen- u. Göttergest., I p. 15), id quod ad Cleanthis imaginem fortasse referendum est vel promptum illius aetatis typum reddit (cf. Overbeck, II p. 215): talem videmus in vase Tyrrheno rutilis figuris exornato quae maturae artis speciem prae se ferunt; piscem ipsum striis obscurioribus praeter naturam additis decorandum putavit artifex (Gerhard, Trinksch. tab. 21; Overb. Atl. tab. XII 5). Item thynnum delineatum voluisse videtur artifex in amphora Bacchica nigris figuris notata, quae Neptunum in tauro sedentem ostendit chitone talari et chlamyde vestitum, tridente insignem, altera ramos hederae tenentem, altera piscem (Él. céram. III tab. IV). Est quidem res maxime ardua ac paene vana, piscibus qui in vasis pictis cernuntur certa nomina imponere pro socordia veterum artificum ac licentia: ac sane plus semel dubites, num pictori certi piscis imago omnino ante oculos obversata sit. Pelamydem Theseo porrectam in manu Neptuni agnoscere sibi videntur delectus ceramographici editores in amphora Nolana rubris figuris exornata (III p. 21 tab. VIII), triglam ibid. tab. III (p. 9) et

1) Cleanthis imaginem in tabula pictam esse, non in pariete, inde apparet quod Athenaeus γραφὴν ἀνακειμένην eam vocat, cf. Welcker in Allg. Liter.-Ztg. 1836, Oct. n. 177 p. 179.

XIII (p. 40). Delphinum thynnumve quasi praeda exsultans dextra tollit Neptunus fuscina armatus, qui in curru vehitur duobus hippocampis iuncto, in gemma KV·INTIΛ literis insigni (Overb. p. 303, gemm. tab. II 14). In manubrio sartaginis argenteae Neptunus fuscina nixus caelatus est, qui sinistro pede delphinum calcat, dextra piscem, thynnum ut videtur, tenet (l. c. p. 306; Compte-rendu 1867, tab. II 1. 2). — Neptuni statuas dextra fuscinam, sinistra thynnum captum tenentis illis locis non defuisse suspicatur Rathgeber (Zimmerm. Ztschr. f. d. A.-W., VI 1839 p. 334), quibus piscatores thynnaea sacra facerent.

Haud mediocrem admirationem movet insolitum ac singulare lecythi ornamentum nigris figuris in alba vasis superficie pictum, quod delineatum videmus Él. céramogr. III tab. XIV (cf. Millin, Gal. mythol. CXXV 466): Neptunus chitone atque chlamyde plene amictus in saxo sedet e mari eminenti, dextra fuscinam tenens, sinistra piscem, qui pendet e linea ad mediam fuscinae cuspidem alligata; in altero saxo Hercules imberbis exuviis leonis circumdatus atque arcu pharetraque armatus genibus nititur et linea ad longum fustem destinata piscatur; ad eum conversus in tertio saxo Mercurius barbatus sedet, chlamydatus et petasatus, dextra caduceum tenens, sinistra loquendi vel instruendi gestum agens; praelongi oleae rami intervalla explent. Scaenam aliquam ex Epicharmi Musis vel Hebes nuptiis petitam ab artifice repraesentatam esse conicit O. Jahn, cui ioci quiddam ac ludibrii in hac imagine inesse videtur (Ztschr. f. d. A.-W. 1838, V p. 319 sq.); speculae thynnariae patronos in hoc vase depictos esse suspicatur K. O. Müller (Hdb. d. Arch. p. 508); Neptunus ad oblectationem hamo piscandi amicos invitasse videtur Furtwaenglero (cf. Roscher, Lex. d. gr. u. r. Mythol. p. 2220: 'zur Angelpartie'); interpretationis scopulum devitat R. Schneider (Arch.-epigr. Mitth. a. Oesterr. edd. Benndorf-Hirschfeld, III p. 28), quippe qui imaginem ut recenti fraude subditam in dubium vocet. Utut res se habet, certe duae potissimum offensiones insunt in illo deorum piscantium coetu: primum insolitus fuscinae usus, quippe qua Neptunus non telo utatur, sed instrumenti munere prorsus neglecto tanquam arundine tantum piscatoria unde lineam alligatam promittat; deinde ipsa Herculis piscantis figura eodem fere modo genibus nixa atque Engonasi sidus ad hunc deum vulgo relatum (cf. Él. céram. III p. 41): quid enim proficit Rathgeberi coniectura interrogative proposita (Ztschr. f. d. A.-W. 1839, VI p. 334), Gadibus in urbe thynnorum piscatu nobilissima statuam Herculis — at enim Tyrii — hamo piscantis collocatam fuisse, quoniam numi urbis, quibus responderent Sextorum numi, caput Herculis imberbis exhiberent, in altera parte unum vel duo pisces? Mercurius quidem ab opere piscatorio non alienus erat, quin etiam summum piscandi inventorem ac patronum Oppianus hunc deum praedicat (hal. III 9—15, 26—28); Mercurium nudum petasatum in rupe sinistrorsum sedentem, hamo pi-

scantem et Mercurium in litore sinistrorsum sedentem, piscem hamo captum virga attrahentem in numis aeneis Carteiae positos, urbis thynnorum pinguedine memorabilis, affert Rathgeber (l. c.); Mercurii statuis ad mare positis piscatores instrumenta piscatoria dedicare solebant cum a re piscaria in otium sese conferrent (cf. Brunck, Anall. III p. 176 n. 128, II p. 218 n. 22, 7). — Priapo litoris accolae dona piscatores ad oram collocaverunt qui reti bene nexo thynnorum gyrum circumscripserunt in micantibus pelagi aditibus (Anthol. VI 33).

Pauca iis quae adhuc commemoravi addenda sunt quod attinet ad artes quae rerum imagines effingunt: thynnus enim quamquam saepissime omnium maris interni piscium sine dubio ab artificibus repraesentatus est, tamen nullo modo cum delphino comparari potest quippe quo tanquam maris siglo usi sint veteres; unde factum est ut certus delphini typus ab illis statueretur a natura satis quidem abhorrens, sed communi omnium usu sanctus et bene notus ('stilisirt'). Certum thynni typum omnibus communem veterum ars non conformavit: in numis Gadium thynni effigies naturam ipsam accurate reddit, minus curiose efficta apparet in numis Sextorum et Abderae: huius urbis numi extremam corporis lineam quasi serratam exhibent nempe ad pinnas spurias significandas; numi Cyziceni praeclari ex magna parte operis fusiforme thynni corpus ostendunt latum atque obesum, pinnis margine tanquam denticulato plerumque notatis; Ponticarum regionum artifices qui numorum formas sculpebant hybridam quandam thynni figuram effingere solebant in numis Sinopes, Olbiae, Istri qui haliaeeto cum pisce signati sunt, cum delphini rostro addito naturam quasi emendandam putarent; simili typo iam non naturam imitanti sed ad certam artificum normam directo symbola Olbiensia formata sunt (cf. Furtwängler, Goldf. v. Vettersf. p. 27). In agnoscendis piscibus quos exhibent vasa picta itemque gemmae aliave signa, saepissime coniecturae campus late patet, aut propter artificum incuriam ac libidinem aut propter minutam rerum effictarum parvitatem, nec raro vix divinari potest quod piscium genus, si quidem voluit, repraesentatum voluerit artifex.

Ac primum quidem accedamus ad oenochoen Musei Berolinensis n. 1915 nigris figuris exornatam, in qua piscis sacrificium depictum esse existimavit K. F. Hermann (Gr. Ant., [2]1858, II p. 153): duo viri in pisce dissecando occupati sunt dimidiam hominis altitudinem aequanti; subligaculo tantum uterque vestitus est, rubris maculis et punctis distincto; longis ramis utriusque caput vinctum est; a dextra vir barbatus utraque manu piscem tenet, cuius proceritas atque corporis extrema lineamenta thynnum indicare videntur, supra vas utrimque ansatum quo sanguis excipiatur; a sinistra vir dextram attollit lato cultro armatam, sinistra gestum quendam agit memorabilem; utrumque virum canis comitatur collari ornatus. Cenae rusticae sollemniter agendae apparatum hac imagine repraesentari censet Gerhard (Auserl. Vbb. IV p. 88 tab. CCCXVI), qui picturae argumentum

e mimo comoediave aliqua depromptum esse suspicatur; piscem ab artifice iam mortuum animo cogitatum esse apparere ait Furtwängler (Beschrbg. d. Vasens. Berl., n. 1915), eumque ad cenam apparari a famulis, non sane immolari (cf. Schneider in Arch.-epigr. Mitth. a. Oesterr. III p. 28).

Thynni mercatus conspicitur in cratere Liparaeo flavis figuris exornato quem sic fere describit Cavedoni (Bull. dell. Inst. 1864, p. 55): senex calvus capillo et barba tenui albentique notatus, subligaculo tantum vestitus, magno cultro dextra sublato frustum de reliqua thynni parte succisurus est quam sinistra retinet in caudice tripede; thynni caput iuxta thynnum integrum in terra iacet; ex adverso senem videmus barba et capillo largo nigroque, semicalvum, curvum, simplici pallio usque ad coxam demisso circumdatum, qui sinistra thynni frustum et baculum nodosum tenet, dextra numum albo colore pictum venditori porrigit.

Pisces magni ac partim praegrandes qui cernuntur in imagine vascularia, qua Europa in tergo tauri ad Cretam insulam adveniens depicta est (Compte-rendu 1866, tab. III p. 79—127), pro thynnis habendi esse videntur: certe unum et idem piscium genus exprimere voluit artifex, quamquam nonnullae lineamentorum discrepantiae intercurrunt ac praecipue pinna caudalis septem piscium pictoris incuria valde inconstanter delineata est. Praelongae omnium pinnae pectoralis forma mirum in modum admonet speciei cuiusdam thynnorum thynnum alalongam quem idcirco vocant viri docti, neque obstat universa piscium forma.

Picturarum seriem concludat Philostrati imago XIII, qua thynnorum captura ita depingitur ut eam oculis cernere videaris. Speculator in mare prospicit oculis intentis ut piscium numerum assequatur, in caeruleo vero maris nitore piscium colores variant: superiores quidem nigri videntur, paulo minus proximi illis, at qui infra illos sunt visum iam fallunt, postea umbrae similes apparent, deinde aquae, quoniam oculorum acies in aquam altius penetrans ita hebetatur, ut quae in ipsa sint internosci iam non possint. Piscatorum autem iucundorum ac solis ardore adustorum alius remum alligat, alius remigat bracchio intumescente, alius adhortatur proximum, alius non remigantem percutit; clamor vero tollitur a piscatoribus cum in rete iam inciderint pisces et quidem alios captaverunt, alios modo captant. Ancipites vero quid faciant tanta piscium multitudine rete aperiunt et elabi quosdam patiuntur: tanta enim venatus abundantia luxuriant.

Eundem typum quem exhibent in numis nonnullae urbes Ponticae, haliaeetum dico thynnum devorantem, laminae aureae ostendunt ad Bosporum Cimmerium repertae, quae quidem artem rudem ac barbaram prae se ferunt; septem exstant exemplaria foraminibus ad affigendum terebrata (cf. Antiqu. du Bosph. Cimm., tab. XX 12, p. 145).

Ex iisdem certe regionibus piscis aureus profectus est nuperrime (Oct. a. 1882) ad Vettersfeldam Lusatiae inferioris vicum repertus, quem ad oras Ponti septentrionales graeca manu fabricatum thesauro sepulcrali principis cuiusdam Scytharum vindicat Furtwängler (Goldf. v. Vettersf. p. 42 sq.): e crassa lamina aurea accuratissime caelatus ornamenti causa scuto olim affixus esse videtur et quidem septem anellis validis, quorum quattuor in cavo piscis latere adhuc exstant. Quod attinet ad piscis figuram nonnulla ad thynnum quadrant viro docto quodam iudice, ac fortasse thynnus alalonga quippe qui insolita pinnarum pectoralium longitudine excellat artifici ante oculos obversatus est, licet caput nimis crassum et squamae nimis magnae sint ut apud thynnum (ibid. p. 6): sed quid mirum apud artificem qui ipsam piscis formam tam licenter mulcavit ut pinnam caudalem in duo capita arietina desinentem faciat, praeterquam quod ornamenti causa piscis corpus lineis spiralibus ac figuris bestiarum distinxit? Maxime conspicuis enim naturae formis retentis magnificum oculorum delectamentum fingere certe voluit: in superiore parte pinnae pectoralis limite seiuncta panthera aprum mordicus aggrediens et leo cervum fugientem dilanians cernuntur, supra leonem fragmenta leporis iniquitate ignis ex parte deleti; in inferiore parte Triton dextra delphinum perperam squamatum attollens, delphinus et quattuor pisces eiusdem generis ac totus piscis, sed pinna pectorali minore praediti; haliaeetus in arctiore piscis parte caelatus alis passis pisces insectari videtur. Eiusdem generis pisces duo caelati sunt in tegumento vaginae fabricae eiusdem una cum similibus ferarum figuris, panthera aprum et leone cervum insequenti; in superiore vaginae parte in modum cordis formata circuli oculati exsecti sunt (ibid. tab. III 1), in arcuata vaginae crepidine Scythica (cf. p. 36 sqq.) flos stellae formam imitans et leo currens cernuntur. Totius thesauri fabricationem VI saeculo exeunti adscribit Furtwängler, aut serissime saltem primis V saeculi decenniis (p. 44 sq.).

Mirum ac memorabile argumentum tractavit artifex anuli ex auro solido facti, quem exhibent Antiqu. Bosp. Cimm. (tab. VIII 2, p. 129): adolescens nudus in pisce sedens a fronte conspicitur, infra cammarus; piscis, qui et forma et proceritate cum thynno magnam habet similitudinem, non humi iacens intellegendus est, immo adolescentem dorso per mare portat, quod cammaro addito significatur: egregiae artis opus; domestica fortasse subest fabula.

In poesi saepissime thynnus nobis occurrit nec modo in didacticis Oppiani carminibus quae totam rem piscariam tractant aut Archestrati Geloi qui ventris causa et eorum quae infra ventrem sunt terrarum orbem circumnavigavit (Ath. III 116 f. VII 278 d) et cuius carmen Epicureae philosophiae metropolin vocavit Chrysippus (ibid. III 104 b), sed ne sublimis quidem cothurni tragici oratio de thynno collationes depromere dubitavit: quin etiam Aeschylum 'oblectamenti caussa thynnos venatum ivisse' sibi persuasit Blomfield (ad Pers. 416)

inde quod aliquoties ab illo commemoratur; quam suspicionem si non probabimus at hoc inde colligemus, Aeschylum rei auditoribus non ignotae nec despicatui habitae mentionem facere sibi visum esse. Persarum internecionem ad Salaminem factam comparat cum caede thynnorum aliorumve piscium: remorum ac navigiorum fragmentis caedebantur et discutiebantur, lamentationibus et eiulationibus totum mare implebatur (Pers. 416 sqq.); tacitae perpessionis exemplum de thynno capit (fr. 300 N.): 'malleos sumere atque ignitas massas incudere, qui sine gemitu veluti thynnus tolerabat, nulla voce emissa'; Preces limis oculis spectantes cum thynno comparat sinistrum oculum detorquenti (fr. 301 N.). Alio tragoediae fragmento Plutarchus animi perturbationem quam movet conscientia mala thynni imagine illustrat qui telis obrutus per mare furit (fr. adesp. 322), eodem versu facundiae forensis concitationem atque impetum. Apud poetas comicos saepissime commemoratur, interdum in praelongis deliciarum indicibus; perincommode accidit quod Sophronis Thynnorum venator, quem suavem vocat Aelianus, (Θυννοθήρας Ath. VII 303 c. 306 d; τὸν ἡδὺν Θυννοθήραν Ael. XV 6; ἐν Θυννοθήρᾳ Etym. M. s. v. Ἠΐα, ἐν Θυννοθήραις ibid. s. v. λογάδες) temporis iniquitate ad fragmenta perexigua periit: nonnulla res ad piscatum thynnorum aliorumve piscium pertinens hoc mimo luculenter explicaretur; in alio quoque mimo, Ἀγροιώτης (Ath. VII 309 c) atque adeo Ἁλιεὺς τὸν ἀγροιώταν (ibid. III 86 a. VII 288 a) qui inscribebatur, piscatoris thynnarii personam Sophron in scaenam produxerat, cuius filio Cothoniae ('Schmerler') nomen indiderat. Thynnaeus piscatoris nomen est apud Alciphronem (I 11); cf. Thynnonis nomen quod occurrit in titulo Copaeo (Cauer, Del. inscr. gr., 1883, p. 211 (308)). Thunnicipitum natio (Θυννοκέφαλοι) in ventre ceti loca ad sinistram sita inhabitat apud Lucianum (ver. hist. c. 35) una cum Cancrimanis, qui belli societatem atque amicitiam inter se inierant; in pugna ipsa dextrum cornu habent Tarichanes, Pelamo duce, sinistrum Thunnicipites, mediam aciem Cancrimani (ibid. c. 38). In fabella Aesopea (167 H.) thynnus et delphinus illum persequens nimio impetu rapti in litore una eliduntur; ac thynnus delphinum animam exspirantem videns 'Iam non acerba mihi mors' inquit, 'mortis enim noxium mecum morientem video'. Adagiorum exempla supra attuli; addam quod Horatianum illud 'Plures adnabunt thynni' (sat. II 5, 44) e consuetudine proverbii demptum esse videtur, ut nuperrime suspicatus est Otto (Sprichwörter u. sprichwtl. Redensarten d. Römer, 1890, p. 348), collato loco Luciani (Tim. 22) 'οἷος ὁ θύννος ... διέφυγεν'; θυννίζειν quoque verbum ipsum in proverbium abiit (ἀντὶ τοῦ κεντᾶν, v. p. 45).

Capitum conspectus.

SEMASIOLOGISCHE STUDIEN

VON

OSKAR HEY.

I.

Theoretisches.

'Die Philologie hat sich erweitert mehr und mehr nach Seite der idealen Reproduktion hin — sie strebt nach dereinstiger Vermählung mit der Historie. Hierin liegt ihre Geschichte, Stellung, Zukunft.'

Ritschl.

Erster Abschnitt.

Die Semasiologie als Wissenschaft.

(Principien. — Bestimmung der Wortbedeutung.)

Eine Bedeutungslehre oder Semasiologie ist in neuerer Zeit sowohl von Seiten der Sprachwissenschaft wie von Seiten der Philologie, speziell der klassischen, als eigene wissenschaftliche Disciplin verlangt worden, und wir haben hier wie dort einige mehr oder minder glückliche Ansätze zur Begründung einer solchen zu verzeichnen, die aber den Zweifel an der Möglichkeit derselben überhaupt noch nicht ganz haben zum Schweigen bringen können.

Die Semasiologie läfst sich in der That sowohl als Disciplin der Sprachwissenschaft im Allgemeinen wie als Zweig der Philologie betrachten. Dafs die Bedeutungslehre einer bestimmten nationalen Sprache zunächst unter den Begriff der besondern, mit dem Leben einer bestimmten Nation sich befassenden Philologie fällt, hat F. Heerdegen in den 'Untersuchungen zur lat. Semasiologie' Heft I. Erlg. 1875 (Kap. I) nachgewiesen. Hierauf beruft sich Verf. vorliegender Arbeit, wenn er sich ohne weitere Begründung in seinen Betrachtungen auf den besonderen Standpunkt des philologisch Forschenden stellt.

Nach der allgemeinen oder Wortdefinition ist die Semasiologie die Lehre von der Bedeutung oder dem inhaltlichen Werte der Wörter, im Gegensatz zur Lehre von ihrer äufseren Form; oder anders ausgedrückt, die Lehre vom Verhältnis dieser Formen (Lautgebilde) zu den Vorstellungen der innern Welt des Geistes und da-

durch auch mittelbar zur äufseren realen Welt. Eine genauere wissenschaftliche Definition wird uns weiterhin zu beschäftigen haben.

Die inhaltliche Wertbestimmung eines Wortes galt lange nicht als *eigene* Aufgabe einer wissenschaftlichen Sprachlehre; sie bildete nicht einen besonderen Teil derselben. Das Lexikon war das grofse Bassin, in welches alles semasiologische Material zusammenflofs: das Lexikon, welches ohne wissenschaftliche Grundsätze und mit viel subjektiven Zuthaten, in möglichster Vollständigkeit alle Bedeutungen eines jeden Wortes zu registrieren sucht, allein mit dem praktischen Zwecke der Ermöglichung resp. Erleichterung des Verständnisses der litterarischen Überlieferung. Semasiologischen Stoff enthalten auch die Stilistik und die Synonymik, von denen erstere die Modifikationen einzelner Wortbedeutungen und Phrasen zu bestimmten ethischen oder ästhetischen Zwecken, meist in Vergleichung mit dem Formenschatz einer anderen Sprache, behandelt, letztere die begriffsverwandten Wörter zusammenstellt und ihre synonymischen Differenzen angiebt: indem beide Disciplinen den praktischen Zwecken der Reproduktion und der Interpretation[1]) dienen.

Lexikon, Stilistik und Synonymik — natürlich auf einer idealen Höhe der Genauigkeit und Vollständigkeit gedacht — genügen vollkommen dem, was der Philolog von jenen praktischen Gesichtspunkten der Interpretation und der Reproduktion aus über die Bedeutungen der Wörter zu wissen verlangen kann.

Es war daher kein praktisches oder subjektives Bedürfnis in diesem Sinne, welches die Forderung einer 'Semasiologie' neben diesen Disciplinen erzeugte — wenn man sich auch anfangs über den fundamentalen Unterschied zwischen ihr und den blos stofflich verwandten Disciplinen der Stilistik und Synonymik nicht klar war — sondern das Bewufstsein, dafs sich 'gewisse Grundsätze aufstellen lassen, welche von einer Menge von Wörtern die Entwickelung ihrer Bedeutung und ihre Anwendung zeigen' (so Reisig, Einleit. zu d. Vorl. üb. lat. Sprachwissenschaft § 20).

Von der bisher üblichen Lexikographie unterscheidet sich also die Bedeutungslehre (aufser durch die Begrenzung des Stoffes) dadurch, dafs sie die Summe der Bedeutungen eines Wortes nicht nach äufserlich-praktischen oder logisch-schematischen Gesichtspunkten, sondern nach jenen 'gewissen Grundsätzen' ordnet; der gleiche Gesichtspunkt unterscheidet sie auch von Stilistik und Synonymik, abgesehen davon, dafs diese nicht vom Wortindividuum, sondern von einem bestimmten Begriff als Gegebenem ausgehen.

Diese wissenschaftlichen 'Grundsätze' nun, durch welche die Semasiologie eine grammatische Disciplin wird, können nur solche

1) Es wird kaum besonders anzumerken sein, dafs unter Lexikon speziell das nach den Wörtern der fremden Sprache rubrizierende (lateinisch-deutsche, griechisch-deutsche u. s. w.) verstanden wird.

einer historischen Wissenschaft sein; 'von einer andern, als einer historischen lateinischen Bedeutungslehre kann nach den Grundsätzen wissenschaftlicher Grammatik gar nicht die Rede sein' sagt F. Heerdegen.[1]) Der Gegenstand der Semasiologie ist daher der Bedeutungswandel, ihr Ideal die Bedeutungsgeschichte; ein historisches, kein 'utilitarisches' Bedürfnis giebt ihr die Berechtigung zur Existenz.

Wie wird sich nun aber die Semasiologie mit ihren historischen Grundsätzen zur wissenschaftlichen, d. h. historischen Lexikographie verhalten?

Stofflich wird sie durchaus einen integrierenden Bestandteil derselben bilden.

Aber ist sie deshalb blos Mittel zum Zweck für jene? Wäre dies der Fall, so würde sie nicht das Recht haben, als eigene grammatische Disciplin unter besonderem Namen neben der Lexikographie aufzutreten.

Um zum Range einer selbständigen Disciplin der historischen Grammatik erhoben zu werden, mufs die Semasiologie ihren Stoff nach solchen Grundsätzen (Gesetzen oder Analogien) behandeln und ordnen können, welche unmittelbar einer philologisch-historischen Erkenntnis dienen und derartig beschaffen sind, dafs sie im Rahmen der alphabetisch-lexikographischen Wortbehandlung nicht zur Geltung kommen würden.

Die Frage nach diesen Gesichtspunkten ist die nach den Principien der neuen Disciplin.

Über diese herrscht noch keine Einigkeit und sie sind es hauptsächlich, welche die Semasiologie noch nicht weit über das Gebiet theoretisch-principieller Erörterungen haben hinausgelangen lassen.

Die Feststellung der Principien bedeutet aber die Beschaffung der Werkzeuge zur Bearbeitung des historischen Stoffes: es läfst sich an diesen nicht herantreten, ohne zu jenen einen festen Standpunkt genommen zu haben. Darum sei es auch der vorliegenden Arbeit, die wesentlich eine philologisch-historische sein will, verziehen, wenn sie sich eingehender mit diesen principiellen Fragen befafst.

Mit einer zweiten Hauptschwierigkeit bei Begründung der Semasiologie müssen sich diese Untersuchungen ebenfalls vom theoretischen Standpunkte aus beschäftigen: mit der Frage der Bestimmung einer Wortbedeutung im wissenschaftlich-semasiologischen Sinn. Es ist hiebei nicht an die Schwierigkeit der Definition eines Begriffes im philosophischen Sinne gedacht, welche darauf beruht, dafs derselbe im Grunde nur durch Worte für

---

1) Grundz. d. lat. Bedeutungslehre (Berl., Calvary 1888) S. 59. — Vgl. die Ausführungen auf Seite 89. Über Hölzers Begriff der Semasiologie ebendort in der Anm.

andere Begriffe, nicht durch diese selbst gemessen werden kann; auch nicht an die Mifslichkeiten, welche die unsichere Begrenzung eines Wortbegriffes durch das Gefühl für eine Darstellung[1]) unter Umständen mit sich bringen kann: vielmehr sollen nur die Grenzen des Begriffes 'Wortbedeutung' gesteckt werden, wie sie die Semasiologie voraussetzen mufs, wenn sie im 'Bedeutungswandel' einen Übergang von Bedeutung zu Bedeutung konstatiert.

Das Wort 'Semasiologie' begegnet uns zuerst bei K. Reisig in dessen 'Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft'.[2]) Wahrscheinlich ist Reisig der Schöpfer dieses Wortes, jedenfalls aber derjenige, welcher der Semasiologie eine selbständige Stellung innerhalb der Grammatik einräumte und somit ihre wissenschaftliche Behandlung in der Philologie begründete.

Aller Anfang ist klein: bei Reisig nimmt die Semasiologie, als mittlerer Teil der Grammatik, obwohl den beiden anderen Teilen, der Etymologie (Formenlehre) und Syntax koordiniert, doch nur etwa ein Vierzigstel des ganzen Umfangs der Vorlesungen ein (Einl. u. Etymol. S. 1—285. Semas. 286—307. Synt. 308—839). Und nicht einmal dieser kleine Bruchteil enthält rein semasiologischen Stoff. Reisig hat stilistische und rhetorische Gesichtspunkte in die semasiologische Aufgabe mit hereingezogen. Schon ein Blick auf die Haupteinteilung, die er mit seinem Stoffe vornimmt, zeigt, was für heterogene Elemente hier zu einer blos äufserlichen Einheit zusammengeschweifst sind: die erste Abteilung, überschrieben: 'Grundsätze, welche bei der Entwickelung der Bedeutung gelten', behandelt den Stoff objektiv-historisch; die zweite Abteilung: 'Grundsätze, nach welchen die Wörter hinsichtlich der Bedeutung zu wählen sind', beschäftigt sich mit dem Stoffe in Beziehung auf die Brauchbarkeit zu subjektiv-praktischen Zwecken. Die beiden Teile sind, wie man sieht, unter kein gemeinschaftliches Princip zu bringen: der Unterschied zwischen subjektiv-praktischer und objektiv-historischer Grammatik war eben jener Zeit, wo die Auffassung der Philologie als historischer Wissenschaft noch nicht fest gegründet und die Konsequenzen dieser Auffassung für die Gestaltung der wissenschaftlichen Grammatik noch nicht gezogen waren, nicht zu klarem Bewufstsein gekommen.

Im Einzelnen lassen wir uns nicht auf eine Kritik der Reisigschen Anschauungen ein; F. Heerdegen hat dieselbe geschrieben,

1) Vgl. dazu Paul, Principien d. Sprachgeschichte² S. 83.

2) Gehalten 1826/27. Veröffentlicht durch R.'s Schüler Haase 1839, neu hgg. von Hagen, Heerdegen (Semasiologie), Schmalz u. Landgraf (Berl., Calvary 1881 ff.).

von dem objektiv-historischen Standpunkt der gegenwärtigen Grammatik aus.[1])

Wenn bei Reisig die Semasiologie nach Seite ihres äufseren Umfanges etwas stiefmütterlich behandelt erscheint, so macht sie sich bei F. Haase, dem Schüler Reisigs, um so breiter. In seinen 'Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft' (Bd. I hgg. von Eckstein. 1874. Bd. II hgg. von Peter. 1880)[2]) nimmt sie fast den ganzen Raum ein: der 'Bedeutungslehre' sind mit Ausnahme der Einleitung die gesamten Vorlesungen gewidmet.[3]) Aber was begreift Haase nicht alles unter dem Worte Bedeutungslehre! 'Bedeutung' ist ihm alles, was nicht auf die blofse leere Form, sei es des Wortes sei es des Satzes, bezug hat; und da nun zu dieser weitherzigen Auffassung des Wortes Bedeutung der Mangel des Begriffs einer historisch-objektiven Grammatik, wie bei Reisig, kommt; so findet sich in seinem System, abgesehen von wirklich Semasiologischem, eine Fülle von Erscheinungen behandelt, die zur Etymologie, Stilistik, Rhetorik und Syntax gehören. Heerdegen hat (Untersuchungen II und Grdz. S. 48 ff.) auch Haases Auffassung der Semasiologie einer ausführlichen Kritik unterzogen, auf deren negativen Teil, die Ausscheidung der nicht-semasiologischen Elemente aus dem System, wir hier verweisen können, da Heerdegens Anschauung auch die unsrige ist; wirkliches semasiologisches Material sieht Heerdegen nur in dem Kapitel 'Wechsel der besonderen oder lexikalischen Bedeutung' (S. 171—187) enthalten.

Einen wesentlichen Fortschritt für die Semasiologie nach Seite ihrer theoretischen Begründung bezeichnen die Arbeiten von Ferdinand Heerdegen, den wir eben als Kritiker seiner Vorgänger nannten; seine Gedanken sind hauptsächlich in den 'Untersuchungen zur lateinischen Semasiologie' (Heft I. 1875: Einleitung. II. 1878: Allgemeine Principien. III. 1881: Ein lexikalisches Beispiel)[4]), sowie in den 'Grundzügen der lateinischen Bedeutungslehre', dem Anhange zum neuherausgegebenen Teil II der Vorlesungen von Reisig (s. S. 86 Anm.), niedergelegt. Der Inhalt der 'Grundzüge' deckt sich, was das Semasiologische betrifft, mit dem der Hefte in allem Wesentlichen (besonders mit Heft II); das Gebiet der Betrachtung ist teilweise verschieden; in den Heften ist die Forschung hauptsächlich kritisch und induktiv — sie beschäftigt sich mit der Schöpfung der semasiologischen Begriffe —, während die 'Grund-

---

1) In den 'Untersuchungen zur lat. Semasiologie II' (Erlg. 1878) § 2, und detailliert in den kritischen Noten zu Reisigs Vorlesungen.

2) Als Vorlesungen gehalten zuerst 1840.

3) Die Gesamteinteilung der Grammatik ist wie bei Reisig die nach Etymologie, Semasiologie, Syntax.

4) Dieses Beispiel geht, wie man aus der Bezeichnung 'lexikalisch' ersieht, über den Rahmen des rein Semasiologischen hinaus und zieht Etymologie, Flexion und Syntax mit in die Betrachtung.

züge', vorwiegend deduktiv, diese Begriffe bearbeiten und durch Beispiele belegen.[1])

Der Fortschritt Heerdegens beruht vorzugsweise auf der deutlicheren Erfassung und infolgedessen klareren Begrenzung des Begriffes der Semasiologie als Wissenschaft.

Mit dieser Aufgabe beschäftigt sich das erste Heft der Untersuchungen.

Das erste Kapitel desselben weist der 'besonderen oder individualen (= nationalen) Grammatik' ihre Stellung innerhalb der gesamten Wissenschaft, Kap. II der 'Bedeutungslehre oder Semasiologie' ihre Stellung innerhalb der Grammatik an. Das Resultat, zu dem der Verf. in diesem Kapitel geführt wird, ist folgendes: Die 'besondere Grammatik' kann nicht (nach Steinthals Einteilung) unter den Gattungsbegriff der allgemeinen Sprachwissenschaft fallen, sondern gehört in den Rahmen der Philologie, ist 'Ausschnitt aus der Philologie eines Volkes' nach Steinthals eigenem, von Heerdegen adoptierten Ausdruck. Die Philologie aber ist die Erkenntnis des Individuell-Historischen (S. 18); wie man daher nicht von einer 'Gesamtphilologie' als einer materiellen, wissenschaftlichen Einheit reden könne, so dürfe man auch von keiner Gesamtgrammatik, von der die besondere ein selbständiger Teil wäre, sprechen (S. 18 f.). Damit sei nicht gesagt, dafs die wissenschaftlichen Ergebnisse der Forschung auf dem Felde einer nationalen Semasiologie nicht integrierende Bestandteile der allgemeinen Sprachwissenschaft (als Sprachenklassifikation) werden könnten; neben der philologischen Betrachtung sei die linguistische oder glottologische sehr wohl möglich (S. 24): aber in ihrer abgeschlossenen Selbständigkeit bilde die nationale (individuelle) Semasiologie keinen Theil der Gesamtsprachwissenschaft, sondern der Philologie. — Nachdem nun H. so die besondere (nationale) Semasiologie unter die nationale Grammatik als nächst höhere Einheit gebracht[2]), geht er im zweiten Kapitel seines Heftes daran, zu bestimmen, *welche* Stellung die Semasiologie innerhalb des Rahmens der Grammatik einnimmt; es geschieht dies auf Grund einer Kritik der Gliederung, die Schleicher (Einleitung zur

1) Bei dieser Gelegenheit sei auch auf Heerdegens 'Lateinische Lexikographie' in Iw. Müllers Hb. II² 608—635, sowie auf dessen weitere, mit principiellen Fragen sich beschäftigende Schriften hingewiesen; dieselben sind: Begriff und Einteilung der Philologie (B. f. d. b. G. XIII S. 287 ff.); die Idee der Philologie, Erlg. 1879; Über historische Entwickelung lateinischer Wortbedeutungen (Verhdlg. d. Philol.-Vers. 1880 S. 87 ff.); Zur Encyclopädie d. class. Philologie (B. f. d. b. G. XXI S. 401 ff.).

2) Die Grammatik selbst bezeichnet H. als einen Teil der Sprachlehre — allerdings den dominierenden. Grammatik, Metrik, Stilistik sind die drei Disciplinen derselben. Die Grammatik betrachtet die Sprache nach Seite des Denkens (psychologischen, nicht logischen), die Metrik nach Seite der Empfindung, die Stilistik nach Seite des Willens (Charakters).

'deutschen Sprache') eingehalten wissen will. H. kommt, durch Unterscheidung von Form und Funktion (= Bedeutung) einerseits, und Wort an sich sowie Wort im Satz andrerseits zu folgender Vierteilung des grammatischen Stoffes (S. 47):

I. Lehre vom Wort für sich oder Wortlehre.

1. Formenlehre des Wortes für sich, d. i. Etymologie (worunter auch Laut- und Wortbildungslehre mit inbegriffen).

2. Funktionslehre des Wortes für sich — Semasiologie.

II. Lehre vom Wort als Glied des Satzes oder kurzweg Satzlehre.

1. Formenlehre des Wortes im Satze — Flexionslehre.

2. Funktionslehre des Wortes im Satze — Syntax.

Mit dieser Einteilung kann man sich in der Theorie vollständig einverstanden erklären; wenn in der Praxis die Grenze nicht überall scharf zwischen den Disciplinen zu ziehen ist, in dem 'Verhältnisse der einen zur Erklärung von Thatsachen in der andern herangezogen werden müssen', so ist damit die wesentliche Verschiedenheit der Gebiete dieser einzelnen grammatischen Disciplinen nicht aufgehoben; die unterscheidenden Merkmale sind entschieden richtig bezeichnet.[1])

Die Semasiologie ist also die Lehre von der Funktion des Wortes als Ding für sich (als 'Individuum' nach H.'s Terminologie) aufserhalb des Satzzusammenhanges. Da nun die wissenschaftliche Sphäre der Philologie die Erkenntnis des Individuell-Historischen ist, so mufs es die Aufgabe einer wissenschaftlichen Semasiologie sein: auf ihrem Felde, d. h. mit ihrem Material und mit ihren Mitteln, Erkenntnis des Individuell-Historischen zu erzielen.

Heerdegen hat den Zweck unsrer Disciplin in etwas anderer Formulierung in den Grundzügen (S. 44) gegeben: 'Aufgabe der Bedeutungslehre oder Semasiologie ist es, die in der Entwickelung der einzelnen Wortbedeutungen herrschenden Analogien festzustellen.' Inhaltlich trifft diese Definition mit der von uns gewonnenen vollkommen überein; denn die Darstellung des Individuell-Historischen ist nur in der Form der Geschichte[2]),

---

1) Vgl. das von H. in der Behandlung der gleichen Frage (Grundzüge S. 43) Gesagte.

2) Durch das historische Moment natürlich wird — worauf schon in der Einleitung hingedeutet wurde — die Semasiologie, wie die Philologie überhaupt, erst zur rein wissenschaftlichen Disciplin. Daher dürfen Dr. Volkm. Hölzers 'Beiträge zur Theorie der lat. Semasiologie' (Berl. Stud. 1889) auf nähere Berücksichtigung in wissenschaftlicher Hinsicht keinen Anspruch machen. Der Verf. fafst die S. als Schuldisciplin und identifiziert sie geradezu mit der Stilistik, indem er Nägelsbachs Werk den Anfang einer Semasiologie der lateinischen Sprache nennt (S. 5) und von der Bedeutungslehre sagt, sie behandle die deutsche Bedeutung der grammatischen Formen und Worte (S. 6). Dieser praktischen 'Schulsemasiologie', welche wir nur als einen Teil der prak-

d. h. der Entwickelung, möglich: das Individuelle kann nur historisch erkannt werden. Und wenn H. weiter sagt, dafs sie die Analogien der Bedeutungsentwickelung feststelle, so bezeichnet er damit vollständig richtig das wissenschaftliche Princip: denn auf dem Gebiete, das den historischen Wissenschaften eignet, herrscht, im Gegensatz zu dem der Naturwissenschaften, kein einseitiges Wirken eines den Objekten immanenten Gesetzes des Werdens, sondern eine beständige unberechenbare Wechselwirkung von Naturnotwendigkeit und Individualität. Während daher die Naturwissenschaft Gesetze nachweist, die auch für die Zukunft als bindend sich bewähren, kann die historische Wissenschaft ihren Stoff blos nach den Analogien (Ähnlichkeiten) des bereits in Wirklichkeit Getretenen gruppieren. Die allgemeinen Thatsachen aber, auf Grund derer die Sonderung der einzelnen Fälle zu Analogiegruppen sich vollzieht, heifsen die wissenschaftlichen Principien.

Mit diesen 'Allgemeinen Principien' der Semasiologie beschäftigt sich das zweite Heft der Untersuchungen; desgleichen die Grundzüge zum grofsen Teil; die letzteren enthalten einige Modifikationen und nähere Ausführungen des im Hefte Gebrachten.

Als primäre oder 'Grundprincipien' aller Bedeutungsentwickelung gelten (Grdz. S. 65) die Bedeutungsverengerung (Determination, Spezialisierung) und die Bedeutungsübertragung (Translation).[1]) Es sind ihm diese die beiden Principien des 'unabhängigen' oder 'freien'[2]) Bedeutungswechsels, neben welche als drittes Princip ein 'bedingter' oder 'abhängiger' Bedeutungswechsel, die Substitution tritt (Grdz. S. 87). Die Substitution 'darf nicht principiell mit den beiden anderen auf eine Linie gestellt werden; die Geltung, die ihr zukommt, läfst sich nicht als eine regelmäfsige, sondern nur als eine subsidiäre bezeichnen' (S. 93). Ferner unterscheidet sich die auf der Substitution beruhende Bedeutungsverschiebung von der Translation dadurch, dafs kein Übergang in eine andere Begriffssphäre stattfindet und von der Determination dadurch, dafs die Entwickelung 'den umgekehrten Weg vom Engern und Speziellen zum Allgemeinen und Weiteren geht' (Grdz. S. 94). Das heifst mit anderen Worten: diese Art des Wechsels ist äufserlich

---

tischen Stilistik betrachten können, würde am besten der von Bréal gebrauchte Ausdruck Semantik (= σημαντικὴ τέχνη) eignen.

1) In den Untersuchungen II S. 30 hat H. hiefür den Ausdruck 'Association', den er a. a. O. aus praktischen Gründen zurücknimmt; die beiden Musterbeispiele für Determination und Translation sind: *hostis* = Fremder — Feind; *fingere* = bilden (kneten), — erdichten.

2) Auch als 'regelmäfsiger' von H. bezeichnet (S. 65). L. Toblers Bezeichnung (Zeitschr. f. Völkerpsych. I): 'immanente Bedeutungsänderung' (Gegs. 'zufällige Bedeutungsänderung') bezeichnet den regelmäfsigen Bedeutungswandel, soweit derselbe durch die Entwickelung der menschlichen Erkenntnis bedingt ist. — Unregelmäfsig (sprungweise) ist nach H. bisweilen die Entwickelung der Fremdwörter.

ein der Determination entgegengesetzter Vorgang, da er einer 'Verallgemeinerung' der Bedeutung gleichkommt und ist nur deswegen nicht principiell mit diesem in eine Linie zu setzen, weil die Gründe für den Vorgang verschiedene sind, d. h. weil die Determination ein 'unabhängiger', die Substitution ein 'bedingter' Wechsel ist.

Was versteht nun H. speziell unter 'bedingtem' Wechsel der Bedeutung? Denn im allgemein philosophischen (logischen) Sinn ist jede historische Erscheinung, also jeder Bedeutungswechsel, bedingt oder von wirkenden Ursachen abhängig[1]): keine derselben schwebt grund- und zusammenhangslos in der Luft.

Das Musterbeispiel H.'s für die Substitution ist das Verb *dicere* (S. 90 ff.), das ursprünglich, als ein übertragenes δεικνύναι ein geistiges Weisen oder Zeigen ausdrückte, also eine kurze, sachliche Meinungskundgebung bezeichnete, später[2]) aber sich zu dem Begriffe des Redens überhaupt, ohne Rücksicht auf Dauer und Charakter erweiterte. Diese Erweiterung des Begriffes ist erzwungen durch die Determination (Spezialisierung, Konzentration) von *orare*, das eigentlich 'den Mund brauchen', also 'zusammenhängend reden' bedeutet, auf die Bedeutung 'bitten'. *dicere* mufste für die verlorengehende Seite der Bedeutung von *orare* substituiert werden, damit der Ideenkomplex wieder vollständig durch die Sprache gedeckt war.[3])

Unter bedingtem Bedeutungswechsel versteht also Heerdegen den auf der Beeinflussung durch sprachliche, speziell synonymische Verhältnisse beruhenden, oder wie er es selbst (Grdz. S. 87) ausdrückt, 'die Fälle, in welchen von mehreren einander nahestehenden (synonymen) Wortbedeutungen die eine auf die andere irgendwelchen Einflufs ausübt, ihre Entwickelung bedingt und sie historisch irgendwie in Mitleidenschaft zieht'.

Dieser bedingte Bedeutungswechsel soll also auf der andern Seite immer zugleich eine Bedeutungsverallgemeinerung (-erweiterung) sein.

---

1) Was Renan de l'origine du langage p. 149 (vgl. Curtius Grdz.[5] 95) von dem Verhältnis zwischen Laut und Bedeutung im Allgemeinen sagt: *'la liaison du sens et du mot n'est jamais nécessaire, jamais arbitraire, toujours elle est motivée'*, das gilt insbesondere auch für den Übergang von Bedeutung zu Bedeutung.

2) Dies Später fällt allerdings schon zum Teil in die Zeit vor der uns erhaltenen Litteratur; Heerdegen über das Verhältnis von dicere und orare in Plautus' und Cato's Zeit Grdz. S. 91 und 92.

3) Die Bedeutungsentwickelung der Participform *praesens* = 'an der Spitze stehend *(praeesse)* — anwesend', beruht auf ihrer Substitution für das von *absens* in der Aussprache nicht recht zu unterscheidende * *adsens*, vergl. E. Wölfflin in 'die Inschrift der Columna rostrata' (Sitz.-Ber. d. bayr. Akad. 1890. III. S. 300).

Aber giebt es nicht in der Sprache auch eine dieser bedingten Bedeutungserweiterung gerade entgegengesetzte Form, nämlich eine bedingte, unter synonymischen Einflüssen sich vollziehende Bedeutungsverengerung (Determination)?

Als solche mufs die auf der Erscheinung der sog. 'Bedeutungsdifferenzierung' fufsende Spezialisierung einer Wortbedeutung betrachtet werden, vor allem bei der eigentümlichsten Art jener Differenzierung, wo von zwei bedeutungsgleichen Worten das eine durch seine Konzentration auf ein Teilgebiet der ursprünglichen Bedeutung das andere von dem ihm neueigenen Gebiete ausschliefst und dadurch gleichfalls zu einer Beschränkung auf einen Teil des vorigen Bedeutungsumfangs zwingt. Ein ausgeführtes, historisch noch deutlich nachweisbares Beispiel dieser Art wird Kap. III des historischen Teils bringen, nämlich die Differenzierung von gnatus natus in vorklassischer Zeit, wo gnatus durch seine Konzentration auf die substantivische Bedeutung 'Sohn' die Form natus auf die participiale Bedeutung beschränkt; die Beschränkung von natus auf die Participialbedeutung ist eine Folge der Spezialisierung von gnatus auf die Substantivbedeutung, sie ist demnach durch letztere bedingt.[1])

Hier haben wir in der That einen unter synonymischen[2]) Einflüssen sich vollziehenden, der Richtung nach vom Allgemeinen und Weiteren zum Speziellen und Engen gehenden Bedeutungswandel. Auf der andern Seite müssen wir uns jetzt auch die Frage vorlegen, ob denn jede Bedeutungserweiterung eine im Heerdegenschen Sinne bedingte ist, oder ob es auch eine unabhängige Bedeutungserweiterung giebt?

Virtus heifst seiner Etymologie und seinem ältesten Gebrauche nach das Mannestum, die Mannhaftigkeit, die Stärke[3]), Macht[4]), die Tapferkeit (ἀνδρεία), für welchen engen Bedeutungskreis ein Fragm. des Ennius besonders charakteristisch ist (Trag. 223 V.):

1) Darüber, dafs diese Differenzierung keine rein syntaktische, sondern eine semasiologische, vgl. das betr. Kapitel. — Eine unter synonymischen Einflüssen vor sich gehende Determination zeigt die Verdrängung eines ältern Wortes aus einem Teil seines Gebietes durch eine Neubildung (s. flg. Abschnitt).

Tertii Iovis, Carii, sacerdotem invenimus apud Le Bas No. 415 vs. 14 — Εὐπολέμου τοῦ Θεομνήστου ἱερέως Διὸς Καρίου.

Alia Mylasensium sacerdotia, sed de quibus nihil certi constat, haec inveni:

---

1) velut C. I. G. II No. 2858. 2886.

2) velut C. I. G. II No. 2700.

3) De his tribus Iovis cognominibus cf. quae composuit Papalukas: περὶ πόλεως Στρατονικείας καὶ τῶν ἱερῶν αὐτῆς p. 25 sq.

4) Praeterea cf. etiam Le Bas No. 348. 359—362 et Bull. de corr. hell. 1881 p. 99 No. 2 sq.

5) Strabo XIV p. 659: ἱερῶνται δ' οἱ ἐπιφανέστατοι τῶν πολιτῶν ἀεὶ διὰ βίου.

6) Le Bas No. 379 vs. 3. 4: ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Λαβραύνδου θυσίης ἐνιαυσίης καὶ πανηγύριος οὔσης. Strabo XIV p. 659: ἐνταῦθα (sc. ἐν Λαβραύνδοις) νεώς ἐστιν — Διὸς Στρατίου (aliud huius Iovis cognomen) — ὁδὸς δὲ ἔστρωται σχεδόν τι καὶ ἑξήκοντα σταδίων μέχρι τῆς πόλεως ἱερὰ καλουμένη, δι' ἧς πομποστολεῖται τὰ ἱερά.

Dianae Le Bas No. 373.
Iovis Cretagenis et Curetarum Le Bas No. 394. 406.
Isidis et Serapidis Le Bas 407.
Veneris Cτρατείαc Le Bas 414. 415.
Apollinis Pythii Le Bas 415 (Apollinis suppletum a Waddingtonio).
Iovis Maximi Le Bas 416 ὑψίcτου; eundem esse atque Iovem ὕπατον No. 444 conicit Waddington.
Apollinis et Dianae C. I. G. II No. 2694a vs. 12 (Ἀρτέμιδοc suppletum a Boeckhio).
Dianae Ταυροπόλου C. I. G. II 2699.
Veneris Εὐπλοίαc Bull. de corr. hell. 1881 p. 108 A. 2 vs. 1.
Iovis Liberatoris (Διὸc Ἐλευθερίου) ibidem vs. 5.
Τύχηc ἀγαθῆc ibidem p. 109 B. vs. 2.

Nysa.

Nysae colebatur Iuppiter Capitolinus, cuius sacerdotium per vitae tempus administrabatur et cum aliis magistratibus publicis coniungi potuit, id quod cognoscitur ex uno titulo C. I. G. II 2943, quo Diomedes quidam nominatur, qui idem simul fungebatur stephanephoratu et sacerdotio huius Iovis ad vitae tempus: cτεφανηφόρου Διομ[ή]δουc τοῦ Ἀθηναγόρου — ἱερέωc [Δ]ιὸc Καπετ[ω]λίου διὰ βίου.

Prope Nysam urbem erat Plutonium quoddam, lucum continens et templum Plutonis et Proserpinae (Κόρηc) prope quod erat sacer specus, quem intrare nemini licebat nisi aegrotis, qui sanitatem ibi petebant a deis et sacerdotibus qui in specu incubare solebant et ex eis, quae somniabant, medicamenta ad valetudinem reficiendam vaticinabantur.[1])

Stratonicea.

Stratoniceae urbis a Macedonibus exaedificatae[2]) conditor appellatur ab Appiano Seleucus.[3]) Cuius urbis in agro duo potissimum florebant templa, Iovis Chrysaorei et Triviae. Cuius deae de cultu et rebus sacris plurimis recentissima demum aetate repertis titulis quamquam optime docemur, at tamen historiae et antiquioris horum delubrorum status — omnes fere tituli Caesarum demum aetate insculpti sunt — rarissime mentio fit, quo efficitur, ut paucis quibusdam scriptorum locis nisis hae res nobis sint indagandae.

Caria omnis divisa erat in vicos[4]), qui coniuncti erant ad systema quoddam Χρυcαορικόν quod dicebatur et quod appellatum erat

1) Strabo XIV p. 649—650.
2) Strabo XIV p. 660: κατοικία Μακεδόνων. Steph. Byz. s. v. Cτρατονίκεια· πόλιc Μακεδόνων πληcίον Καρίαc.
3) Syr. c. 61.
4) Κᾶρεc ἔθνοc μέγα κωμηδὸν οἰκοῦντεc. Conon. narr. 2 Photius p. 131 a8 Bekker.

ex illo Iove Chrysaoreo, cuius in templum conveniebant Cares ad sacra facienda et ad illas res deliberandas, quae ad totam Cariam, ad communitatem ut ita dicam Carum spectabant.[1]) Isti autem vici, qui ad hoc templum conveniebant, rursus in minora conexi fuisse videntur corpora, ita quidem, ut numerus quidam horum vicorum inter se vicinorum se coniungerent ad eas res deliberandas, quae non ad totam Cariam, sed hos paucos vicos pertinebant. Quae nonnullorum vicorum foedera sine dubio imitationes erant magni illius systematis Chrysaorei: sicut enim omnes Cares ad commune Iovis illius templum, ita illi ad delubrum, quod sibi locum deliberationis constituerant, conveniebant. Rem se ita habuisse fortasse efficitur ex loco Strabonis XIV p. 660: οἱ δὲ πλείϲταϲ παρεχόμενοι κώμαϲ προέχουϲι τῇ ψήφῳ καθάπερ Κεραμιῆται, quibus verbis diserte dictum est, non singulos vicos suo quemque nomine legatos misisse; immo nonnulli vici ita ad communitatem coniuncti erant, ut, quot vicos habebant, tot legatos mitterent. Qui enim vici antea inter se coniuncti legatos suo nomine miserant, iam sub ductu Cerami urbis novae veteres illos vicos ut suos usurpantis mittebant. Quo fiebat, ut, quo plures legatos mittebant singula illa ϲυϲτήματα minora, eo gravioris momenti essent in suffragio faciendo.

Caput minoris id genus ϲυϲτήματοϲ antiquioribus temporibus sine dubio templum Triviae erat, cum status et formae Carum rei publicae nondum advenis Graecis permutata essent. Et nomina vicorum, quibus continebatur hoc systema, in titulis saepissime afferuntur, velut Ἱεροκώμη, Κολίοργα, Κώραια, Κώραξα, Λόβολδα, Λώνδαργα, Ταρμίανα, Κίνξιμα. Sed dissolvebatur haec, ut ita dicam, res publica parva Stratonicea urbe a Macedonibus in illis vicis condita; sicut enim cuique urbi ager attributus est, ita illi veteres pagi paullatim pristina libertate privati sub dicionem urbis Stratoniceae redacti et quasi tribus rusticae novae Stratonicensium civitati adiuncti sunt.

Nova deinde urbs postquam satis magnam Carum terrae partem sibi paravit aditu ad conventus et concilia Carum prohiberi non potuit; atque velut antea illi vici sub auspiciis Triviae legatos ad ϲύϲτημα Χρυϲαορικόν miserant, ita iam sub ductu et auspiciis novae Stratoniceae urbis.[2])

At tamen una in re pristinam sibi reservabant libertatem: nulli enim civi Stratonicensi ne temporibus quidem Romanorum sacerdotio Triviae fungi licebat. Omnes sacerdotes, quorum nomina in

1) Strabo XIV p. 660: κοινὸν ἁπάντων Καρῶν, εἰϲ ὃ ϲυνίαϲι θύϲοντέϲ τε καὶ βουλευϲόμενοι περὶ τῶν κοινῶν· καλεῖται δὲ τὸ ϲύϲτημα αὐτῶν Χρυϲαορέων ϲυνεϲτηκὸϲ ἐκ κωμῶν.

2) Strabo XIV p. 660: καὶ Cτρατονικεῖϲ δὲ μετέχουϲι (sc. τοῦ ϲυϲτήματοϲ) οὐκ ὄντεϲ τοῦ Καρικοῦ γένουϲ, ἀλλ' ὅτι κώμαϲ ἔχουϲι τοῦ Χρυϲαορικοῦ ϲυϲτήματοϲ.

titulis invenimus, ex vicis illis, quos supra attuli, orti erant et ne unus quidem Cτρατονικεύc vel πολίτηc vel similiter designatur.

Historia templi Triviae Romanorum demum aetate dilucidior fit. Plurima autem, quae de hac aetate apud scriptores invenimus, etiamsi ad urbem potissimum spectant, tamen historia templi ex his cognosci potest. Nam cum urbs florebat, templum crescebat, tempestates autem urbis calamitas templi secuta. Semper urbs Stratonicea fideliter et constanter a partibus Romanorum stabat.[1]) Quae fides magna ei pericula attulit: Mithradati regi Ponti Asiae provinciae bellum inferenti, cum tota fere Ionia portis apertis eum reciperet, parva urbs Stratonicea fortiter prima omnium restitit.[2]) Sed quia ad resistendum haud satis valida erat, brevi post portas aperit Mithradati, qui iratus, quod restiterat, pecunia multavit, praesidium introduxit, novas leges dedit.[3]) Sed meliora veniebant Stratonicensibus tempora, cum Sulla dictator Mithradate victo Asiam ordinaret. Quae enim urbes fortiter omnes calamitates a rege acceptas toleraverant, eas libertate reddita amicas populo Romano esse declaravit, velut Ilienses, Chios, Lycios, Rhodios, Magnetes, aliosque, inter quos etiam Stratonicenses fuisse senatus consultum illud ad Lagina pertinens demonstrare videtur, quo permittitur urbi, ut, quibus pristinis temporibus, eis legibus iam quoque rursus utatur.[4]) Templo Triviae ius asyli dedit Sulla.[5]) Sed haud multo post novae superveniebant urbi tempestates bello inter Antonium et Parthos gesto; obsidebatur enim urbs a Labieno a. u. 714 a Parthorum partibus stante. Sed hoc quoque bello tam fortiter sese defendit, ut Labienus, cui multae aliae urbes sponte cesserunt, hanc urbem capere non posset.[6]) Et sicut antea Sulla, ita iam Caesar Octavianus civibus atque templo gratiam rettulit[7]), qui illis ex Taciti testimonio decreto laudatis, quod Parthorum irruptionem nihil mutata in populum Romanum fide pertulissent, etiam templum bello Labieni ita laesum atque defectum, ut ne ludi quidem quinquennales rite celebrari possent[8]), reficiendum curavit. Iam inde ab eo tempore amicitia populi Romani vel potius Caesarum erga Stra-

1) Bull. de corr. hell. 1885 frgm. A p. 445: καὶ ἐν παντὶ καιρῷ πρὸc πί[c]τιν εἰλικρινῶc τετηρηκόταc.

2) ibidem [ἐν δὲ τῷ πρὸc Μιθραδά]την πολέμῳ πρώτουc τῶν ἐν τῇ ἡμᾶc ᾿Αcίᾳ ἀνθεcταμένουc κτλ.

3) App. bell. Mithr. c. 21.

4) frgm. E Bull. l. c. Κ]αὶ νόμοιc καὶ ἐθιcμ[οῖc τοῖc ἰδίοιc, οἷc πρότερον ἐχρῶντο] ὅπωc χρῶνται.

5) ibidem: τό τε ἱερὸν τῆc] Ἑκάτηc ἐπιφανεcτά[τηc καὶ μεγίcτηc θεᾶc ἐκ πολλοῦ τε τι]μώμενον καὶ πολλὰ . . [τό τε τέμεν]οc ὅπωc τοῦτο ἄcυ[λον ὑπάρχηι.

6) Cassius Dio 48, 26.

7) Tac. Ann. III 62.

8) Ad hoc Labieni bellum sine dubio illa verba referenda sunt Bull. de corr. hell. 1887 p. 10 No. 4: κατὰ πεντα[ετ]ηρίδα τὴν ἀχθεῖcαν μετὰ [τ]οὺc πολέμουc πρώτην.

tonicenses et templum eorum duravisse videtur non interrupta. Quin etiam cultus Triviae cum cultu deae Romae consociata est.[1]) Summum quoque Caesarum sacerdotium cum Triviae sacerdotio coniunctum invenimus.[2]) Et imperatrix quaedam mille denarios donavit ad magnas pecunias comparandas, quae sacerdotibus in ludis celebrandis et epulis praebendis erant impendendae. Aliud amicitiae documentum crebrae sunt legationes sacerdotum Stratonicensium in urbem Romam, quas ad novos principes consalutandos faciebant.[3])

Sacerdotium Triviae et antiquioribus temporibus et aetate Romanorum magna fuisse auctoritate ex eis, quae attuli, satis efficitur. Quam ob rem, ut permulti ad hanc dignitatem pervenire possent, in unius anni spatium deferebatur neque saepius quam semel homines hoc honore functi sunt. Sed tamen nonnumquam, si quis optime meritus erat primo sacerdotii anno, qui etiam iterum vel saepius hoc officium administraret, dignus ducebatur; velut Bull. de corr. hell. XI p. 17 No. 13[b] praedicatur quidam, qui bis fuerat sacerdos. Et quo propior alter dignitatis annus priori erat, eo maiori fuit honori homini: in titulo celebratur Theophilus quidam, qui duobus annis interpositis iterum ad hanc dignitatem pervenit.[4]) Vir splendidissimus fuisse videtur Theodorus, Theophili filius, qui quinquies eis annis, quibus ludi quinquennales celebrabantur sacerdotio functus est.[5]) Uni autem soli ex omnibus mortalibus contigit, ut bis per duos annos intervallo non interposito templo praesideret.[6]) Quanta autem fuerit auctoritate hoc Triviae sacerdotium, etiam ex eo conici potest, quod multi homines nobilissimi et ex clarissimis familiis orti, postquam omnia fere alia urbis sacerdotia administraverunt, tum demum ad hunc sublimem gradum evecti sunt. Thraso Hieroclis filius puer decem annorum summus Caesarum sacerdos, undecim gymnasiarcha, sedecim annorum sacerdos Iovis Panamarei Stratoniceae summe culti, viginti annos natus eiusdem dei, deinde autem demum sacerdos Triviae appellatur.[7])

Si quis hanc assecutus erat dignitatem petitam ab omnibus, eius tota familia huius honoris particeps erat. Neque enim uxor sola a marito adhibebatur[8]), sed etiam mater vice uxoris, si uxor

---

1) Bull. 1885 p. 450: Ἑκάτηι Cωτείραι Ἐπιφάνει καὶ Ῥώμηι θεᾶι εὐεργέτιδι.

2) Bull. 1887 p. 155.

3) ibidem No. 61. 62. C. I. G. II 2719. 2721. Le Bas No. 525 etc.

4) ibidem p. 29 No. 42: ἱερεὺc — τὸ δεύτερον διαλιπὼν μέcα ἔτη δύο.

5) ibidem p. 29 No. 42: Θεόδωροc] Θεοφίλου [Κίν]ξιμοc ἱερεὺc ἐπαγγειλά[μενοc] ἐν πενταετηρίδι τὸ πέμπτον.

6) ibidem p. 31 No. 44: Ἑκα]ταῖοc Μενίππου — Ἱε(ροκωμήτηc) [διὰ δι]ετίαν ἑξῆc πρῶτοc πάντων καὶ μόνοc.

7) ibidem p. 32.

8) ibidem 1881 p. 186: cυνιερατευούcηc αὐτῷ καὶ τῆc cεμνοτάτηc γυναικόc et aliis locis.

mortua erat aut ipse uxorem non duxerat, et omnes alii propinqui et propinquae, qui audiebant οἱ ϲυμφιλοτιμούμενοι, cuius vocis sensum si recte intellegere vis, adhibeas locum Diod. Sic XIX 52. τοῦ Καϲϲάνδρου πολλὰ ϲυμφιλοτιμηθέντοϲ εἰϲ τὴν αὔξηϲιν; sunt igitur οἱ ϲυμφιλοτιμούμενοι ei, qui parentibus in rebus sacris quam dignissime et splendidissime peragendis adsistunt.

Hoc Triviae sacerdotium cum alio alius dei cumulare concessum fuisse videtur; duo quidem exstant exempla, alterum spectans ad feminam quandam Tatarion Polynicen Appiam, quae simul sacerdos Triviae et Dianae erat[1]), alterum ad virum summis sacerdotalibus honoribus praeditum, Sempronium Clementem, qui, cum iterum sacerdotium Iovis Panamarei administraret, simul Triviae sacerdos erat.[2])

Cum hoc munus summas exhiberet expensas, ne homines non satis divites huius sacerdotii honorem peterent, ei, qui se creari volebant, polliceri debebant se omnes sumptus suscipere posse et esse suscepturos, quos ludi et dies festi facerent: qui pollicendi actus appellabatur ἐπαγγελία et saepissime in titulis legimus: ἱερεὺϲ ἐπαγγειλάμενοϲ vel ἱερεὺϲ ἐξ ἐπαγγελίαϲ, quam ἐπαγγελίαν non modo sacerdotes ipsi, sed etiam liberi et cognati οἱ ϲυμφιλοτιμούμενοι subibant.

Quibus rebus effecti sint hi sumptus, satis multi tituli docent: epulae a sacerdotibus praebebantur, quotiescumque homines non modo sacrae terrae et urbis Stratoniceae, sed etiam hospites et alieni ad templum immolandi causa ascendebant.[3]) Nonnulli sine dubio ditissimi immolantibus etiam pecuniam dabant[4]); alii, cum immolaturi hostias sibi ipsi comparare et secum portare deberent, has quoque de suo donabant, aut, quae ipsis erant partes hostiarum destinatae, immolantibus permittebant.[5]) Et alii per totum anni spatium omnes urbis artifices mercede conducebant[6]) et pauperibus urbis hominibus pecuniis praebitis subveniebant.[7])

Optimas liberalitatis exhibendae occasiones dies festi attulerunt, qui duo potissimum Stratoniceae celebrabrantur:

---

1) Bull. 1887 p. 147 No. 48 vs. 2 sq. καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ Τατάριον Μυωνίδου Πολυνίκην [Ἀπφίαν ἱέρειαν] Ἀρτέμιδοϲ καὶ τῶν ϲυγκαθιδρυμένων αὐτῇ θ[εῶν καὶ τῆϲ μεγίϲτηϲ] καὶ ἐπιφανεϲτάτηϲ θεᾶϲ Ἑκάτηϲ.

2) Bull. 1888 p. 88 No. 11 v. 5: πεντάκιϲ ἱερῆ τοῦ Παναμάρου, τὸ δὶϲ ἐν Ἡραίοιϲ, ἱερῆ τῆϲ Ἑκάτηϲ ὅτε τὸ δεύτερον τοῦ Παναμάρου.

3) Bull. 1887 p. 146 No. 46: ἑϲτιάϲαντεϲ πάνταϲ τοὺϲ παραγενομένουϲ πολείταϲ κα[ὶ τοὺϲ κατοικοῦνταϲ ἐν τῷ περιπ]ολίῳ πολλάκιϲ. ib. p. 375: ὑπεδέξαντο δὲ διὰ παντὸϲ τοῦ ἔτουϲ πάνταϲ τοὺϲ ἀνερχομένουϲ εἰϲ τὸ ἱερόν.

4) Bull. 1887 p. 147 No. 47 v. 3: ἑκάϲτῳ δὲ τῶν πολιτῶν καὶ Ῥωμαίων ἔδωκαν ἀνὰ δραχμὰϲ πέντε.

5) Bull. 1887 p. 145: ἀποδόντεϲ δὲ καὶ τὰ ἱερὰ τ[οῖϲ θύουϲι] l. c. p. 375: ἐχαρίϲαντο δὲ τοῖϲ θύουϲι καὶ τὰ ἴδια τοῦ ἱερέωϲ τῶν θυϲιῶν ἱερά.

6) Bull. 1887 p. 185 No. 63 μιϲθώϲαϲθαι πάντα τὰ ἐπιδημήϲαντα ἀκροάματα παρ' ὅλον τὸ ἔτοϲ.

7) ibid. ἐπαρκέϲαι δημοϲίᾳ τοῖϲ ἐπικουρίαϲ δεομένοιϲ.

1. ἡ κατὰ πενταετηρίδα πανήγυρις sicut appellatur in titulo quem edidit Newton: Cnidos, Halicarnassos and Branchidae II p. 799 No. 102. Quae panegyris quinto quoque anno, ut, quae attuli verba Graeca, satis demonstrant, edebatur. Atque summo erat honori, eo anno, quo celebrabatur haec panegyris, sacerdotio Triviae fungi. Sacerdotes enim, qui hunc honorem adsecuti sunt, post nomina semper addunt verba duo κατὰ πενταετηρίδα.

2. Alter dies festus erat ἡ κλειδὸς ἀγωγή vel ἡ τῆς κλειδὸς πομπή, quo clavis Triviae a clidophoro de templo delata per urbem ferebatur, ubi complures dies posita fuisse videtur.[1])

Ex his omnibus satis efficitur tantis impensis non permultas familias pares fuisse, nisi forte anno dignitatis confecto omnibus fortunis amissis munere abdicare volebant. Etiamsi igitur ex lege et more omnibus hominibus in vicis illis natis aditus patebat, tamen mirandum non est, quod singulae quaedam familiae potissimum iterum atque saepius hoc sacerdotio fungebantur, velut familia Flavii Aeneae, quippe quae familiae omnibus essent gratissimae ob splendorem et magnas pecunias, quas non modo in templum, urbem, res sacras, sed etiam in homines impendebant. Sed tamen etiam aliis iure patuisse aditum ad sacerdotium neque ullo modo ab hoc honore retentos esse docent nos indices sacerdotum, qui recentissimo demum tempore reperti plus centum nomina sacerdotum ex familiis ignobilibus ortorum habent.[2]) Neque ab re alienum mihi esse videtur hoc loco sacerdotes secundum vicos ordinatos componere, quippe qua ratione optime ex quibus potissimum vicis electi sint sacerdotes intellegi posse mihi videatur.

---

1) Newton l. c. p. 792 No. 97: ἐγυμνασιάρχησαν δὲ ἐν τῇ πόλει τῇ κλειδὸς πομπῇ ἡμέρας δύο.

2) Editi sunt hi catalogi a Diehl et Cousin in Bull. 1887 p. 5—39.

Ἱεροκώμη	Κολίοργα	Κώραια	Κώραζα	Λόβολδα	Ταρμίανα	Κίνζιμα
Μητρόδωροϲ	Ἀρτεμίδωροϲ	Ἱερ[οκλ]ῆϲ	Λέων	Ἰάϲων	Ἀριϲ]τέαϲ	Θεόδωροϲ
Πολέμωνοϲ	Αἰνέου	Μενεκράτου	Δράκοντοϲ	Ἀπολλωνίου	Ἡρώδου	Θεοφίλου
Ἱεροκλῆϲ	Ἐπαίνετοϲ	Ἄνδρων	Μένιπποϲ	Ἀριϲτ]έαϲ		Θεόδωροϲ
[Διον]υϲοκλέουϲ	Διονυϲίου	Διονυϲίου	Διογνήτου	(Δι?)ονυϲίου		Θεοφίλου
Ἑκάτων	Λέων	Μένιπποϲ	Πολέμων	Καλλίμαχοϲ		[bis.]
Ἑρμίου	Πολίτου	Ἀπολλωνίου	Δημητρίου	Ἀθηναγόρου		
Ἑκαταῖοϲ	Ἀριϲ[τόδημοϲ	Ἰάϲων	Ϲώϲανδροϲ	Μένιπποϲ		
Ζωπύρου	Μενεκράτου	Μελαντίχου	Δημαινέτου	Λέοντοϲ		
5 Πολέμων	Ἑκαταῖοϲ	Ἄνδρων	Διονύϲιοϲ	Ἀριϲτέαϲ		
Χρυϲάοροϲ	Ϲωϲάνδρου	Διονυϲίου	Εὐκόλλοντοϲ	Μενελάου		
Δημήτριοϲ	Ἀριϲτέαϲ	Μένα]νδροϲ	Ἀριϲτέαϲ	Λέων		
Μυωνίδου	Μενεδήμου	Ἡρακλείτου	Ἀετίωνοϲ	Μενεϲθέωϲ		
Μυ]ωνίδηϲ	Λέων	Ἀ]ριϲτομένηϲ	. . .	Εὐβουλίδηϲ		
Ζωίλου	Παιωνίου	Χρυϲάοροϲ	Λέοντοϲ	Διογένουϲ		
Χρυϲάω]ρ	Ἑκάτομνοϲ	Χρυϲάωρ	. . .	Ἀρ]χέδημοϲ		
Θράϲωνοϲ	Ἐπαινέτου	Ἰάϲωνοϲ	Δράκοντοϲ	[Με]νίππου		
Θεόφιλοϲ	. . .	Χαιρήμων	. . .	Φ]ανίαϲ		
Θεοφίλου	Λεοννάτου	Ἑκαταίου	Μενίππου	Ἑκαταίου		
10 Ἑκαταῖοϲ	. . .	Διογένηϲ	. . .	Νείκανδροϲ		
Μενίππου	Ἰατροκλέουϲ	Διογένουϲ	Ἀριϲτέου	Μενίππου.		
Ἑκαταῖοϲ	. . .	Ἱεροκλῆϲ				
Μενίππου	Χρυϲάοροϲ	Μέντοροϲ				
[iterum]		. . .				
Μένιπποϲ		Μενελάου				
Ἑκαταίου		. . .				
Θράϲων		Ἀπολλοδότου				
Ἱεροκλέουϲ		. . .]του				
cognati inter se nulli, nisi 10, 11 et 12.		Ἰατρο[κλέουϲ				

De ministris, qui sacerdotes adiuvabant in rebus sacris curandis perpauca constant praeter munerum nomina.

1) ἡ κλειδοφόρος cuius ex filiis sacerdotum creatae iam supra mentionem fecimus. Uno in titulo solo occurrit κλειδοφόρος vir[1]), qui idem etiam κοσμοφόρου munere fungebatur.

2) ὁ ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων[2]), de quo nihil certius constat.

3) ῥαβδοῦχος ἢ σκηπτοῦχος εὐνοῦχος, qui sacerdotem adiuvabat, quotienscumque pueros sacrae terrae cantum docebat.[3])

4) ὁ νεωκόρος, cuius in uno titulo mentio fit: νεωκόρος Ἱεροκλῆς Ἀριστείδου καθ' υἱοθεσίαν Ἱεροκλέους.

Praeter Triviam Stratoniceae summe colebatur Iuppiter Panamereus, qui duo dei urbis πολιοῦχοι erant.[4]) Cuius dei de cultu cum apud veteres scriptores nulla fere exstet mentio, tituli soli nobis adhibendi sunt, quorum satis magnus numerus postrema aetate ab Francogallis effossus est.

Instituta sacerdotalia templi Iovis Panamarei simillima erant templo Triviae; ad hoc quoque ditissimi modo homines ob magnas expensas, quas imposuit munus, aditum petere poterant. Inter quos homines excellebant Flavius Aeneas cum familia, cuius iam supra p. 246 mentionem fecimus, et Sempronius Clemens, qui quinquies sacerdotio Iovis Panamarei bis illis annis, quibus ludi Heraei celebrabantur, functus est et cui obtigit, ut, cum iterum sacerdos huius Iovis esset, etiam ad honorem sacerdotii clarissimi omnium Triviae perveniret; sed etiam ad alia sacerdotia evexerunt eum nobilitas et divitiae: uno anno simul praefuit delubris Iovis Chrysaorei, Iovis Narasi atque per vitae tempus Iovis Capitolini, Aesculapii, Sanitatis, Ἑστιῶν. Comparabant hi homines sibi auctoritatem magna liberalitate, quam exhibebant in ludis et diebus festis, quorum non inopia erat in delubro huius Iovis. Primam liberalitatis occasionem dabat dies inaugurationis sacerdotis, quo viro inaugurando corona imponebatur, quem actum appellabant παράληψιν τοῦ στεφάνου, ut docet tit. Bull. de corr. hell. 1887 p. 384 vs. 7: παραλαμβάνοντες τὸν στέφανον τοῦ θεοῦ, id quod brevius dicitur in alio titulo παραλαμβάνειν τὸν θεόν.[5])

Hoc die festo ludi gymnici celebrabantur, quibus gymnasiarchae novus sacerdos et femina praesidebant. Quos ludos si erant praeci-

1) Bull. de corr. hell. 1881 p. 186 No. 10 v. 7: Δημ[ητ]ρίου Λοβίου Κω(ραιέως) κλειδοφόρου καὶ κοσμοφόρου.

2) Newton l. c. p. 790 No. 96.

3) Le Bas No. 519—520.

4) C. I. G. II No. 2715: τῶν προεστώτων αὐτῆς μεγίστων θεῶν Διὸς τοῦ Παναμερίου καὶ Ἑκάτης. — Tac. Ann. III 62: Aphrodisiensium civitas Veneris, Stratonicensium Iovis et Triviae religionem tuebantur.

5) Bull. de corr. hell. 1887 p. 380 vs. 11.

puae liberalitatis sacerdotes per complures dies continuabant, id quod factum est a Theophane quodam, qui per quattuor dies eos continuabat.[1]) Alii ludi sacerdotibus celebrandi erant Panamarea (Παναμαρεῖα) qui decem dies durabant, quibus sacerdotes pueris et feminis oleum praebere solebant. Praeterea mentio fit etiam Κωμυρίων et Ἡραίων, qui ludi eadem magnificentia sine dubio edebantur atque panegyris Triviae, quod ex eo colligas, quod Iovis quoque Panamarei sacerdotes 'ἐπαγγείλασθαι' debuere. Heraea, ut docet nomen, instituta erant ad honorem Iunonis, Comyria ad honorem Iovis Comyrii, quorum deorum templa in sacro agro Iovis Panamerei eodem modo fuisse videntur atque Dianae et Cabirorum intra fines Apollinis Didymaei.[2])

Etiam quo ordine editi sint ludi, perspicuum fit ex titulis; primus erat παράληψις τοῦ στεφάνου, deinde Panamarea, quos ludos tituli habent post παράληψιν, deinde aut nulli sequebantur aut, si erat annus ludorum quinquennalium Heraea vel Comyria per vices.

De aliorum deorum Stratonicensium sacerdotibus paucissima nota sunt. Neque enim saepius quam ter[3]) mentio fit sacerdotis Iovis Chrysaorei, cuius in delubrum, ut supra vidimus, Cares convenerunt. Sine dubio aetate imperatorum, qua insculpebantur hi tituli, potentia auctoritasque huius templi iam diu evanuerat.

Alia sacerdotia Stratonicensia erant Iovis Rhembenodi et Iovis Narasi.[4]) Neque de his quidquam constat praeter unum, Flavium Clementem sacerdotem Iovis Narasi[5]), Hieroclem quendam utriusque dei fuisse.[6])

Ad quae duo accedunt sacerdotia Iovis Londargi, Capitolini, Aesculapii, Sanitatis, Ἑστιῶν quibus omnibus Flavius Clemens functus est.[7])

Lydia.

Clazomenae.

In Clazomenio titulo nuperrime demum effosso mentio fit sacerdotum virorum et feminarum, in quo immolare iubentur precantes deos, ut omnia, quae decreverint Antiochis regibus et Stratonicae

1) l. c. p. 380 vs. 10: γυμνασιαρχήσας δὲ καὶ τὴν τετράδα.
2) Iunonis delubri expressis verbis mentio fit: εἰς τὸ Ἡραῖον καλέσαντες πάσας.
3) C. I. G. II 2720. 2721. Bull. 1888 p. 83—88.
4) Cf. C. I. G. 2720. 2721.
5) Bull. 1888 p. 88 vs. 7.
6) C. I. G. II No. 2720.
7) Cf. p. 248.

reginae bene eveniant.[1]) Sed quorum deorum vel dearum sacerdotes sint intellegendi, non liquet.

Colophon.

Ex Colophone urbe unus provenit titulus[2]), ex quo paulo certiores fimus de sacerdotibus huius urbis; habet enim hic titulus catalogum sacerdotum et ministrorum hereditariorum per duo continuatum sacerdotia, cuius ratio optime perspici potest ex ipso titulo, qui interpretationem desiderat haud longam:

Ἱερεὺc δώδε[κα θε]ῶν Νηρεὺ[c] Νηρέωc
ἱέρ[εια] Ἀνατολή
διάκονοc Ἐλπίc
διάκονοι Καμπᾶc Δημητρίου, [Μ]ενεκράτηc.

Ἱερεὺc [δώ]δεκα θεῶν Νη[ρεὺc] Ἀρτεμᾶ τοῦ Νη[ρέω]c
ἱέρεια Ἐλπὶc [ἡ] μήτηρ τοῦ ἱερέωc
διάκονοc Τύχη
διάκονοι Ἀρτεμᾶc καὶ Ἐλπιδηφόροc οἱ ἀδελφοὶ τοῦ ἱερέωc.

Quo ex indice optime gradus affinitatis singulorum sacerdotum ministrorum inter se perspicuus fit: postquam enim Artemas Nerei filius praemature mortuus est, nepos, cui eidem nomen Nereo fuit, successit, qui Nereus minor ortus erat ex matrimonio illius Artemae et Elpidos diaconissae, quae, quoniam filius puer ad sacerdotium hereditate pervenerat neque uxorem ducere potuerat, vice uxoris filii munere sacerdotis feminae (ἱερείαc) fungebatur. Tabula igitur genealogica talis fieri videtur:

Νηρεύc — Ἀνατολή
Ἀρτεμᾶc ———— Ἐλπὶc διάκονοc
Νηρεὺc ἱερεύc
Ἀρτεμᾶc } διάκονοι.
Ἐλπιδηφόροc }

Duodecim deos plerisque fere in Graeciae civitatibus cultos esse notum est.

Ephesus.

Sicut de templo aliquo et institutis eius pertractanti ne historia quidem delubri neglegenda est, ita eis, qui de Dianae Ephesiae sa-

1) Bull. de corr. hell. 1885 p. 390 vs. 35: ἀνοῖξαι δ[ὲ] τοὺc ἱερεῖc καὶ τὰc ἱερείαc τὰ ἱερὰ καὶ ἐπιθύειν, ἐπευχομ[έ]νουc cυνενεγκεῖν τὰ δεδογμένα τοῖc τε βαcιλεῦcι Ἀ[ν]τιόχωι καὶ Ἀντιόχωι καὶ τῆι βαcιλίccηι Cτρατονίκηι.

2) C. I. G. II No. 3037.

cerdotibus sunt scripturi, summae est gravitatis templi historiam respicere; nam hac ipsa historia templi tam multas calamitates perpessi et per multa saecula multis dominis adscripti etiamsi breviter descripta, potentia et ordo sacerdotum alius aliis temporibus factus intellegi potest.

Antiquissimum cultum Dianae Ephesiae illo loco, quo Ephesus urbs postea condita est, floruisse delubrumque huius deae ipso Apollinis Didymaei oraculo vetustius fuisse, Pausanias auctor est lib. VII 2 § 6: τὸ δὲ ἱερὸν τὸ ἐν Διδύμοις τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ τὸ μαντεῖόν ἐστιν ἀρχαιότερον ἢ κατὰ τὴν Ἰώνων ἐσοίκησιν. πολλῷ δὲ πρεσβύτερα ἔτι ἢ κατὰ Ἴωνας τὰ εἰς τὴν Ἄρτεμιν τὴν Ἐφεσίαν ἐστίν. Quae ut plana et perspicua sunt, ita de origine huius deae cultus altercati sunt homines docti. Guhlius in libro, qui inscribitur Ephesiaca, originem Asiaticam depellens[1]) Pelasgicam deam fuisse demonstrare conatur. Cuius argumentationi obstitit E. Curtius in libello, qui inscribitur Beiträge zur Geschichte u. Topographie Kleinasiens (Abh. d. B. A. phil. hist. Kl. 1872 p. 1—34) quo neque Asiaticam neque Pelasgicam, sed a Phoenicibus introductam et deinde cum deis Lydiae et Phrygiae permixtam esse deam contendit, quam sententiam argumentis compluribus sane gravibus fulcit: multa enim esse vestigia, quae cultum huius deae arte cum mari cohaesisse demonstrent, velut illud, quod sacrum prope mare conditum sit (Plin. H. N. II 201: mare quondam aedem Dianae adluebat), deinde similitudinem cum cultu deae Sidoniae ad Syrtes a Carthaginiensibus et Libyphoenicibus cultae, potissimum autem, quod conditum fuisset illud vetus templum in regione opportuna atque maxime idonea ad naves adpellendas et ad merces vendendas, emendas, mutandas.[2])

1) p. 78—83.

2) Quibus Curtii argumentis equidem subscribere non dubito; nam quae Guhlius attulit, nos originem Phoeniciam huic deae cultui vindicare non vetant. Ad originem enim Pelasgicam demonstrandam vetus nomen deae Upin affert, quod a Pelasgis sumptum esse compluribus exemplis comprobare conatur; affert enim (p. 80 n. 9) Cic. de nat. d. III 23: eam sc. Dianam Graeci saepe Upin paterno nomine appellarunt, ex Macrobio V 22: „cognomen quod a veteribus Graecis scriptoribus ipsi Dianae fuerat impositum et apparuit — Opin Dianam dictam.“ Sed haud saepius quam semel hac voce designatur Diana Ephesia, a Callimacho in hymno III vs. 238 sq.:

ἔν ποτε παρραλίῃ Ἐφέσῳ βρέτας ἱδρύσαντο
φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ, τέλεσεν δέ τοι ἱερὸν Ἱππώ·
αὐταὶ δ', Οὖπι ἄνασσα, περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο

unde hoc unum intellegitur Callimachum, poetam Alexandrinum, qui claris rebus et perlucidis vestes obscuras ad doctrinam altam comprobandam induebat, hoc loco pro Diana remotiore verbo „Upis“ usum esse, quo veteres Graecos Dianam deam appellasse haud ignorabat.

Ipsum sacellum initio parvum nihil aliud fuisse traditur nisi ulmi aut fagi truncus, cuius in cavo simulacrum deae positum erat[1]) loco aquoso ac palustri. Sed paullatim crescebat delubrum, cum adirent Lydi ad praesidium deae ab hospitibus cultae sibi quoque petendum. Quo fiebat, ut paullo post Leleges et Lydi domicilia sibi illic quaererent[2]) et urbem exaedificarent in colle templo finitimo.[3]) Sed haec omnia plane mutabantur adventu Graecorum, qui per viginti duos annos, ut fama fert, frustra huic orae fortissime defensae naves adpellere conati erant, donec Androclo, filio Codri, coloniam ducenti contigit, ut navibus adpulsis hostibusque fusis fugatisque terra potiretur ita quidem, ut et templo temperaretur et eis, qui circa templum habitabant, dummodo fidem iurarent Ionibus.[4]) Et ad quantam auctoritatem fanum sub tutela Graecorum pervenerit, docemur fabula illa qua narratur, Phocenses coloniam ducturos ductorem ex oraculo petivisse a Diana Ephesia[5]), cuius ad honorem in nova colonia Massilia aedificatum est Ephesium, quod appellaverunt.[6]) Sed qui putet his rebus templum et deae cultum plane in potestatem Graecorum pervenisse, valde erret: immo quantopere sacerdotes et qui templo erant adscripti veterem libertatem et potentiam, quae Graecorum civitate florente facile ad irritum redigi potuit, sibi reservarint, docet historia expeditionis Croesi; qui cum adgrederetur Ephesum, Ephesii victoria desperata fune ab urbe in templum ducto in templo salutem suam positam esse confessi sunt. Quo fiebat, ut Croesus vitae incolarum parceret, sed urbs dissoluta est et cives circum templum habitare coacti sunt.[7]) Posteriore aetate templum etiam Persarum favore usum est. Quantopere enim hi delubrum Dianae respexerint, perspicuum fit ex Xenophonte, qui narrat, Tissaphernem, cum comperisset magnam Graeciae classem appropinquare, magnum collegisse exercitum, quo Ephesum contenderet ad Dianam Ephesiam tuendam.[8])

Sed valde res Ephesiacae mutatae sunt aetate Alexandri Magni: urbs vetus a Croeso dissoluta restituebatur; sacri asyli fines, post-

---

1) Guhl. p. 78 sq.

2) Paus. VII 2, 8: Λέλεγες δὲ τοῦ Καρικοῦ μοῖρα καὶ Λυδῶν τὸ πολὺ οἱ νεμόμενοι τὴν χώραν ἦσαν.

3) l. c. Λέλεγας μὲν καὶ Λυδοὺς τὴν ἄνω πόλιν ἔχοντας.

4) Paus. VII 2,8: ἀλλὰ Ἴωσιν ὅρκους δόντες καὶ ἀνὰ μέρος παρ' αὐτῶν λαβόντες ἐκτὸς ἦσαν πολέμου.

5) Strabo IV p. 179.

6) Strabo l. c. τὸ δὲ Ἐφέσιον (ἐν Μασσαλίᾳ) τῆς Ἀρτέμιδός ἐστι νεώς τῆς Ἐφεσίας.

7) Str. XIV p. 640: μέχρι μὲν δὴ τῶν κατὰ Κροῖσον οὕτως ᾠκεῖτο, ὕστερον δ' ἀπὸ τῆς παρωρείου καταβάντες περὶ τὸ νῦν ἱερὸν ᾤκησαν μέχρι Ἀλεξάνδρου.

8) Hell. I 2. § 6: Θράσυλλος δὲ .. ἀπήγαγεν ἐπὶ θάλατταν τὴν στρατιάν, ὡς εἰς Ἔφεσον πλευσόμενος. Τισσαφέρνης δὲ αἰσθόμενος τοῦτο τὸ ἐπιχείρημα, στρατιάν τε συνέλεγε πολλὴν καὶ ἱππέας ἀπέστειλε παραγγέλλων πᾶσιν εἰς Ἔφεσον βοηθεῖν τῇ Ἀρτέμιδι.

quam templum ipsum post incendium Herostrati magnificentius quam antea omnibus Ephesiis adiuvantibus exaedificatum est[1]), ad stadii spatium in circuitu proferebantur[2]) et pecuniae, quae urbs antea Persis solverat, iam Alexandri iussu templo erant dandae.[3]) Bis deinde asyli fines extendebantur, a Mithradate, rege Ponti, sed non multo[4]); postea ab Antonio duplicati sunt.[5]) Sed rescindebatur rursus haec asyli prolatio a Caesare, quod urbis ipsius partem amplecteretur et quia hominibus scelerosis subveniret.[6]) Itaque delubrum muro circumdedit ex reditu Dianae et Augusteum in fine sacro aedificandum curavit.[7]) Inde ab eo tempore, postquam delubrum arcte cum cultu Caesaris coniunctum est et aditus ad sacerdotia etiam nobilibus hominibus Romanis viris et feminis patuit, desiit, ut ita dicam, historia templi, quod iam, sicut etiam Stratoniceae factum esse vidimus, nil aliud erat atque aedificium sacrum urbis Ephesi.

Tot nationes Phoenices, Lydos, Graecos, Persas, Romanos si videmus templi praesidium suscepisse, hanc tutorum mutationem etiam ad templi magistratus ministros instituta mutanda haud levis fuisse momenti perspicuum est. Sed nulla fere exstant vestigia, ex quibus has mutationes, quando, a quibus, qua condicione factae sint cognoscere possumus. Hoc unum dilucidum esse mihi videtur, duas inter se diversas aetates esse discernendas, alteram, qua templum et sacerdotes secundum suas viventes leges et secundum veterem ritum quasi domini et reges nullius alius dicioni erant obnoxii, alteram, qua plerique veteres mores, ritus, instituta novis moribus Graecorum et Romanorum cesserunt. Sed ne hoc quidem, quando desierit altera aetas, altera incohata sit, utrum Alexandri Magni temporibus an antea, in lucem proferri potest.

Ad vetera igitur instituta accuratius, quoad fieri potest, contemplanda progrediamur.

---

1) Strabo XIV p. 640: ὡς δὲ τοῦτον Ἡρόστρατός τις ἐνέπρησεν ἄλλον ἀμείνω κατεσκεύασαν συνενέγκαντες τὸν τῶν γυναικῶν κόσμον καὶ τὰς ἰδίας οὐσίας κτλ.

2) l. c. p. 641 τῆς δ' ἀσυλίας τοὺς ὅρους ἀλλαγῆναι συνέβη πολλάκις, Ἀλεξάνδρου μὲν ἐπὶ στάδιον ἐκτείναντος.

3) Arrian. I 17, 10 τοὺς δὲ φόρους ὅσους τοῖς βαρβάροις ἀπέφερον τῇ Ἀρτέμιδι ξυντελεῖν ἐκέλευσεν.

4) Str. XIV p. 641: Μιθριδάτου δὲ τόξευμα ἀφέντος ἀπὸ τῆς γωνίας τοῦ κεράμου καὶ δόξαντος ὑπερβαλέσθαι μικρὰ τὸ στάδιον.

5) l. c. Ἀντωνίου δὲ διπλασιάσαντος τοῦτο.

6) l. c. καὶ συμπεριλαβόντος τῇ ἀσυλίᾳ μέρος τι τῆς πόλεως· ἐφάνη δὲ τοῦτο βλαβερὸν καὶ ἐπὶ τοῖς κακούργοις ποιοῦν τὴν πόλιν, ὥστ' ἠκύρωσεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ.

7) Waddington: fastes des prov. as. p. 94: Imp. Caesar Divi F. Augustus Cos XII Tr. P. XVIII pontifex max. ex reditu Dianae fanum et Augusteum muro muniendum curavit C. Asinio [Gallo pro cos.] curatore Sex. Lartidio leg. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ θεοῦ υἱὸς Σεβαστὸς ὕπατος τὸ ιβ' δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ ιη' ἐκ τῶν ἱερῶν τῆς θεοῦ προσόδων τὸν ναὸν καὶ τὸ Σεβαστῆον τειχισθῆναι προενοήθη, ἐπὶ Γαΐου Ἀσινίου Γάλλου, ἀνθυπάτου ἐπιμελείᾳ Σέξτου Λαρτιδίου πρεσβευτοῦ.

Iam antiquissimis temporibus ante Graecorum adventum satis magnus hominum numerus circum templum habitabat tam arcte cum templo ipso coniunctus, ut, cum Cares et Lydi prope templum habitantes a Graecis sedibus expellerentur, illis foedere icto parceretur. Quae causae eos ad tutelam deae petendam commoverint, ex historia templi efficitur: cum enim sacellum initio parvum conventibus Phoenicum et incolarum rei mercenariae causa factis magis magisque floreret et gloria deae etiam in alienas terras et ad longinquas oras divolgaretur, sine dubio alieni viri et feminae patria ex urbe expulsi praesidium clarae deae Ephesiae petebant, quod eis praebebatur causa fugae iusta neque scelerosa comprobata. Rem se ita habuisse vetus fama mihi demonstrare videtur, quae narrat Theseum una cum Hercule Amazones virgines usque ad Lydiam persecutum esse, sed in Lydiam postquam advenerint, confugisse ad aram Dianae salutem petituras; quam salutem deam misisse.[1]) Quae supplentur a Pausania, qui praeter mulieres etiam viros illic consedisse praesidii causa auctor est.[2])

Omnibus his fugitivis praeerat summus sacerdos qui, quasi rex omnium sacri agri incolarum Essen appellabatur, qua voce Graeci regem apium designabant.[3]) Cuius operae subveniebant alii sacerdotes masculini et feminini generis, quae feminae, id quod ex verbo Ἐσσήν concludere licet, sine dubio μέλισσαι audiebant. Athenis quidem Dianae sacerdotes apes appellatas fuisse, docet Aristoph. Ran. vs. 1273:

Εὐφαμεῖτε. μελισσονόμοι δόμον Ἀρτέμιδος πέλας οἴγειν.[4])

Nullis nisi virginibus aditus ad haec sacerdotia patebat; atque per totam vitam virginitatem servare debebant, quapropter optime cum virginibus Vestalibus Romanorum conferuntur a Plutarcho; sicut enim illae hae quoque in tres divisae erant classes, quarum primae erat discere, alterius sacra facere, tertiae virgines primae classis docere. Atque optime ex his officiis habebant nomina: μελλιέραι = sacerdotes futurae, ἱέραι = sacerdotes, παριέραι quasi defunctae iam sacerdotio.[5]) Etiamsi gravibus poenis in has sacer-

1) Et. Mag. s. v. Ἔφεσος· Θησεὺς συστρατεύσας Ἡρακλεῖ ἐπὶ τὸν Ἱππολύτης ζωστῆρα, ἐδίωξε τὰς Ἀμαζόνας ἄχρι Λυδίας· κακεῖ καταφευγούσας ἐπί τινα βωμὸν Ἀρτέμιδος δεῖσθαι σωτηρίας· τὴν δὲ ἐφεῖναι αὐταῖς τὴν σωτηρίαν.

2) Paus. VII 2. § 8: ᾤκουν δὲ περὶ τὸ ἱερὸν ἄλλοι τε ἱκεσίας ἕνεκα καὶ γυναῖκες τοῦ Ἀμαζόνων γένους.

3) Et. Mag. s. v. ἐσσήν· ὁ βασιλεὺς κατὰ Ἐφεσίους· ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ μελισσῶν βασιλέως, ὅς εἴρηται ἐσσήν.

4) Sed etiam aliorum deorum vel dearum sacerdotes virgines μέλισσαι audiebant Schol. Pind. Pyth. IV 106: μελίσσας δὲ κυρίως τὰς τῆς Δήμητρος ἱερείας φασί, καταχρηστικῶς δὲ καὶ τὰς πάσας διὰ τὸ τοῦ ζῴου καθαρόν.

5) Plut. an seni s. g. r. 24: καθόλου δέ, ὥσπερ ἐν Ῥώμῃ ταῖς Ἑστιάσι παρθένοις τοῦ χρόνου διώρισται τὸ μὲν μανθάνειν, τὸ δὲ δρᾶν τὰ

dotes ob violatum virginitatis votum animadversum esse verisimile est, tamen contra Guhlium[1]) eis, quae Achilles Tatius lib. 8 c. 6 et 12 de his poenis fabulatur, nil fidei tribuam, quia est Achilles Tatius non tam scriptor historiarum quam fabularum.

Praeter has virgines sacerdotes etiam viri sacerdotalibus muneribus functi sunt et qui nomine Persico Μεγάβυζοι audiebant, non plane viri, sed eunuchi.[2]) Fortasse, quia hoc nomen etiam nobilibus Persis inditum est, Persicae originis fuisse conicias: ex aliena quidem terra arcessitos fuisse Strabo auctor est XIV p. 641: ἱερέας δὲ εὐνούχους — Μεγαβύζους, καὶ ἀλλαχόθεν μετιόντες ἀεί τινας ἀξίους τῆς τοιαύτης προστασίας. Quorum Megabyzorum officia quae fuerint, etiamsi a scriptoribus non nominantur, tamen eos sacerdotem summum in immolando, sacrificando, rebus denique sacris peragendis adiuvisse pro certo habendum esse mihi videtur.

Haec fere omnia sunt, quae de condicione templi et magistratuum aetatis antiquioris indagari possunt: videmus parvum imperium ex sacro templi agro consistens, cui praeerat summus sacerdos adiutus in officiis sacris peragendis a numero satis magno virorum vel, ut rectius dicam, eunuchorum et virginum sacerdotum. Quae autem potestas extra fines sacros huic primo sacerdoti fuerit quia fontes desunt enucleari non potest. Sed certe alia erat aliis temporibus, maior ante Graecorum adventum, cum fortasse Lydi et Leleges re publica et urbibus carentes, velut Cares in sacellum Iovis Chrysaorei, ita ipsi ad communes res deliberandas ad hoc vetus et florens sacellum convenirent, quo facile fieri potuit, ut auctoritas sacerdotum, quorum quasi in regno isti fiebant conventus et quibus ipsi fortasse praesidebant, valde augeretur. Sed non diu permansisse videtur haec potentia sacerdotalis. · Minuebatur enim sine dubio, cum Graeci advenirent, qui veteribus incolis sedibus expulsis templi sanctitatem servabant, sed superiores sibi fieri sacerdotes non sinebant. Ipsi enim urbem suis magistratibus utentem neque praesidio templi nitentem condebant. Sed, etiamsi initio utrique et Graeci et templi sacerdotes neque amici neque inimici ex adverso erant positi, tamen propter usum et commercium per complura saecula continuatum fieri non potuit, ut vetera et aliena instituta barbara manerent. Quo fit, ut in titulis, qui fere omnes Romanorum demum aetate sunt insculpti longe aliam atque antea sacerdotum constitutionem inveniamus, licetque pauca veteris condicionis manserint, pleraque sunt mutata.

Sacerdos, qui omnibus praeerat et quem supra summum sacerdotem vocavimus, mansit: in uno quidem titulo post prytanem,

---

νενομιςμένα, τὸ δὲ τρίτον ἤδη διδάςκειν καὶ τῶν ἐν Ἐφέςῳ περὶ τὴν Ἄρτεμιν ὁμοίως ἑκάςτην μελλιέρην τὸ πρῶτον, εἶτα ἱέρην, τὸ δὲ τρίτον παριέρην καλοῦςιν.

1) p. 109.

2) Strabo XIV p. 641: ἱερέας δ' εὐνούχους εἶχον οὓς ἐκάλουν Μεγαβύζους.

Ephesi magistratum eponymum nominatur[1]); velut hic titulus docet, ἱερεύς designabatur, non ἀρχιερεύς, ut putavit Guhlius[2]); ἀρχιερεύς enim, qui et in hoc titulo occurrit et in nummis[3]), est sacerdos Caesarum neque cum cultu Dianae cohaeret. Megabyzorum nullum hac aetate exstat vestigium et fortasse primi omnium isti eunuchi, quos mores Graecorum abhorrent, cessarunt. — Sacerdotes virgines non iam eliguntur ex illis feminis, quae deae servae sacros fines incolebant, sed ex nobilissimis familiis sumuntur, velut prytanum filiae sacerdotii honorem petere non dedignabantur.[4]) Et in quanta auctoritate fuerit haec Dianae ἱερητεία, docet exemplum Ulpiae Euodiae Mudianae, quae in titulo publice posito originem suam a sacerdotibus et exornatricibus se ducere gloriatur.[5]) Neque iam ad vitae tempus, sed per unius anni spatium administrabatur hoc sacerdotium; saepius enim dicitur in titulis aliquam fuisse sacerdotem hoc illo prytane[6]), quam prytaniam annuam fuisse constat inter omnes.

Saepius cum isto sacerdotio virgines iunxere munus exornatricis (κοσμητείρας), quarum sine dubio erat templum et simulacra deae ornare.

De officiis virginum sacerdotum hoc unum traditur eas mysteria curavisse.[7]) Quibus solis in mysteriis veteris cultus reliquiae quaedam mihi remansisse videntur; indecora quidem illa velamenta, quae Ephesii induebant, et mos ille faciei obtegendae non graecae originis sunt, sed ad vetera et remotiora tempora spectant.[8])

Praeter has sacerdotes virgines etiam satis copiosus magistratuum templi aliorum numerus in titulis et apud scriptores affertur, qui utrum iam antiquis temporibus fuerint instituti, an hac demum aetate sacerdotum vel ministrorum muneribus fungi coeperint, in incerto relinquendum est. Summae inter eos auctoritatis fuisse videtur neopoeus (νεωποιός) ob magnas sine dubio expensas, quas ferebat hic honos. Neque enim moris fuit, ut, qui civibus idonei videbantur ad hoc munus capessendum eligerentur vel inter se sortirentur: immo sua sponte quibus erat res familiaris satis magna, accedebant ad hunc

---

1) C. I. G. II No. 2955: ἐπὶ πρυτάνεως Κλαυδίου Τιτιανοῦ — ἀρχιερέως, ἱερατεύοντος Cocciανοῦ.

2) p. 106.

3) Eckhel D. N. II p. 513. Mionnet III No. 246. 248.

4) C. I. G. II No. 2986: Πλούταρχον τὸν πρύτανιν καὶ γυμνασίαρχον καὶ τὰ τέκνα αὐτοῦ τὰς ἱερείας τῆς Ἀρτέμιδος.

5) C. I. G. II No. 3002: Οὐλπίαν Εὐοδίαν Μουδιανήν, τὴν ἱέρειαν τῆς Ἀρτέμιδος — γένος ἔχουσαν ἄνωθεν ἱερειῶν καὶ κοσμητειρῶν.

6) C. I. G. II 3003: Πούλχρα ἱερὴ καὶ [κοσμήτ]ειρα — [ἱεράτ]ευσεν δὲ ἐπὶ πρυτάνεως κτλ.

7) C. I. G. II 3002: ἱέρειαν τῆς Ἀρτέμιδος — ἐκτελέσασαν τὰ μυστήρια.

8) Phot. Cod. 254 p. 468 b 37: προσχήματα μὲν ἑαυτοῖς ἀπρεπῆ περιετίθεσαν, πρὸς δὲ τὸ μὴ ἐπιγινώσκεσθαι προσωπείοις κατακαλύπτοντες τὰ ἑαυτῶν πρόσωπα.

honorem, quem haud facile permulti petebant.[1]) Quorum neopoeorum erat, templum, si quid erat labefactatum, restituere et resarcire vel munire et decreta ad templum pertinentia lapidibus insculpenda curare.

Aliorum Ephesiae deae magistratuum auctoritas multo minoris gravitatis fuisse videtur neque praeter nomina munerum multa de eis constant. In catalogis hi fere nominantur: ἱεροκήρυκες, qui, ut in aliis quoque civitatibus dies festos indicebant, ad immolandum convocabant aliaque id genus; σπουδαυλαί, quod verbum alias non invenitur, quibus quae fuerint curanda, ignoro; ναυβατοῦντες, quod munus Curtius recte mea quidem sententia ad vetera illa tempora, quibus sacellum Dianae Ephesiae arcte cohaeserat cum mari, spectare putat; ἐπιθυμίατροι — incertum quae officia —, ἱεροσαλπικταί, qui fortasse tubis multitudinem, quae aderat, ad ritus sacros incohandos adhortabantur[2]), ἑστιάτορες vel ἱστιάτορες, qui epulas curabant et cives, cum sacerdotes convivia erant celebraturi, convocabant.[3]) Qui ἱστιάτορες alio nomine etiam ἐσσῆνες appellabantur, quorum etiam tituli quidam Woodii (discoveries at Ephesus) mentionem faciunt, ex quibus istos non modo rebus sacris, sed etiam publicis adstitisse videmus; sortitionibus enim, quibus homines in civitatem recipiendi tribus et χιλιαστῦς sortiebantur, essenes praeerant, ut vides ex tit. No. 1 (inscriptions from the temple of Diana): δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δοῦναι Ἀγαθοκλῇ — πολιτείαν — ἐπικληρῶσαι δὲ αὐτὸν τοὺς ἐσσῆνας εἰς φυλὴγ καὶ χιλιαστύν κτλ. Cui sortitioni interdum etiam neopoeos praefuisse docet tit. No. 11: ἐπικληρῶσαι δὲ τοὺς νεωποίας αὐτὸν καὶ εἰς φυλὴν καὶ εἰς χιλιαστύν. Sed cum hic actus ab his magistratibus iussu senatus populique ageretur, essenes vel neopoei in eiusmodi decretis etiam silentio praetermitti poterant, velut in tit. No. 10: δεδόχθαι τ. β. δοῦναι πολιτείαν αὐτῷ — ἐπικληρῶσαι δὲ αὐτὸν καὶ εἰς φυλὴν καὶ χιλιαστύν. Essenatum munus fuisse annuum neque ad vitae tempus sumptum colligere licet ex participio aoristi ἐσσηνεύσας quod occurrit in titulo 2 (inscriptions from the Augusteum): εὐχαριστῶ σοι, κυρία Ἄρτεμι, Τ. Σκάπτιος — νεοποιός βουλευτής — ἐσσηνεύσας.

Alio munere sacro fungebantur ἀκριτοβάται, qui sine dubio sacrificiis adsistebant.[4])

Quantopere autem potestas sacerdotum huius aetatis a potestate illorum veterum diversa fuerit, optime ex hoc intelleges: cura enim atque administratio pecuniarum templi sacerdotibus adempta

---

1) C. I. G. II 2982 = Le Bas No. 152 οἵ]δε ἐνε[ω]ποίησαν αὐ[θ]αίρετοι [ἐ]πὶ πρυτάνεως.

2) Quattuor magistratuum mentio fit ἱεροκηρύκων, σπουδαυλῶν, ἐπιθυμιάτρων, in tit. 2983, ναυβατούντων 2955.

3) Hesych. s. v. ἑστιάτωρ· ὁ δειπνίζων, ὁ εἰς εὐφροσύνην καὶ εὐωχίαν καλῶν.

4) Hes. s. v. ἀρχή τις παρὰ Ἐφεσίοις τῆς Ἀρτέμιδος θυσιῶν.

magistratibus civilibus committebatur ἱεροποιοῖς qui vocabantur. Fuisse enim hunc magistratum civilem neque sacerdotalem similitudo alius aliarum civitatum magistratus, ταμιείαν dico, demonstrare mihi videtur; ταμίαι enim quibus idem faciendum erat atque ἱεροποιοῖς, rationem dabant non magistratibus templorum, sed urbium. Quo factum est, ut hoc sacrum Ephesiae deae aerarium, quo maxime nisa erat antea sacerdotum potentia, iam nil aliud esset atque aerarium urbis tutela deae protectum, velut etiam Minervae aerarium in Atheniensium civitate.

Etiam mystarum duo collegia instituta erant Ephesi mystarum Cereris et mystarum Bacchi, quae antea sine dubio separata posteriore aetate se in unum corpus, cui sacerdos praeerat, coniunxere.[1])

Erythrae.

Erythrae urbs quamquam duobus templis Herculis Idaei[2]) et Minervae Πολιάδος[3]) ornata erat, tamen de cultu et sacerdotibus horum deorum nil fere constat. Alia dea Ceres colebatur ab Erythraeis, cuius mulier sacerdos affertur, quae per quadraginta annos in hoc honore permanserat, unde ad vitae tempus administratum fuisse huius deae sacerdotium conicias.[4])

Aliorum sacerdotiorum et sacerdotum Erythraeorum iam supra mentionem fecimus in parte priore p. 226 sq.

Sardes.

Haud plura de Sardium sacerdotibus constant: unus enim titulus agit de femina sacerdote Dianae Sardianae, quae tributo liberatur virginitatis, ut conicit Boeckh, quam virgines pendebant Minervae.[5]) Ἀρχιερεύς quem habet hic titulus C. I. G. No. 3459 utrum fuerit Caesarum an sacerdos summus tredecim urbium diiudicari non potest: fuisse enim Sardibus etiam ἀρχιερέα τῶν τρισκαίδεκα πολέων videre licet ex tit. C. I. G. No. 3461: ἀρχιερέα τῆς Ἀσίας ναῶν τῶν ἐν Λυδίᾳ Σαρδιανῶν, ἱερέα μεγίστου Πολιέως Διὸς δίς, ἀρχιερέα τῶν τρισκαίδεκα πόλεων, ἱερέα Τιβερίου Καίσαρος.[6])

---

1) Wood city and suburbs No. 3: ἱερατεύοντος διὰ βίου τῶν πρὸ πόλεως Δημητριαστῶν καὶ Διονύσου Φλέω μυστῶν Τίτου Αὐρηλίου Πλουτάρχου, ἱεροφαντοῦντος Π. Κλαυδίου Ἀριστοφάνους ἐπιμελητοῦ τῶν μυστηρίων Σατορνείλου.

2) Paus. IX 27, 8.

3) Paus. VII 5, 9.

4) Bull. de corr. hell. 1880 p. 160 No. 11 — ἱέρειαν Δ[ήμη]τρος θεσμοφορ[ού]σης ἱερασαμέ[νην ἔτη] τεσσεράκοντα.

5) C. I. G. II No. 3459: Ἀπολλώνι[ο]ς ἀρχιερεύς — τὴν ἱερέαν τῆς Σαρδιανῆς Ἀρτέμιδος ἀνῆκεν τοῦ φόρου Ἀθηνᾶς.

6) Neque templum Cybeles deerat Sardibus Herod. V 102: ἐν δὲ αὐτῇσι καὶ ἱρὸν ἐπιχωρίης θεοῦ Κυβήβης.

Smyrna.

Smyrna de urbe inter celeberrimas et ditissimas Ioniae habenda quamquam haud pauca traduntur cum a scriptoribus tum titulis, tamen de rebus sacris et sacerdotibus deorum Smyrnae cultorum nihil fere exstat praeter nomina. De una sola dea et scriptor et tituli loquuntur, Venerem Stratonicidem dico, cui Smyrnaeos templum imperio Apollinis aedificavisse auctor est Tacitus illo loco, quo de civitatibus Asiae asyli ius delubris suis apud Tiberium vindicantibus agit.[1]) Cuius deae cultus Boeckhio institutus esse videtur ad honorem Stratonices, uxoris regis Antiochi Cωτῆρος; cui opinioni recte obstitit Nipperdeius[2]): neque enim, si ita factum fuisset, dicere potuit Tacitus obscuris ob vetustatem initiis nisos esse Smyrnaeos: immo fuisset huius deae cultus initium, ne dicam recentissimum, certe recens prae illis, quos alii attulere, velut Ephesii, Magnetes, Aphrodisienses. Sed facile cogitari posse mihi videtur, veterem Veneris cultum cum Stratonice regina esse coniunctum, velut cultus aliorum deorum aetate principum saepius cum cultu Caesarum coniuncti sunt. — Cuius deae etiamsi sacerdotes non afferuntur, tamen haec pauca proferre ab re alienum non putavi.

Primum gradum inter deos vel, ut rectius dicam, inter deas Smyrnaeorum obtinuisse videtur Ceres θεcμοφόρος, quae saepius audit in titulis θεὰ μεγάλη πρὸ πόλεωc, cui attributum erat collegium mystarum, quod ad honorem deae ludos celebrabat, quibus feminae θεολόγοι appellatae praeerant.[3]) Toti Cereris cultui una praeposita erat sacerdos femina, quae fortasse per vitae tempus hoc honore fungebatur, ut conici potest ex tit. C. I. G. II 3211:

. . . ἱ]εράτευούcηc διὰ βίου Κ[λαυδίαc
. . . τῆc μεγάληc πρὸ πόλεωc θε[ᾶc
θεcμοφόρου Δήμητ[ροc.

Etiam magna mater deorum cultum habebat Smyrnae, ubi exaedificatum erat matroon, ut auctor est M. Varro apud Plin. H. N. XVI 115: M. Varro auctor est vitem fuisse Zmyrnae apud matroon et XIV 54: nascitur Zmyrnae regione iuxta delubrum Matris deorum. Ulpia quaedam Marcella ad vitae tempus sacerdotio matris functa est.[4])

1) Ann. III 62: Smyrnaeos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint. Eiusdem deae mentio fit in tit. 3156 et 3137 v. 12.

2) not. ad loc. III 62.

3) C. I. G. II No. 3194. 3211. No. 3199: ἡ cύνοδοc τῶν τῆc θεοῦ μυcτῶν ἐτείμηcαν . . Cαβεῖναν Προκλιανὴν καὶ Ἰουλιανὴν ἀδελφάc, τὰc θεολόγουc, πάντα τὰ περὶ τὴν εὐcέβειαν τῆc θεοῦ καὶ τὴν τῶν μυcτῶν ἑορτὴν ἐκτενῶc παραcχούcαc. — Simile collegium erant sine dubio ὑμνῳδοί quorum vel quarum mentio fit in tit. 3148. 3160. 3170. 3348.

4) Le Bas No. 5: ἡ πατρὶc Οὐλπίαν Μαρκέλλαν — ἱέρειαν διὰ βίου τῆc Μητρὸc τῶν θεῶν.

Cultum Bacchi floruisse colligas ex collegio artificum et mystarum Smyrnae instituto.[1])

Praeterea horum deorum nominantur sacerdotes:

Aesculapii	C. I. G.	II	No.	3170.[2])
Iovis Acraei	"	II	"	3146.
Iovis Capitolini	"	II	"	3153.
Veneris Uraniae	"	II	"	3157.

Thyatira.

Omnibus Thyatirorum urbis sacerdotibus unus praefuisse videtur ἀρχιερεὺς τῆς πατρίδος, quod sacerdotium etiam una cum ἀρχιερείᾳ Ἀσίας administrari potuit.[3])

Quattuor praeterea deos Thyatiris cultos inveni: deus tutelaris προπάτωρ Τύριμνος erat, qui etiam audiebat προπάτωρ θεὸς Ἥλιος Ἀπόλλων Τυριμναῖος. Sacerdotis huius dei mentio fit in tit. C. I. G. II No. 3500, ubi homo honoratur, qui etiam ἀρχιερεὺς τοῦ ξύμπαντος ξυστοῦ fuerat.

Haud parva auctoritate usa est Diana, cuius duo exstant cognomina Ἄρτεμις Βορειτεινή[4]) et Πετελεσίθα.[5]) Cuius Dianae sacerdotio sicut in aliis quoque urbibus praefuere feminae, quas aut iure hereditatis aut pecunia soluta ad hunc pervenisse honorem effici potest ex titulo recentissimo demum tempore effosso, quo vir nobilissimus laudatur, quia pie et liberaliter sacerdotium Dianae administravit pro Flavia Alexandra et Flavia Glycinna filiabus [6]), tutor scilicet harum puellarum donec adoleverint. Sed iure hereditatis hunc honorem adeptas esse has filiolas accuratius investiganti verisimile esse non potest; cum enim, quoad scimus, omnes sacerdotes Dianae virginitatem servare deberent, filias legitimas habere non poterant, quibus publice hoc sacerdotium vindicare liceret; deinde autem ne ad vitae quidem tempus hoc sacerdotium administratum est, ut docet tit. Le Bas No. 5, ubi Ulpia Marcella tum viva dicitur ἱερασαμένη τῆς Ἀρτέμιδος. Quibus ex causis efficiam, hoc sacerdotium, velut Dianae Pergaeae Halicarnassi in urbe et sacerdotia Erythraea, veniisse neque ad unum annum — qui enim deinde vir honorem filiis emere potuit, quo fungi numquam poterant? — neque ad vitae

1) C. I. G. II No. 3177. 3190 βάκχου τοῦ θεοῦ.

2) Aesculapii templum describitur a Pausania II 26 § 9; VII, 5 § 9.

3) C. I. G. II No. 3494: ἡ πατρὶς Μ. Αὐρ[ήλιον] Διάδοχον, ἱππικόν, τὸν ἀρχιερέα τῆς Ἀσίας ναῶν τῶν ἐν Περγάμῳ καὶ ἀρχιερέα κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ τῆς πατρίδος.

4) C. I. G. II No. 3477.

5) Bull. de corr. hell. 1887 p. 286 No. 60.

6) Bull. de corr. hell. 1886 p. 422: Φλάβιον Μητροφάνους υἱὸν — δαπά[ναις ἰ]δίαις ἱερασάμενον τῆς [Ἀρτέμ]ιδος εὐσεβῶς καὶ φιλοτείμω]ς ὑπὲ]ρ Φλα[β]ίας Ἀλεξάνδρας καὶ [Φλα]βίας [Γλ]υκίννης τῶν θυγατρῶν.

tempus, ut docet tit. Le Bas 5, sed in certum annorum spatium satis longinquum, velut etiam sacerdotia Erythraea veniisse supra in parte priore conieci.

Liberi ἐπιφανεστάτου θεῶν sacerdotis mentio fit in titulo Bull. de corr. hell. 1887 p. 136, quae femina, Critarista nomine, non ἱέρεια, sed γεραιρά audiebat, qua voce feminae sacerdotes Bacchi cultum administrantes non modo Erythris, sed etiam Athenis appellabantur διὰ τὸ γεραίρειν τὸν θεόν.[1])

Etiam Magnae Matris sacerdotis feminae mentio fit, quae per vitae tempus hoc honore fungebatur.[2])

Teos.

Florebat Tei cultus Bacchi, cui hac in urbe exaedificatum erat templum satis magnae auctoritatis, ut conicere licet cum ex extenso asyli iure a permultis Graecorum civitatibus et urbibus concesso tum ex collegiis, quae ad ludos theatrales celebrandos Tei sedem habebant. Quibus de collegiis ut cum Bacchi cultu arcte cohaerentibus pauca disserere mihi liceat.[3])

Primum in titulis locum habere solet τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου, ex eo fortasse hoc modo appellatum, quod urbem, in qua domicilium habebant, relinquentes saepe urbes et oppida Ioniae et Hellesponti ad ludos theatrales Bacchi honori agendos circumibant. Domicilia autem habebant Eumenis et Attali aetate Tei, sed tumultu illic quondam exorto Ephesum fugerant, unde Attalus Myonnesum eos traduxit, ubi mansere, donec Lebedum migraverunt, libenter excepti ab incolis.[4])

Alterum collegium artificum afferunt tituli τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον, qui Boeckhio ei esse videntur, qui ipsi templo Teio ab initio adiuncti erant neque ad reliquam Ioniam et Hellespontum pertinebant ex eo nomen ducentes, quod ὁ καθηγεμὼν Διόνυσος dux Teiae coloniae esse videretur. Cui coniecturae valde probabili adsentiri non dubito.

Sed praeter haec duo affertur tertium τὸ κοινὸν τῶν συναγωνιστῶν vel οἱ συναγωνισταί, quod collegium ab illis, quae supra dixi, discernendum esse contendit Boeckhius, qui putat τὸ κοινὸν τῶν συναγωνιστῶν nil aliud fuisse atque collegium quoque anno constitutum tempore illorum ludorum, qui tum apud Teios ageren-

1) Etym. M. s. v. Γεραῖραι· παρὰ Ἀθηναίοις γυναῖκες τινὲς ἱεραί· ἃς ὁ βασιλεὺς καθίστησιν ἰσαρίθμους τοῖς βωμοῖς τοῦ Διονύσου, διὰ τὸ γεραίρειν τὸν θεόν. Hesych. s. v. γεραιραί· ἱέρειαι κοινῶς· ἰδίως δὲ αἱ τῷ Διονύσῳ τῷ ἐν Λίμναις τὰ ἱερὰ ἐπιτελοῦσαι τῷ ἀριθμῷ ιδ'.

2) Bull. de corr. hell. 1886 p. 411 No. 14: Ἰ(ουλίαν) Ἰουλιανὴν — ἱέρειαν τῆς Μητρὸς τῶν θεῶν διὰ βίου.

3) De artificibus scenicis scripsere Foucart: Les associations religieuses chez les Grecs. Paris 1873; Lüders: die dionysischen Künstler. Berlin 1873.

4) Strabo XIV p. 643.

tur, ita quidem, ut, qui tum Tei in ludis agendis una cum Ionicis et Hellespontiis et τοῖς περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον artificibus occupati essent, dicerentur συναγωνισταί et in tempus ludorum collegii huius essent sodales.[1]) Sed haec Boeckhii sententia mihi haud recta esse videtur. Numquam enim id quod certe exspectares trium horum collegiorum simul fit mentio. Deinde nonne mirum fuisset, si hoc collegium simpliciter audivisset οἱ συναγωνισταί, cum omnia alia eiusmodi collegia multo accuratius significata fuisse videamus, velut duo illa Teia ipsa aut οἱ περὶ τὸν Βρεισέα Διόνυσον Smyrnae aut οἱ ἐν Ἰσθμῷ καὶ Νεμέᾳ τεχνῖται aut ἡ σύνοδος τῶν τῆς θεοῦ μυστῶν Dianae cultum exercens? Fulcire deinde studet Boeckhius sententiam eo, quod contendit, decreto No. 3068 B et 3067 eadem ornamenta decerni Cratoni viro clarissimo, id quod fieri non potuit nisi statuamus a duobus collegiis inter se diversis decretos esse hos honores. At non eadem constituuntur. Priore enim No. 3068 B decernitur Cratoni, ut quotannis et in communi συναγωνιστῶν convivio et in theatro coronetur, et ut in Dionysio ei statua ponatur, posteriore No. 3067 autem, ut semel per annum in theatro coronetur neque, ut No. 3068 B per magistratus annuos, sed per ἀγωνοθέτην et ut iam tres illi statuae ponantur. Quae ut dilucidius perspici possint, singulos locos componere mihi liceat.

3068 B vs. 14 sq.	3067 vs. 23
δεδόχθαι τῷ κοινῷ τῶν συναγωνιστῶν στεφανοῦν Κράτωνα Ζωτίχου Καλχηδόνιον διὰ βίου ἔν τε τῷ δείπνῳ τῶν συναγωιστῶν καὶ ἐν τῷ θεάτρῳ.	δεδόχθαι [τῇ συνόδῳ κτλ.] στεφαν[οῦν Κράτωνα] καθ' ἕκαστον ἔτος εἰσαεὶ ἐν τῷ θεάτρῳ.
3068 B vs. 21	**3067 vs. 26**
τῆς δὲ ἀναγγελίας τῆς τοῦ στεφάνου ἐπιμελεῖσθαι τοὺς ἄρχοντας τοὺς κατ' ἐνιαυτὸν αἱρουμένους.	[τῆς δὲ ἀνακηρύξεως τῆς τοῦ στεφ]άνου ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι τὸν ἑκάστοτε γινόμενον ἀγωνοθέτην.
3068 B v. 28	**3067 vs. 27**
ἀναθεῖναι δὲ αὐτοῦ καὶ εἰκόνα ἐν τῷ Διονυσίῳ.	[ἀναθεῖναι δὲ αὐτοῦ καὶ εἰκόνας] τρεῖς.

Equidem igitur putem τοὺς συναγωνιστὰς fuisse duo collegia illa consociata; συναγωνισταί enim mihi designari videntur non qui cum aliis, sed qui inter se coniuncti certamina praebent velut etiam

1) cfr. quae adnotat Boeckhius ad C. I. G. II No. 3067 p. 657 not. Fere eadem est sententia Luedersi, qui idem tertium fuisse collegium putat, non autem quoque anno denuo, sed in perpetuum constitutum cf. p. 78 sq.

συναποθνήσκοντας in Diphili comoedia non cum aliis, sed simul mortuos esse putandum est.

Haud facile igitur erremus, si dua illa collegia, quae in altero titulo οἱ συναγωνισταί, in altero fusius τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου καὶ τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον designantur, honores priore aetate Cratoni decretos iam nonnullis mutatis et ampliatis renovavisse putamus.

Quae duo collegia consociata ex suorum numero et sacerdotem et agonothetam creabant.[1]) Neque quominus utrumque officium aliquis cumularet, lege erat impeditum. Cratonem quidem Zotichi filium utroque honore una functum esse videmus.[2]) Sacerdos, quia ex numero sodalium eligebatur, etiam ἱερεὺς τῶν τεχνιτῶν i. e. ἱερεὺς ὃν οἱ τεχνῖται αἱροῦνται vocabatur.[3]) — Postquam regum Attalorum cultus institutus est, agonothesia cum sacerdotio regis cumulari solebat.[4])

Haec omnia instituta plane mutata sunt aetate principum Romanorum: ludi enim usque ad illam aetatem ad Bacchi unius honorem celebrati iam cum illis, qui Caesarum honori edebantur, coniuncti sunt neque quotannis, ut antea, sed quinto quoque anno edebantur.[5]) Neque sacerdotum ex his collegiis sumptorum ulla exstat mentio; immo functae esse videntur hoc honore Romanorum aetate feminae nobilissimae[6]), quibus aliae virgines associatae fuisse videntur, quae ἱερατείας παρθένοι audiebant.[7])

Index
templorum ministrorum in Caria et Lydia occurrentium.

---

1) C. I. G. II No. 3068B vs. 13: ἵνα οὖν καὶ οἱ συναγωνισταὶ ἐμ παντὶ καιρῷ φαίνωνται τιμῶντες τοὺς ἐξ ἑαυτῶν.

2) C. I. G. II No. 3067 vs. 8: ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν τεχνιτῶν καὶ [ἱερεὺς κατασταθεὶς] τοῦ Διονύσου καὶ ἀγωνοθέτης ἐν τῷ αὐτῷ ἔτει.

3) C. I. G. II No. 3070: ἐπὶ δὲ ἱερέως τῶν τεχνιτῶν.

4) C. I. G. II No. 3068A v. 1 sq.: ἐπὶ ἱερέως Σατύρου, καὶ ἀγωνοθέτου καὶ ἱερέως βασιλέως Εὐμένους Νικοτέλους. ibid. No. 3070: ἐπὶ δὲ ἱερέως τῶν τεχνιτῶν Κρατίν[ου καὶ ἀγων]οθέτου καὶ ἱερέως θεοῦ Εὐμένου Ἀρισταίου.

5) C. I. G. II No. 3082 vs. 5 sq.: — ἀγωνοθέτην τὸ τρίτον τ[ῶν πεν]ταετηρινῶν ἀγώνων Διον[υσιακῶν] Καισαρήων.

6) C. I. G. II No. 3092: ἱέρεια[ν τοῦ τῆς] πόλεως θεοῦ Διονύσου; eodem tempore erat ἀρχιέρεια Ἀσίας ipsa ἀρχιερέων filia.

7) C. I. G. II No. 3098:

ὁ δῆμος
ἡ βουλή
ἡ γερουσία
ἱερατείας παρθένοι κτλ.

ζάκορος Bull. de corr. hell. 1887 p. 387 No. 4 (Stratoniceae).
θεολόγος C. I. G. No. 3148. 3199. 3200. 3348 Smyrnae.[1])
θεοπρόπος 3175 Smyrnae.[2])
ἱερατείας παρθένοι 3098 (Tei).
ἱεροκῆρυξ 2983. Ephesi 2990.[3])
ἱεροκηρυκεύων 2982 Ephesi.
ἱερομνήμων Bull. d. corr. hell. 1879 p. 467 Trallibus.
ἱεροποιός: 2953b Ephesi.
ἱερός 2953b Ephesi 3172. 3394 Smyrnae.
ἱεροσαλπικτής 2983 Ephesi.
κλειδοφόρος in titulis Stratonicensibus saepissime occurrens.
λαμπαδάρχης 3498 Thyatirae.
ναυβατῶν 2955 Ephesi.
νεωποιός saepissime in Milesiis titulis nominatur.
ξυστάρχης 2758 add. 2810b. 2811b (Aphrodisiade). 2935 (Trallibus). 3173 (Smyrnae). 3422. 3426 (Philadelphiae). 3500. 3501 (Thyatirae).
παραπομπός Stratoniceae Bull. 1887 p. 12 No. 6.
πατρομύστης 3173. 3195 Smyrnae.
προφήτης ubique in titulis Milesiis occurrit.
ῥαβδοῦχος ἢ σκηπτοῦχος εὐνοῦχος C. I. G. No. 2715 Le Bas No. 519—520 (Stratoniceae).
ὑδροφόρος 2879. 2885. 2886 Mileti.
ὑμνῳδός 3148. 3160. 3170. 3201. 3348 Smyrnae.

---

1) In titulo Nysaensi Bull. de corr. hell. 1885. p. 125 vs. 4: . . θεολόγου ναῶν τῶν ἐν Π[εργάμῳ].

2) In titulo admodum mutilato et idcirco a me supra silentio praetermisso: τὴν περὶ τούτου πρόνοιαν ποιήσασθαι διὰ προδ[ίκ]ου Γαΐο[υ Σ]έ[ξτιλίου Ἀκουτιανοῦ]? τοῦ θεοπρόπου, ἥτις ἱερωσύνη ἀκολουθεῖ τοῖς τοῦ θεοῦ μυστηρίοις Διός.

3) Numeri nomine non addito sunt Corporis Inscriptionum Graecarum.

IN VARRONIS SATURAS MENIPPEAS OBSERVATIONES SELECTAE.

SCRIPSIT

EDUARDUS NORDEN.

Varro, ut ipse dicit apud Cic. ac. post. I 2, 8 in saturis suis Menippum imitatus, non interpretatus est; ipse saturas, 'quas Menippea haeresis nutricata est' (fr. 542 B), appellabat 'Menippeas' (Gell. II 18, 7): sed operum Menippeorum ruina factum est, ut nullum adhuc erutum sit certum Menippeae imitationis exemplum.[1]) unum idque certissimum inveniri puto in satura cui inscriptum est

Marcipor.

Acute sane Vahlenus in anal. Non. p. 18 coniecit Marciporem i. e. Varronis servum ero de humanarum cupiditatum studiorumque varietate et perversitate sensus exprompsisse suos, quemadmodum Horatius in alterius libri sat. 7 sibi a Davo servo consilia dari et probra obici fingat. huius tamen interpretationis vereor ne ex satura quidem fundamenta peti possint nulla: immo aliam viam ipsis fragmentis monstrari Buecheler me monuit, is enim vidit Varronem ut aliis saturis de quibus postea agam sic huic quoque ioci causa inscriptionem imposuisse ambiguam: indicari enim cum videatur Marci servus, re vera intellegitur is quem Marcus dicit puerum; nimirum stulta hominum studia pravaeque cupiditates ita castigantur, ut puerorum instar viri feminaeque esse ostendantur vel infra pueros.[2]) stulti sane et corrupti sunt huius aevi qui vulgo dicuntur pueri, cum spurca libidine impulsi ultra sexus aetatisque fines evagentur:

275 spatula[3]) éviravit ómnes Veneri vaga[4]) puerós
282 'dein immittit virile veretrum. ut flumen[5]) offendit buccam Volumnio.'

---

1) Futtili enim ratione utitur in explicando fr. 575 Knaackius in Herm. vol. 18, 148 sqq.

2) Cf. etiam Ribbeckius 'histor. poes. Rom.' I 259: „Marcipor (Marcusbursch) führte vielleicht aus, dafs die Menschen in gewisser Beziehung immer thörichte Kinder bleiben."

3) Mire Riesius ad Catull. 63, 17 'spathula eviravit omnes pueros venerivaga.'

4) Buecheler in mus. Rh. 20, 427 contulit Lucr. IV 1063 'volgivagaque vagus venere.'

5) Fragm. nostrum cur corruptum et obscurum dicat Crusius 'de Babrii aetate' p. 174, 2 nescio.

sed multo stultiores sunt senes, qui cum tot vitiis inquinata sit pueritia repuerascere cupiant[1]):

284 'dixe regi Medeam advectam per aera in raeda anguibus' ⟨iuncta: suppl. B⟩

285 'Pelian Medeae permisisse, ut se vel vivum degluberet, dum modo redderet puellum'

286 'eodem coniecisse mera miracula nescio quae'

287 'haec in aeno bis terve tudiculasse.'

Mulieres quoque ineptiunt: filia patrem exorat parvum minutarum gemmarum pondus, mater virum magnum grandium margaritarum pondus (fr. 283): non distant vota puellae et matronae nisi magnitudine. — qui civilibus mersi undis ita fatigantur cotidianis negotiis, ut finem desiderent aut saltem intermissionem laborum, stultiores sunt pueris qui exspectant nundinas:

279 'utri magis sunt pueri? hi pusilline, qui exspectant nundinas, ut magister dimittat lussum?'

278 'ut eat ac rempublicam administret, quod pulli ieientent ⟨auspicetur⟩.'

---

1) Senes repuerascentes Aristophanes produxit in comoediis quae inscribuntur 'Αμφιάρεως et Γῆρας, et in hac quidem senes amatores (cf. Bergkius 'de reliqu. comoed. Att.' p. 413 sq.). Γεροντομανίαν fabulam Anaxandrides scripsit (II 138 sq. K), cuius argumentum ignoratur: ex duobus quae supersunt fragmentis alterum de amore est. Menand. monost. 90 M γέρων ἐραστὴς ἐσχάτη κακὴ τύχη. Plaut. Merc. 289 sqq. 'quid tibi ego aetatis videor? — Acheruntícus | senex vetus decrepitus. — Pervorse vides: | puer sum, Lysimache, septuennis. — Sanun es, | qui puerum te esse dicas? — Vera praedico. — | Modo hercle in mentem venit, quid tu deiceres: | senex quom extemplo iam nec sentit nec sapit, | aiunt solere eum rursum repuerascere', 975 'novos amator, vetus puer'; Catull. 54, 5 'Fuficio seni recocto'. hanc cupiditatum perversitatem Cynici saepius perstrinxerunt cf. Telet. epit. p. 6, 14 H γέρων γέγονας· μὴ ζήτει τὰ τοῦ νέου. p. 32, 2 πρεσβύτης γέγονε· πάλιν ἐπιθυμεῖ τὰ ἐν νεότητι, 'ἡ νεότης μοι φίλον ἀεί, τὸ δὲ γῆρας | βαρύτερον Αἴτνης' (Eur. Herc. 637 sq.) p. 39, 9 παρήκμασε καὶ ἔρχεται εἰς γῆρας· πάλιν παιδοτροφίαν ὑπομένει καὶ ἐπιποθεῖ τὴν νεότητα. alios locos ex Telete et Aristone petitos composuit Hensius mus. Rh. 45, 551 sq. Varro saturam scripsit

Δὶς παῖδες οἱ γέροντες,

quo de proverbio cf. quae afferunt intpp. ad Diogenian. IV 18, Bauckius 'de proverbiis aliisque locutionibus ex usu vitae communis petitis ap. Aristoph.' diss. Regim. 1880 p. 15 sq. Wyssius 'die Sprüchw. b. d. röm. Kom.' Turici 1889 p. 76 (cf. schol. Iuv. 13, 33; mire Seneca fr. ap. Lact. inst. div. II 4, 14 = fr. 121 H). simile est proverbium παλίμπαιδες οἱ γέροντες (Luc. Saturn. 9, cf. Iuncus περὶ γήρως in Stob. flor. CVI 49 [IV 85, 7 M] κατὰ τὴν παροιμίαν παῖς πάλιν γεγονώς). denique cf. unum quod servatum est fr. ex Varronis sat. cui inscribitur

Baiae

44 'quod non solum innubae fiunt communis, sed etiam veteres repuerascunt et multi pueri puellascunt'.

Haec non esse verba commendantis vitam in re publica administranda occupatam cum ex totius orationis colore tum ex rebus grammaticis concludi potest; nam si qua res fieri iubetur addito eundi verbo, tantum non semper omittitur copula et apud imperativos et apud coniunctivos adhortativos (cf. Brixius in ann. nov. 1865, 59 et in edit.[3] Plaut. Men. ad II 2, 80, Kiesslingius in ann. nov. 1866, 628, Ballasius gramm. Plaut. I diss. Gryph. 1868, 15, Lochius 'd. Imperat. bei Plaut.' Progr. Memel. 1871, 25 sq. Buecheler Vmbric. p. 167), contra interponitur copula (plerumque 'et'), ut exprimatur 'concessio dissimulationis et irrisionis plena (Lambin. ad Hor. epist. I 6, 17) aut addito 'nunc' ('i nunc et..') aut omisso (cf. Iahnius ad Pers. 4, 19): cuius usus non suppetunt exempla aetate Ciceroniana antiquiora.

Ergo, inquit, illi quos dixi pueri sunt:

280 'astrologi non sunt? qui conscribillarunt pingentes caelum ⟨tabulas⟩.'

sic enim sententiam facillime restitui puto[1]); de tabulis cf. Petr. 30 'duae tabulae in utroque poste defixae, quarum altera... habebat . . . lunae cursum stellarumque septem imagines pictas'; puerum suum libentissime pingere Echion centonarius dicit in cena Trimalchionis (c. 46), de pueris Graecis cf. Plin. n. h. XXXV 76 sq. C. I. G. II 674; de universa sententia cf. Lact. inst. div. III 24, 6 'aereos orbes fabricati sunt (sc. philosophi quidam) quasi ad figuram mundi eosque caelarunt portentosis quibusdam simulacris, quae astra esse dicerent.'

Iam astrologorum ineptias irrisurus Varro narratiunculam asciscit, quam ex Menippo expressam esse fortuna alioqui maligna ut hodie quoque intellegamus concedit:

269 repénte noctis circiter meridie, | cum pictus aer fervidis late ignibus | caeli chorean astricen ostenderet

270 nubés aquali frigido velo leves | caeli cavernas aureas obduxerant | aquam vomentes inferam mortalibus

271 ventíque frigido se ab axe eruperant, | phrenetici septentrionum filii, | secum ferentes tegulas ramos syrus

272 at nós caduci naufragi ut ciconiae, | quarum bipennis fulminis plumas vapor | perussit, alte maesti in terram cecidimus.

Sic apud Lucianum Menippus diversas philosophorum de rebus caelestibus sententias examinaturus in caelum volat; sed cum Luciani Menippus ne Icari fatum obeat (Icarom. 3) caute providens in ipsius caeli regiones penetret Iovemque ipsum adeat, nocturni Varronis exploratores regionem quae est 'inter lunae gyrum et nimborum ac

1) '⟨an extispices sunt stulti⟩, astrologi non sunt?' Vahlenus l. c. p. 18.

ventorum cacumina' (Varr. ap. August. de civ. dei VII 6) nondum egressi tempestate oborta ex alto in terram deiciuntur. Varro an Lucianus propius ad Menippum accedat, nos assequi non possumus, puto autem Lucianum cum alibi tum hic ea quae ex Menippo sumpsit aut immutasse aut auxisse: quod utut est, Luciani dialogo luculentissima Menippeae imitationis vestigia impressa esse rectissime statuit Brunsius in mus. Rh. 43, 190 sqq.[1]) Cynici Socratem secuti (de Socrate cf. Xen. mem. I 1, 11 sqq. Plat. Theaet. 173 C sqq.) insanire affirmabant homines qui non spectantes id quod esset ante pedes caeli scrutarentur plagas (cf. Diog. ap. Laert. D. VI 73 et in Nicolai progymn. c. 3, I p. 272 W, Bio ap. Stob. ecl. II 20 [p. 7, 14 W], Menippus Luciani necyom. 21, Cebet. tab. 13); audi, quod de Diogene narratur: πρὸς τὸν λέγοντα περὶ τῶν μετεώρων 'ποσταῖος' ἔφη 'πάρει ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ;' (Laert. D. VI 30, cf. [Diog.] ep. 38, 1 διεξιόντος τινὸς περὶ ἡλίου φύσεως καὶ δυνάμεως καὶ πάντας ἀναπείθοντος παρελθὼν εἰς τὸ μέσον 'ποσταῖος' ἔφην 'φιλόσοφε, ἀπὸ τοὐρανοῦ καταβέβηκας;' Tertull. ad nat. 2 'Diogenes consultus, quid in caelis agatur, 'numquam' inquit 'ascendi'.' Diogenes hoc dictum ex comoedia sumpsisse videtur: cf. com. adesp. fr. 619 K ap. schol. Eur. Hec. 52 'ποσταῖος δ' ἀπ' οὐρανοῦ πάρει;' 'τριταῖος', v. Kockius in mus. Rh. 43, 53 sq.). Menippus ap. Luc. Icarom. 6 philosophorum ineptias irridet, οἵ γε πρῶτα μὲν ἐπὶ γῆς βεβηκότες καὶ μηδὲν τῶν χαμαὶ ἐρχομένων ἡμῶν ὑπερέχοντες... ὅμως οὐρανοῦ τε πέρατα διορᾶν ἔφασκον καὶ τὸν ἥλιον περιεμέτρουν καὶ τοῖς ὑπὲρ τὴν σελήνην ἐπεβάτευον καὶ ὥσπερ ἐκ τῶν ἀστέρων καταπεσόντες μεγέθη τε αὐτῶν καὶ σχήματα διεξῄεσαν..., ἔτι δὲ κύκλους καταγράφοντες καὶ τρίγωνα ἐπὶ τετραγώνοις διασχηματίζοντες καὶ σφαίρας τινὰς ποικίλας τὸν οὐρανὸν δῆθεν αὐτὸν ἐπιμετροῦντες. Velleius Epicureus tam fidenter de deorum natura disputare videbatur Ciceroni (de n. d. I 8, 18), 'tamquam modo ex deorum concilio et ex Epicuri intermundiis descendisset'; contra Epicureus (ib. § 19) 'quibus', inquit, 'oculis intueri potuit vester

---

1) Ibi refutat Kockium, qui in mus. Rh. 43, 53 sqq. totum dialogum ex comoedia aliqua petitum esse contendit: puto etiam nostro loco demonstrari quod infra pluribus enarrabo, Cynicos multa ex comoedia assumpsisse; caelestis enim volatus descriptionem a Menippo ex comoedia depromptam esse meo quidem iudicio negari non potest: sic in Pace fabula Trygaeus ad deos evolat, 'ea autem descriptio qua Icaromenippus ad ipsam deorum sedem pervenisse fertur, mirum in modum congruit cum Trygaei apud superos adventu', verba sunt P. Schulzii ex diss. Berol. a. 1883 ('quae ratio intercedat inter Lucianum et comicos Graecorum poetas'). cf. etiam quae Philemonis vel Plauti sycophanta narrat in Trin. 940 sqq. 'ád caput amnis qui de caelo exoritur sub solio Iovis — | Sub solio Iovis? — Ita dico. — E caelo? — Atque e medio quidem. — | Eho an etiam in caelum escendisti? — Immo horiola advecti sumus | usque aqua advorsa per amnem. — Eho an tu etiam vidisti Iovem? — | Alii di isse ad villam aiebant servis depromptum cibum.' cf. quae Lucianus cum sociis in navi ἀεροδρομῶν vidit (ver. hist. I 9—29).

Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a deo atque aedificari mundum facit?' Cicero ac. pr. 41, 126 'vos ergo (Antiochios dicit) huius (solis) magnitudinem quasi decempeda permensi refertis'. Philo Iudaeus[1]) de somn. I § 10 vol. I p. 629 M ἀνάβαινε νῦν εἰς οὐρανὸν καὶ καταλαζονεύου περὶ τῶν ἐκεῖ, de migr. Abrah. § 24, I p. 457 πάριτε νῦν, οἱ τύφου καὶ ἀπαιδευσίας καὶ πολλῆς ἀλαζονείας γέμοντες, οἱ δοκησίσοφοι, καὶ μὴ μόνον ὅ ἐστιν ἕκαστον εἰδέναι σαφῶς ἔτι φάσκοντες ἀλλὰ καὶ τὰς αἰτίας προσαποδοῦναι διὰ θρασύτητα τολμῶντες, ὥσπερ τῇ τοῦ κόσμου γενέσει παρατυχόντες καὶ ὡς ἕκαστα καὶ ἐξ ὧν ἀπετελεῖτο κατιδόντες ἢ σύμβουλοι περὶ τῶν κατασκευαζομένων τῷ δημιουργῷ γενόμενοι. porro audi vociferantem Hermiam in irris. gent. phil. 9 doxogr. p. 655, 26 D τὸν μὲν δὴ κόσμον ὁ Πυθαγόρας μετρεῖ· ἐγὼ δὲ πάλιν ἔνθεος γενόμενος. . εἰς τὸν αἰθέρα αὐτὸν αὐτὸς ἀνέρχομαι καὶ τὸν πῆχυν παρὰ Πυθαγόρου λαβὼν μετρεῖν ἄρχομαι τὸ πῦρ. οὐ γὰρ ἀπόχρη μετρῶν ὁ Ζεύς, ἀλλ' εἰ μὴ καὶ . . αὐτὸς εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνέλθοιμι καὶ μετρήσαιμι τὸν αἰθέρα, οἴχεται ἡ τοῦ Διὸς ἀρχή κτλ. quid quod Lucianus in libello περὶ θυσιῶν Cynicorum sententiis referto (cf. maxime c. 4 sqq.) c. 8 haec dicit: φέρε δὲ ἤδη τούτων ἀφέμενοι τῶν λόγων ἐς αὐτὸν ἀνέλθωμεν τὸν οὐρανὸν ποιητικῶς ἀναπτάμενοι κατὰ τὴν αὐτὴν Ὁμήρῳ καὶ Ἡσιόδῳ ὁδὸν καὶ θεασώμεθα, ὅπως ἕκαστον διακεκόσμηται τῶν ἄνω. denique in Iove confutato Cynicus cum Iove ita colloquitur, ut in caelo scaenam esse appareat[2]) sicut in fine Icaromenippi.

Puerilibus hominum studiis votisque magnum Diogenis exemplum opponitur:

281 'et Diogenes cynicos, qui ab Alexandro rege iussus optare quid vellet, se facturum'

quod quivis intellegit.

Omisi haec fragmenta:

274 delúmbi' pennis ut levis passerculus:

quae verba ne ad hominem fractum et elumbem pertinere censeamus, metrum dissuadet, quo haec quoque in tempestatis ac ruinae descriptione posita fuisse probatur; neque adversatur Nonius, qui hoc. fr. ante 272 collocat.[3])

---

1) Philonis, scriptoris nimis neglecti, locos saepius commemorabo; ab eo enim recentiorum quos dicunt Stoicorum doctrinam sincerissime servatam esse contendo.

2) Neque enim Brunsii sententia (in mus. Rh. 44, 388 sqq.) mihi quidem probatur.

3) In pristino fragmentorum ordine restituendo duae suppetunt rationes: primum enim a Nonio in scriptorum locis afferendis pleni exemplaris ordinem teneri nunc constat; deinde fragmenta eodem metro concepta sententiarum quoque conexu olim copulata fuisse cum universa ratio clamet (cf. Buecheler in mus. Rh. 20, 440) tum ex ipsis quae adhuc extant fragmentis saepissime apparet.

273 Propóntis undā quam liquenti caerula natantem perfundit cape

de fr. obscuro hariolari nolo.[1])

276 'hic in ambivio navem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam, qua[2]) ducerent, loro' —

hoc quoque fr. mihi obscurum est; ὁλκὰς illa palustris qualis sit, fortasse fingere licet ex Horat. s. I 5, 13 sqq.[3]) et Mart. IV 64, 21 ('quem [somnum] nec rumpere nauticum celeuma | nec clamor valet helciariorum'); nauticos equisones dicere videtur ut Plaut. Rud. 268 'némpe equo lígneo pér vias caérulas éstis vectae' et Eurip. Med. 1123 ναῖαν ἀπήνην; lorum interpretor helciariorum remulcum. de argumento ut aliquid temptem, moneo in satura hoc fr. olim exstitisse ante fr. 269, i. e. ante volatus nocturni narrationem: Luciani navis tempestate subito exorta μετεωρίζεται (ver. hist. I 9), Plauti sycophanta (v. supra p. 270 adn.) horiola i. e. parvo lembo vectus caelum visit.

277 'qui quidem vident et circumstant, non rident.' — 'credo ridere.' — 'hiantis video, ridentis non audio.'

de his certi nihil dari apparet.

Iam quaesitam inscriptionum ambiguitatem quam in Marcipore invenimus aliis exemplis illustrabo.

Qui saturae inscriptum legit

Modius

non potest non cogitare aut de frumenti modio aut de nomine proprio; Varro autem quid intellegi voluerit, ex his praecipue fragmentis etiamnunc cognoscitur:

304 sed ó Petrulle, ne meum taxis librum, | si te pepugerit hic modus scaenatilis[4])

310 trímodiam amphoramque eundem temeti ac farris modum

315 'et hoc interest inter Epicurum et ganeones nostros, quibus modulus est vitae culina'

---

1) Cf. Baehrensius in ann. nov. 1872, 354.

2) 'per viam qua' codd. p. 105, 'per viam quam' p. 450, 'per viam quum' Scaliger, 'per viam' omisso 'qua' Popma, 'per ulvam' omisso 'qua' Buecheler. — ceterum in adnotatione critica semper me neglexisse et minutiora et certo emendata moneo.

3) Hunc locum iam attulit Roeper 'de Varronis Eumenidibus' progr. Gedanens. a. 1861 p. 5 adn. 1.

4) 'si te pepigat haec modo scenatilis' codd. quae supra exhibui minime certa a compluribus vv. dd. inventa sunt, quorum nomina vide sis in Riesii editione.

320 'quid aliud est quod Delphice cantat columna litteris suis ἄγαν μηθέν? iudam † nos facere † adit mortalem modum 'medioxime', ut quondam patres nostri loquebantur[1])

321 'non eos optime vixisse qui diutissime vixissent, sed qui modestissime.'

vides lepidum verborum lusum, quem homo grammaticus ab origine vocabuli[2]) profectus adhibet. singulis fragmentis non multa habeo quae addam. fragmento

316 'asse vinum, asse pulmentarium: secundas, quo natura aurigatur, non necessitudo'

Epicuream sententiam exprimi Buecheler (in mus. Rh. 20, 442) primus intellexit (cf. fr. 456 Vs); sententiam ad hunc fere modum restituo: '⟨Epicurus illas cupiditates quae aqua et pane explentur nominat primas, quo natura ducit et necessitudo; illae quae sibi exposcunt⟩ asse vinum, asse pulmentarium, secundas, quo natura aurigatur, non necessitudo' (cf. Epic. fr. 466 469 602 Vs, epist. III p. 64, 1 Vs, Sen. ep. 18, 7 sqq.).

Metri vinculo inter se coniuncta sunt fr. haec

304 sed ó Petrulle[3]), ne meum taxis[4]) librum,
si te pepugerit hic modus scaenatilis[5])
305 si dísplicebit, tam tibi latum mare
parabit aliquam[6]) spongiam deletilem

1) Versibus conscriptum esse fr. aut totum aut partem ex inverso vocabulorum μηθὲν ἄγαν ordine concluditur (cf. Maehlyus 'Varroniana' Bas. 1865 p. 11); emendatio desideratur.

2) 'Modicus' pristina ac propria significatione semel usurpatur in rogatione P. et M. Siliorum tr. pl. ap. Fest. p. 246 'si quis magistratus adversus hac pondera modiosque vasaque publica modica minora maiorave faxit etc.'; pellucet ap. Plaut. Curc. 103 'sitit haéc anus: quantillúm sitit? — modicast, capit quadrantal' Pseud. 1229 'mé viginti modicis multavit minis', evanescit Poen. 552 sq. 'líberos homines per urbem modico magis par est gradu | ire', interiit Mil. IV 5, 15 sq. 'géstio. — at modice decet; | moderare animo' Pers. III 1, 18 'modice ét modeste meliust vitam vivere'; substituitur 'modialis' Capt. 916. Horatius adeo non ambiguitatem vitat, ut viles cantharos modicos dicere non dubitet (carm. I 20, 1).

3) H. e. 'rustice', neque enim Varro directis nominibus sui temporis homines in saturis castigasse videtur ut Lucilius, sed tecte significatis ut Martialis; cf. fr. 90 'libet me epigrammatia facere, et quoniam nomina non memini, quod in solum mihi venerit, ponam'.

4) Cf. Phaedr. praef. l. III, Mart. I 4, 1 X 64, 1; quod moneo propter ea quae nuper de hoc fr. scripsit Onionsius in 'Journ. of philol.' 1889 p. 112.

5) De re critica cf. supra p. 272 adn. 1; de modo scaenatili v. infra p. 321 sq.

6) Recepi dubitanter coniecturam Maehlyi (l. c. p. 23), 'partis quantum spongiam d.' codd. initio supplendum est velut 'carmen meum'. de sententia cf. Horat. carm. I 16, 2 sqq. 'quem criminosis cumque voles

306 an qui gradu tolutili
medium usque[1]) tute, molliter vectus, cito
relinquat.

de eo fr. quod postremum posui haec Buecheler (l. c. p. 442) scribit: „Masz in allem empfehlen 320 321 und wohl auch 306 (der Paszgang ein Bild gleichmäszigen Lebens etwa wie Seneca sagt: [Oedip. 890 sq.] 'tuta me media vehat | vita decurrens via')." vide tamen, an alia praestet interpretatio, ex qua hoc fr. artiore sententiarum conexu copuletur cum antecedentibus eodem metro conscriptis, quae quin ad saturae prooemium pertineant dubitari non potest. puto enim in fr. 306 inesse similitudinem quandam saepe a scriptoribus adhibitam. proxime ad Varronis verba accedit Fronto qui de Seneca haec ait (p. 156 N): 'neque ignoro copiosum sententiis et redundantem hominem esse: verum sententias eius tolutares video nusquam quadrupedo concitas cursum tenere (sic corr. Klussmannus 'emend. Fronton.' Berol. 1874 p. 62, 'concito cursu tenere' cod.).' idem p. 22 sq. N 'certum habeo te, domine, aliquantum temporis etiam prosae orationi scribendae impendere. nam etsi aeque pernicitas equorum exercetur, sive quadrupedo currant atque exerceantur seu tolutim, attamen ea quae magis necessaria frequentius sunt experiunda.' Novius 38 R 'ó pestifera portentifera trux tolutiloquentia.' in his omnia bene cum equi descriptione concinunt, cf. etiam Varr. sat. fr. 9 'haéc postquam dixit, cedit citu' celsu' tolutim'; de 'citus' vocab. in re equestri usitatissimo cf. Buecheler Vmbric. p. 100, 'celso pectore' equum dicit Enn. ann. 503 V, 'equites celsos' probabiliter coniecit in Granio Licin. p. 4, 9 ed. Bonn. Vnger; de v. 'tolutim' cf. G. Loewius in 'arch. Zeit.' 1880 p. 180 adn. 16. ad similitudinem illam ut redeam: Seneca ep. p. 40, 11 'Cicero quoque' inquit 'noster, a quo Romana eloquentia exsiluit, gradarius fuit': 'gradarium' equum Lucilius dicit (fr. 390 L).[2]) Sen. rhet. contr. l. IV

modum | pones iambis, sive flamma sive mari libet Hadriano.' Tibull. I 9, 49 'illa velim rapida Vulcanus carmina flamma | torreat et liquida deleat amnis aqua.' Mart. IV 10, 5 'comitetur Punica librum | spongia: muneribus convenit illa meis. | non possunt nostros multae, Faustine, liturae | emendare iocos: una litura potest.' Augustus imperator Aiacem tragoediam in spongiam incubuisse dixit (Suet. Aug. c. 85); a Caligula scriptores quosdam scripta spongia linguave delere iussos esse Suetonius refert (Calig. c. 20). Tertullianus adv. Marc. V 4 de spongia Marcionis loquitur, qua ille sacrae scripturae libros diluerit. — ceterum 'spongia' h. l. primum legitur: antea 'fungus' dicebatur.

1) Sic scripsi dubitanter. in codd. legitur: 'an qui gradu tolutili | te medius quam tute', unde 'equi gradu tolutili | timidi usque tute' vel 'an qui g. t. | timide usque' Buecheler; verbis fere omnibus transpositis duos senarios plenos LMueller constituit sic: 'an quí gradu relinquat te tolutili | melius (sic ed. Ald.) quam tute, molliter vectus, cito.' locus nondum persanatus est.

2) Cf. etiam Sisenn. fr. 127 P (apud Gell. XII 15, 2) 'nos una aestate in Asia et Graecia gesta litteris idcirco mandavimus, ne velli-

praef. § 7 'tanta erat illi (Haterio) velocitas[1]) orationis, ut vitium fieret. itaque divus Augustus optime dixit: "Haterius noster sufflaminandus est." adeo non currere sed decurrere videbatur...8 regi autem ab ipso non poterat; alioquin libertum habebat cui pareret; sic ibat quomodo ille aut concitaverat aut refrenaverat.' cf. 9 'orationis citatissimae cursus.' esse orationem quae egeat stimulo, esse quae freno scriptor libelli de sublimitate dicit (2, 2) memor haud dubie dicti Isocratei de Ephoro et Theopompo. cf. Cratini versus ap. Athen. II 39 C (AL XIII 29, al.)

οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ,
ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοι σοφόν.

Dion. Chrys. or. 4 p. 165 R ὥσπερ ἵππον εὐμαθῆ καὶ πειθόμενον τὸν λόγον ἐπᾶραι.

Accedunt Musarum currus quibus se vehi poetae saepe finxerunt: Pindarus, ubi heroas regiasque gentes ab heroibus ortas celebrat Ol. 9, 81 Isthm. 2, 2; 7, 62 Pyth. 10, 63 cf. Boeckhius ad [Pind.] scol. fr. 3 p. 615. Choerilus fr. I N (p. 104)

ἆ μάκαρ, ὅστις ἔην κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῶν
Μουσάων θεράπων, ὅτ' ἀκήρατος ἦν ἔτι λειμών.
νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι,
ὕστατος ὥστε δρόμου καταλειπόμεθ'. οὐδέ τοι ἔσται
πάντῃ παπταίνοντα νεοζυγὲς ἅρμα πελάσσαι

ubi v. quae adn. Naekius (p. 109), cf. etiam quae Hemsterhusius ad Luc. somn. 15 affert.

Neque desunt Romanorum imitationes, cf. inprimis Cic. ad Q. fr. II 13, 2 'quoniam in isto homine colendo tam indormivi...., cursu corrigam tarditatem cum equis tum vero — quoniam tu scribis poema ab eo nostrum probari — quadrigis poeticis.' Verg. georg. l. II versu extremo: 'et iam tempus equum spumantia solvere colla', quae suo more imitatur Ausonius in idyll. 11 praef. 'utinam...fuco tuae emendationis adiecto impingas spongiam, quae imperfectum opus equi male spumantis absolvat' (v. etiam Iuvenal. 1, 19); cf. Lucr. I 922 sqq. VI 46 sq. 92 sqq. Ovid. fast. II 359 sq. Verg. georg. III 291 sqq. Manil. II 57 sqq. Propert. IV (III) 1, 9 sq. 13 sq. et III (II) 10, 1 sq. minus ad rem ἵππος Ἰβύκειος.

Tali igitur similitudine Varronem quoque usum esse censeo: loquitur de sua poesi, quam homo quidam rustice sapiens vitupe-

---

catim aut saltuatim scribendo lectorum animos impediremus.' Cic. or. 67, 226 'Hegesias saltat incidens particulas', sic 'exsultare' de oratione Cic. ac. pr. 35, 112, 'salebrae' orationis saepe vituperantur.

1) Sic saepe oratio properare dicitur, velut ab Horat. epist. II 1, 58 (cf. Lorenzius 'Epicharm' p. 215), quod Graeci vocabant διήγησιν ταχεῖαν, cf. Welcker 'kl. Schr.' I 31, 14 et Eupol. fr. 94 (I p. 281) K. in his semper inesse equi similitudinem non affirmo, immiscetur enim saepe imago de flumine orationis sumpta.

rasse videtur propter musam nimis pedestrem humilemque (cf. Hor. s. II 6, 17 epist. II 1, 250), sed eam tutiorem esse Varro affirmat (cf. Hor. de a. p. 28 'serpit humi tutus nimium timidusque procellae' carm. II 10, 5 sq. 'auream quisquis mediocritatem | diligit tutus). sententia igitur haec est: 'utrum eius sequar exemplum, qui quadrigis e carcere missis nimia velocitate abreptus periculum subeat ne currus frangatur, an eius qui molliter vectus in medio stadio[1]) adversarium relinquat?'

Ceterum simili metaphora Varro utitur cum dicit 'charteum stadium' (**fr. 519**), cf. Lucr. VI 93 Titin. 160 Petron. 5 (p. 9, 17 B in ed. min. 3) al., nec non conferri potest Varronis **fr. 395** 'pudet me tui et Musarum agnoscere, piget currere et una sequi'; sumptum est hoc fr. ex '**Parmenone**' satura, in qua hominem Romanum cum Graeco de arte poetica certantem induci ex miseris fragmentis adhuc cognoscitur (cf. Ribbeckius hist. poes. rom. I p. 262); fragmentum illud a viris doctis varie temptatum quia Nonii culpa initio truncatum esse mihi videtur, ad hunc modum suppleo: '⟨Apollo, cantorum patrone, talem sententiam⟩ pudet me tui et Musarum (i. e. αἰσχύνομαι σὲ καὶ τὰς Μούσας) agnoscere, piget currere et una sequi' (cf. Hor. de a. p. 406 sq. 'ne forte pudori | sit tibi Musa lyra sollers et cantor Apollo' cum adn. Kiesslingii Tibull. I 9, 48 'at me nunc nostri Pieridumque pudet'); de hac verbi 'pudet' constructione cf. Hauptius opusc. II p. 321.

Simili modo Varro legentes iocosa inscriptione ludificatur saturae cui inscripsit

Marcopolis

περὶ ἀρχῆς.

De titulis duplicibus, quibus omnes olim saturae Varronis insignitae fuisse videntur, hoc loco fusius agere nolo; omnino haec quaestio obscurissima est (cf. Ritschelius opusc. III 493, 4 parerg. Plaut. I 166, 2 Riesius in symb. philol. Bonn. p. 477 sqq.; v. etiam Vseneri Epic. p. 92 Crusius in mus. Rh. 44, 309, 1[2]) Wilamowitzius commentarioli gramm. III p. 20). unum quod adhuc neglectum est

1) 'Medius' vocab., quod in codd. legitur, saturae inscriptione ductus oblitterare nolui, quo modo cumque explicatur; possis etiam de medio orationis charactere cogitare: sic Persius 5, 7 sqq. grande locuturis ut aliorum carmina legant imperat, se ipsum dicit 'ore teretem modico'.

2) Idem (ib. 43, 464, 2) cum Varronis inscriptionibus bene contulit Oenomai titulos duplices, modo ne de his anceps sit iudicium: omnino autem ne confundantur tituli quorum alter priori adnexus est particula ἢ cum his in quibus deest ἢ cavendum est.

moneo, etiamnunc cognosci, quemadmodum Varro hanc rem instituerit, si a logistoricis proficiscimur qui a saturis non differunt, nisi quod erant genere cπουδαίῳ non cπουδογελοίῳ, prosa oratione non mixta scripti, latino altero titulo non graeco insigniti. iam Censorinus de d. n. 9 logistoricum nominat 'qui vocatur Tubero et intus subscribitur de origine humana': res valde memorabilis, quam nescio an non satis attenderint viri docti; 'intus' ut recte intellegeretur, Vsener mihi indicavit scholia Epicuri epistulae ad Herodotum adscripta haec: p. 8, 1 (Laert. D. X 43) ἀπερίληπτοι. — οὐδὲ γάρ φηcιν ἐνδοτέρω [§ 56] εἰc ἄπειρον τὴν τομὴν τυγχάνειν κτλ. p. 8, 2 [§ 43] αἱ ἄτομοι — φηcὶ δ' ἐνδοτέρω [§ 54] μηδὲ ποιότητα κτλ. cf. Vseneri praef. p. XXVII; sic etiam Laertius ipse V 4 παιᾶνα ἔγραψεν, ὅc ἔνδον γέγραπται (§ 7). eandem rationem quin in saturis Varro adhibuerit, dubitari vix potest; quid quod in Ciceronis quoque scriptis quae sunt 'Cato de senectute' et 'Laelius de amicitia' simili modo rem institutam fuisse probabile est.

Accedo ad saturam, cuius unum quod servatum est fragmentum quemadmodum Varro rem tractarit indicat:

290 'sensus portae, venae hydragogiae, cloaca intestini'.

nimirum hoc fragmento corpus humanum cum urbe comparari dudum animadverterunt, quamquam Varro utrum corpus humanum sapientissime a natura constructum ad comparationem tantum vocarit urbis ex Marci sententia institutae — cf. quae ipse dicit apud Augustin. de civ. dei IV 31 et Plotini Πλατωνόπολιc (Porphyr. vit. Plot. 12) — an re vera ipsum corpus humanum intellegendum sit (cf. Riesii adnotatio) diiudicare non audeo; hoc qui probet, conferre possit Max. Tyr. diss. 13 c. 2 ψυχὴ καὶ cῶμα ὁ ἄνθρωποc, τὸ μὲν αὐτοῦ ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον, ὡc ἐν πόλει ἄρχων καὶ ἀρχόμενοc. 21 c. 4 i. f. πόλιc δέ ἐcτι πρᾶγμα ἀνακεκραμένον ἐκ πάντων ξυνεργατῶν, καθάπερ καὶ ἡ cώματοc χρεία πολυμερήc τε οὖcα καὶ πολυδεὴc cῴζεται τῇ cυντελείᾳ τῶν μερῶν πρὸc τὴν ὑπηρεcίαν τοῦ ὅλου· φέρουcι πόδεc, ἐργάζονται χεῖρεc κτλ.[1]) nec non Menenii Agrippae narratiunculam illam Ribbeckius in mus. Rh.

1) Fortasse ne hoc quidem ab re est commemorare a Platone tres rei publicae classes, τῶν βουλευτικῶν, τῶν ἐπικούρων, τῶν βαναύcων derivari a tribus quas constituit animae partibus, τῷ λογιcτικῷ μέρει, τῷ θυμοειδεῖ, τῷ ἐπιθυμητικῷ (cf. e. g. rep. IV 441 C sqq.). res publica igitur a singulis hominibus non differt nisi magnitudine, cf. rep. II 368 E οὐκοῦν μεῖζον πόλιc ἑνὸc ἀνδρόc; μεῖζον, ἔφη. ἴcωc τοίνυν πλείων ἂν δικαιοcύνη ἐν τῷ μείζονι ἐνείη καὶ ῥᾴων καταμαθεῖν. εἰ οὖν βούλεcθε, πρῶτον ἐν ταῖc πόλεcι ζητήcωμεν ποῖόν τί ἐcτιν· ἔπειτα οὕτωc ἐπιcκεψώμεθα καὶ ἐν ἑνὶ ἑκάcτῳ, τὴν τοῦ μείζονοc ὁμοιότητα ἐν τῇ τοῦ ἐλάττονοc ἰδέᾳ ἐπιcκοποῦντεc. hanc Platonis similitudinem posteri quam saepe imitati sint, nuper demonstrare conatus est Rudolphus de Scala 'die Studien des Polybios' I p. 225 sqq. Aristoteles quoque diversas rei publicae species cum variis animalium partibus comparat (pol. δ 4, 1290 b 25).

14, 120 bene contulit. — eandem prorsus similitudinem qua usus est Varro alibi non invenio, quamquam vestigia quaedam occurrunt in Xen. mem. I 4, 5 sqq. et Plat. Tim. 69 D sqq., quos locos scriptor libelli de sublimitate summis laudibus effert (32, 5) et saepe imitati sunt posteriores ita tamen, ut similitudo a domo petita praevaleat (cf. e. g. Vitruv. III 1, 2 sq. 1, 9); saepissime invenitur inde a Plat. Tim. 70 A capitis cum arce comparatio, velut apud Cic. Tusc. I 10, 20 de nat. deor. II 56, 140 Varr. apud Lact. de opif. dei c. 8 Philo de somn. I § 6 vol. I p. 625 M, de Abrah. § 29, II p. 23 Hieron. adv. Iov. II 8 (ex Porphyrio). cf. altercatio Hadr. et Epict. in Fabric. bibl. Gr.[1] XIII p. 559 'quid est caput?' — 'hominis culmen'.1)

Similia argumenta in aliis quoque saturis a Varrone tractata esse infra videbimus, atque etiam huius saturae fr.

292 'noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima reviviscit'

ad animae naturam enarrandam pertinere videtur; noctilucam enim esse bestiolam quae hodie dicatur 'lampyris noctiluca' ('lucciola', 'glîme'), Plinii aetate sermone rustico 'cicindela' (Plin. n. h. XVIII 27, 250) primus monuit Buecheler l. c. p. 440; concalefieri muscas, ut aqua necatae reviviscant, Varro r. r. III 16, 37 sq. narrat: bestiola igitur focilata et spiritu hominis tacta (hoc enim est 'inflo') reviviscere dicitur, quod vide quantopere concinat cum Varronis verbis ex Tuberone logistorico, ut videtur (cf. Wilmannsius 'de Varr. libr. gramm.' p. 36, Vsener Epic. praef. p. LXXV adn. 2), allatis a Lactantio de opif. dei c. 17 'anima est aer conceptus ore, defervefactus in pulmone, diffusus in corpus'.

Iocosum Varronis morem de quo loquor optime repraesentat

Bimarcus

satura. in initio fere saturae fuisse apparet fr. hoc:

60 'ebrius es Marce, Odyssian enim Homeri ruminari incipis, cum περὶ τρόπων scripturum te Seio receperis'.

cui adversario sive vero (cf. Marxius stud. Lucil. p. 45) sive ficto2) Varro sic respondet:

45 τρόπων τρόπουϲ qui nón modo ignorasse me
clamát, sed omnino omnis heroas negat
nescisse.

---

1) De translationibus a corpore humano sumptis cf. Eustath. ad Il. B 637 p. 308. — cf. etiam 'Αγκών, 'Ισθμόϲ.

2) Marcum se ipsum alloqui Buecheler in mus. Rh. 14, 422 et in symb. phil. Bonn. p. 79 scribit.

conexum inter haec fr. mihi quidem constat fuisse hunc[1]): Varro Seio amico scripturus περὶ τρόπων primos Odyssiae versus de Vlixe πολυτρόπῳ[2]) recitare incipit, quod quomodo ad rem propositam pertineat cum non intellegat adversarius, quippe qui rhetorum τρόπουϲ significari putarit, Varronem interpellat, qui τρόπων τρόπουϲ omnesque heroas ignorarit, nihil enim esse Vlixi[3]) cum τρόποιϲ. iam · operae pretium est videre, quemadmodum multiplici τρόποϲ vocis significatione utatur. ad vocabuli interpretationem pertinet fr.

61 'ideo fuga hostium graece vocatur τροπή. hinc spolia capta fixa in stipitibus appellantur tropaea',

usus rhetoricus vitae cottidianae aptatur hoc fr.

62 'κατάχρηϲιϲ est enim vera, cum in candelabro pendet strigilis';

porro haec fr.

57 ne mé pedatus ∠⏑ versuum tardor
refrenet arte compari rhythmon certum

58 'mihique † dividum stilo nostro papyri † nolevii scapos capitis novo partu poeticon'

59 'cum Quintipor Clodius tot comoedias sine ulla fecerit musa, ego unum libellum non "edolem", ut ait Ennius?',

quae memorabile ipsius Varronis de saturarum suarum indole continent iudicium — minimum enim bis inserta esse prosae orationi poetica cognoscimus — ad orationis τρόπουϲ πεζοὺϲ et ποιητικοὺϲ (cf. e. g. Isocr. 15, 45) optime referuntur. reliquorum fragmentorum maior pars ad mores inversos spectat, quorum 'tropica instituerunt' (Petron. c. 88) varia libidinum genera.

Lepidissimum est fr.

64 'socius es hostibus, hostis sociis[4]), bellum ita geris ut bella omnia domum auferas',

habes coniuncta ϲχήματα et τρόπουϲ, χιαϲμὸν et παρίϲωϲιν, ὁμωνυμίᾳ utitur in 'bellum' vocabulo, quo efficitur ἀμφιβολία quae est inter τρόπουϲ (Tryph. περὶ τρόπων III 203 Sp Greg. Cor. ib. 223

1) Aliter Vahlenus 'in M. Terentii Varronis saturarum Menippearum reliquias coniectanea' p. 129 sqq. 137 223, Fr. Fritzschius in proll. ad Lucian. vol. II part. II p. XXXI sqq.

2) Recte Maehlyus l. c. p. 31: „der Anknüpfungspunkt mit der Odyssee liegt im πολύτροπος ἀνήρ Odysseus."

3) De Vlixe πολυτρόπῳ i. e. varie dicendi artis perito omnia nunc nota sunt. 'omnes heroas' generatim dicere videtur unum Vlixem intellegens (cf. Vahlenus p. 137); quamquam nunc patri πολυτρόπῳ accessit ex schol. Od. α 284 sqq. (p. 18, 15 sqq. Schr) Telemachus filius item πολύτροπος, quem omnino patris simillimum finxit poeta (cf. Athen. V 181 F sq.).

4) Sic Madvicus adv. cr. I p. 36, 'socius es hostibus socius bellum e. q. s.' codd.

Kokondrios ib. 243 cf. Woelfflinus 'd. Wortsp. i. Lat.' in 'Sitz.-Ber. d. bayr. Ak.' 1887 p. 191 sq.).

Ex hoc verborum lusu quem per totam saturam iocosa quadam hilaritate ita dispersum fuisse puto, ut cum ea τρόπων significatione quae ad mores pertinet coniungeretur significatio rhetorica, 'Bimarcum' titulum interpretandum esse mihi constat; neque id non optime congruit quod in hac ipsa satura versuum prosaeque orationis vicissitudines identidem diserte indicantur: nempe Marcus composuerat poetica quaedam, composuerat multa prosa oratione conscripta, en in ipsa satura Bimarcum.

Possum huius generis addere multa[1]) — velut in Κοσμοτορύνῃ περὶ φθορᾶς κόσμου et de mundi universi futuro interitu ex Stoicorum sententia et de mundi muliebris mutatione disputari ex fragmentis apparet, cf. Ribbeckius hist. poes. rom. I p. 253; in 'Sexagesi' mire verbo detorto non sexaginta asses intellegit, sed se hominem sexaginta annorum in Tiberim depontatum esse narrat —, sed ne iusto sim longior ad aliud saturarum genus transeo, in quo nunc quidem tales facetiae non deprehenduntur.

Saturae cuius index est

Ὄνος λύρας

plurima fragmenta egregie expedita sunt a Vahleno l. c. p. 3—38, Ribbeckio in mus. Rh. 14, 116—119, Buechelero ib. p. 451, quae aliqua ex parte retractabo, quemadmodum Varro graecos scriptores in usum suum verterit demonstraturus.

---

1) Verborum captiones non solum in saturarum inscriptionibus sed in singulis quoque fragmentis passim occurrunt; lepidam amphiboliam Marxius in ind. lect. Rostoch. hiem. 1889 p. 10 in fr. 379 (ex sat. 'Papia papae περὶ ἐγκωμίων') detexit: 'ille ales gallus qui suscitabat Atticarum Musarum scriptores, an hic qui gregem rabularum', quibus verbis L. Plotius Gallus perstringitur, qui primus Romae latinam rhetoricam docuit; huius vocis amphiboliam denotat Quintil. inst. or. VII 9, 2, cf. etiam Mart. III 24, 13, Buecheler ad Sen. apoc. 7, sic Graeci in avium nominibus nequissimis saepe luserunt (cf. Ἀλεκτρυών, Πέρδιξ homines). ceterum his sermonis leporibus qui cernuntur in verbis et nove iocoseque compositis et ambigue usurpatis nescio an ὁ κυνικὸς τρόπος repraesentetur; Cynici enim mirum quantum talia frequentabant (cf. Wachsmuthius sill.[2] p. 71 sq. EWeber 'de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore' p. 138) in hac quoque re comoediam secuti; vocabula inaudite ficta Cynicorum quodammodo propria fuisse maxime docent Timon in talibus paene Cynicus et Athenaei Cynulcus. id tamen ludibrium certis quibusdam finibus cohibebatur, quos ultra transgressus est qui apotheosin quasi ποθήσεως negationem esse potuisse sibi persuasit ab aliis recte refutatus.

Non longe ab initio saturae fuisse fr. 348—355 Vahlenus p. 3 vidit; solito more prologum Φωνασκία[1]) recitat, cuius quae supersunt fragmenta ad prologorum artem enarrandam non sine fructu adhiberi possunt.

In fragmentis

359 'iurgare coepit dicens:
quae scis atque in vulgum vulgas artemque expromis inertem'

et

361 'nempe sues silvaticos in montibus sectaris venabulo aut cervos,
qui tibi mali nihil fecerunt, verutis: a! artem praeclaram'

Ribbeckius l. c. p. 116 Antiopae Euripideae imitationem agnovit; in fr.

360 'tuus autem ipse frater cibarius fuit Aristoxenus'

'fratrem cibarium' neque interpretor 'fratrem collactaneum' (cf. Vahlenus p. 31) neque cum aliis (ut Nonio p. 93, Voigtio in mus. Rh. 31, 117, George in lex.) solitam huius vocabuli notionem ('panis cibarius' et similia) agnosco h. l. prorsus ineptam; immo fraternum dulce sodalicium indicari puto, quo coniunctus esse dicatur Aristoxenus cum altero nescio quo; apud veteres enim amicorum consuetudo ac familiaritas contubernio et communi mensa devinciebatur, cf. Lehrsius 'de Aristarchi stud. Hom.'^{2} p. 14 adn. 2, qui inter alia affert Pers. 5, 41 sqq. sic viri docti arta amicitia coniuncti in mutuo 'contubernio' vivere dicebantur. cf. etiam Cic. de sen. 13, 45 'bene enim maiores accubitionem epularem amicorum, quia vitae communionem haberet, convivium nominarunt'.[2]) fratrem saepe pro amico poni pueris notum est.

Doctrinae Aristoxeneae[3]) sive eam Peripateticam dicere mavis, vestigia quae in satura passim inveniuntur, enarrare omnia longum est, quae qui cognoscere volet hos potissimum adeat auctores oportet: Athenaei l. XIV, cuius cap. 23—26 (p. 627 A—629 D) et 31—33 (p. 631 E—633 E) ad Aristoxenum redire demonstravit Rohdius 'de Iulii Pollucis in enarrando apparatu scaenico fontibus' p. 36—46, quibus eiusdem libri c. 18 (p. 623 E—624 B) RWeber 'de Dios-

1) In codd. legitur 'fonicia sum', unde 'phonascus adsum' Iunius Vahlenus Riesius, 'Φωνασκία assum' Buecheler. de phonascis cf. Liermannus 'anal. epigr. et agonist.' in diss. Hal. vol. X p. 162 adn. 5.

2) 'Convivium' vocabuli antiquam significationem non invenio nisi in Ter. Hec. 93. — 'convivere' verbo recentioris aevi scriptores usi sunt (cf. Quintil. inst. or. I 6, 44 VII 3, 31), cf. Crusius 'de Babrii aetate' p. 179. ceterum vide eiusdem translationis alterum exemplum apud MMuellerum 'Vorles. üb. d. Wiss. d. Sprache' II p. 373 vers. germ. ed. 2.

3) Varronem in rebus musicis Aristoxeno multa debere vel inde concludas, quod in rhythmo definiendo certo eum secutus est; cf. Wilmannsius l. c. p. 69 sq.

curidis περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων libello' p. 178 addidit; Sexti Empirici librum adv. musicos et Philodemi libros de musica. accuratius unum tractabo fragmentum

368 'et id dicunt suam Briseidem producere, quae eius nervia tractare solebat.'

de sententia dubitatur, cum ne verba quidem sic ut leguntur sana esse videantur pro v. 'suam' Maehlyus l. c. p. 37 'sūam' i. e. 'servam' coniecit cf. Horat. carm. II 4, 3 'serva Briseis' (idem Baehrensius invenit in ann. nov. 1872, 354)[1]); 'producere' quid valeat, non liquet, cum quo respiciat 'id' pronomen non constet; videtur tamen Briseidis opera dici carmen illud productum esse (h. e. motum, excitatum: neque enim de τόνῳ producto h. l. agi puto), quod ad citharam cecinit Achilles.[2]) verum haec utut sunt, apparet loqui musicae artis inimicum[3]) qui obsceno[4]) usus verborum lusu — dixerat enim musicae patronus fr.

366 'scientia doceat, quemadmodum in psalterio extendamus nervias' —

prurigini inservire musicam demonstraturus (cf. etiam fr. 369) Achillis exemplum affert: quod in hac quaestione sollemne erat. artis musicae patroni qua usi sint ratione docent Porphyrius qui ad I 186 sqq.

τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ
καλῇ δαιδαλέῃ, ἐπὶ δ' ἀργύρεον ζυγὸν ἦεν·
τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων, πόλιν Ἠετίωνοϲ ὀλέϲϲαϲ·
τῇ ὅ γε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέε' ἀνδρῶν

haec adnotat (p. 134, 25 Schr): ἀπρεπὲϲ δοκεῖ καταλαμβάνεϲθαι κιθαρίζοντα, λύεται δ' ἐκ τοῦ καιροῦ[5])· ἐν γὰρ νυκτὶ οὐκ εὐπρε-

1) Non probo quod Ribbeckius l. c. p. 119 coniecit: 'ei edicunt suam Briseidem producere' (cl. A 320 sqq.) vel Baehrensius l. c. et LMueller: 'ei indicunt servam Br. pr.': velim enim ex illius aevi scriptoribus huius infinitivi exemplum afferatur.

2) Similiter Vahlenus l. c. p. 38.

3) Contra illius patronus dixit (fr. 357):

maeréntis ut quietus ac demissior probandus
Ἀχιλλέωϲ ἡρωικόϲ, ἰωνικὸϲ κιναίδου

sc. ῥυθμόϲ, nam idoneos rhythmos invenire, qui bene aptarentur affectibus singulis, primarium musici erat officium cf. Plato rep. III 398 C sqq. Aristot. pol. ε 7, 1341 b 35 sqq. [Plut.] de mus. 33 p. 1143 C et quae de rhythmorum ἤθεϲι disputat Aristides Quint. II c. 15 p. 97 M (p. 59, 14 J), ubi non deest ὁ ἡϲυχαίτεροϲ ῥυθμόϲ ('quietus' Varronis).

4) 'tractare' quoque inter nequiora est verba.

5) Memorabile est simillimam λύϲιν inveniri apud Pseudoplutarchum de mus. c. 40 (h. e. apud Aristoxenum).

πέστερον ἄλλως καταλαμβάνεσθαι, γυμνάζεσθαι μὲν γὰρ τῷ σώματι οὐκ ἦν τότε· κοιμώμενος δὲ ἢ παννυχίζων ἀπρεπέστερον ηὑρίσκετο. — οἰκεῖον τῷ ἥρωι νυκτὸς οὔσης γυμνάζεσθαι μᾶλλον τὰ μουσικὰ ἀλλὰ μὴ διαπαννυχίζειν· παραμυθία γὰρ ταῦτα θυμοῦ καὶ λύπης. ἔστι δὲ νέος καὶ φιλόμουσος καὶ λάφυρον ἔχων τὴν κιθάραν καὶ οὐ θηλυδριώδη μέλη ἀλλὰ κλέα ἀνδρῶν ᾄδει. (sequuntur similes λύσεις.) Chamaeleon apud Athen. XIV 624 A καὶ ὁ Ὁμηρικὸς Ἀχιλλεὺς τῇ κιθάρᾳ κατεπραΰνετο, ἣν αὐτῷ ἐκ τῶν Ἠετίωνος λαφύρων μόνην Ὅμηρος χαρίζεται καταστέλλειν τὸ πυρῶδες αὐτοῦ δυναμένην (cf. 633 C). Sext. Emp. adv. mus. § 10 (ex φιλομούσων sententia) καὶ μὴν ὥσπερ σωφρονίζει μὲν τοὺς ἄφρονας ἡ μουσική, εἰς ἀνδρίαν δὲ προτρέπει τοὺς δειλοτέρους, οὕτω καὶ παρηγορεῖ τοὺς ὑπ' ὀργῆς ἐκκαιομένους. ὁρῶμεν γοῦν ὡς καὶ ὁ παρὰ τῷ ποιητῇ μηνίων Ἀχιλλεὺς καταλαμβάνεται ὑπὸ τῶν ἐξαποσταλέντων πρεσβευτῶν 'φρένα' κτλ., ὡς ἂν σαφῶς γινώσκων τὴν μουσικὴν πραγματείαν μάλιστα δυναμένην περιγίνεσθαι τῆς περὶ αὐτὸν διαθέσεως. Dio Chrys. 2 p. 82 R τὸν γοῦν Ἀχιλλέα πεποίηκεν ὑστερίζοντα ἐν τῷ στρατοπέδῳ τῶν Ἀχαιῶν οὐκ ἔκλυτα οὐδὲ ἐρωτικὰ μέλη ᾄδοντα· καίτοι φησί γε ἐρᾶν αὐτὸν τῆς Βρισηΐδος· ἀλλὰ κιθάρᾳ μὲν χρῆσθαι μὰ Δί' οὐκ ὠνησάμενον οὐδ' οἴκοθεν ἄγοντα παρὰ τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ ἐκ τῶν λαφύρων ἐξελόμενον . . . .· ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν, ὡς οὐδέποτε λανθάνεσθαι δέον τῆς ἀρετῆς . . . τὸν γενναῖον ἄνδρα. tale aliquid inesse videtur etiam in Philodemi verbis[1]) (III fr. 19 K.) διὰ τούτων τὸν Ἴωνα[2]) μὲν ἐν οἷς ὑπὲρ Ἀχιλλέως εἴρηκεν, εἰ καὶ δύναται συνοικειοῦσθαι τῷ μὴ ψευδεῖ, φορτικῶς μαρτυροῦντα παραιτώμεθα, καὶ ἔτι μᾶλλον ὅτι ποιητὴς καὶ μουσικὸς εἶπεν· οὐδὲ τούτοις προσέχομεν ἄνευ πίστεως.

Adversus haec quae disputarint ὄνοι λύρας, Sextus servavit secutus sine dubio Epicureos quos bis (§§ 19 27) nominat[3]): § 25 τὰ δὲ αὐτὰ (arte musica non καταστέλλεσθαι λυπουμένην ψυχὴν ἢ περὶ ὀργὴν σεσοβημένην τὴν διάνοιαν, ἀλλ' εἴπερ, περισπᾶσθαι: § 23) λεκτέον καὶ ἐπὶ τοῦ μηνίοντος Ἀχιλλέως· καίτοι ἐρωτικοῦ ὄντος καὶ ἀκρατοῦς οὐ παράδοξον τὴν μουσικὴν σπουδάζεσθαι: nimirum animi perturbationes ex amore ortas musica mitigari musicae adsertores contendebant (cf. Philod. I fr. 28, 21 sqq.), immo irritari et inflammari musicae adversarii (cf.

1) In Philodemi verbis afferendis cancellos omisi, nisi ubi de supplementis dubitari potest.

2) Ion tragicus poeta Φοίνικα tragoediam scripsit.

3) Praeter ea quae supra attuli cf. Philodem. III fr. 16, 21 sqq. 17, 1 sqq. et Sext. § 24, Pilod. IV col. XV 1 sqq. et Sext. § 22, Philod. IV col. XXIV 24 sqq. et Sext. §§ 13 27. Peripateticae doctrinae insigne vestigium invenitur apud Sext. § 26 cll. Athen. I 14 E et schol. cod. Ambr. Ε ad γ 267 (cf. schol. α 327): cf. RWeber l. c. p. 153 sq.

Philod. IV col. V 42 sq. col. VI 1—8 col. VII 11 sqq. Sext. § 34qqs. Philod. IV col. XV = Sext. §§ 21 sqq.).

Denique ad fr. 368, unde profectus sum, ascribam locum consimilem carm. Priap. 68, 13 sqq.

'haec eadem (mentula) socium tenera spoliavit amica
quaeque erat Aeacidae, maluit esse suam.
ille Pelethroniam cecinit miserabile carmen
ad citharam, cithara tensior ipse sua.
nobilis hinc nata nempe incipit Ilias ira,
principium sacri carminis illa fuit.'

quod carmen sine dubio expressum est ex Ovid. trist. II 371 sqq. cf. maxime 411 sq. 'nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem | infregisse suis fortia facta modis'; v. etiam Propert. II 8, 29 sqq. ceterum de Achille amatore cf. etiam [Iustin.] or. ad gentiles c. 1 p. 4 O (Athen. XIII 560 B). de Achille et Briseide posthomericis cf. Rohdius 'gr. Rom.' p. 102 sq. Briseis turpis adultera est Ovidio (trist. II 373), psaltria et concubinula in Querolo fabula (p. 19 P).

Pergo ad saturam cui

Γνῶθι σεαυτόν

inscribitur. de universo argumento Vahlenus l. c. p. 49 sq. rectissime scribit eis quibus natura rerum exploretur indagationibus opponi tamquam veriorem rationem eam quae in hominis naturam inquirat, cf. fr.

210 'age nunc contendamus alterum genus φιλοθέωρον, ecquid ibi videris melius'.

hoc ne cum Ribbeckio l. c. p. 113 sq. (et in hist. poes. rom. I p. 250) et Riesio (praef. p. 22) de vita contemplativa dici putemus, cui opponatur vita in actione posita, φιλοθέωρος vocabulo impedimur quod a nullo umquam scriptore pro θεωρητικός v. usurpatum est aut potuit usurpari; accedit, quod de γένει πρακτικῷ in satura ne levissimum quidem invenitur vestigium.

Ad illud genus φιλοθέωρον, quod in naturae contemplatione versatur, haec pertinent fragmenta:

202 ut sidéra caeli
divum, circum terram atque axem
quae volvuntur motu orbito

203 candéns corpore taurus trivio
lumine lunae

206 'non subsilies ac plaudes et ab Arato posces astricam coronam? quid enim hoc mirius?'

in fr. 202 ut intellegatur 'divûm', cum Buechelero (in mus. Rh. 20, 410) in initio supplenda sunt 'terrast | sedes hominum'. fr. 203 idem (ibid.) de Europa nocte sublustri a tauro candido per mare vecta (Hor. carm. III 27, 31) interpretatur; equidem horum versuum consilium respiciens tauri signum candidum intellegere malo, de quo Vergilius in georg. I 217 sq. 'candidus auratis aperit cum cornibus annum | taurus'; quod si recte statui, sequitur ut non possint coniungi 'candens lumine lunae', quippe quo ignes minores non excandescant sed pallescant; immo in fine supplenda talia: 'obscurat faciem | nato' (cf. si tanti est Sapph. fr. 3 B Sen. Phaedr. 746 sqq. 'curru properante pernox | exserit vultus rubicunda Phoebe | nec tenent stellae faciem minores'). illud 'corpore' explico cl. Cic. Arat. 343 sq. 'Orion obliquo corpore nitens | inferiora tenet truculenti corpora Tauri', 576 'proiecto corpore Taurus'. — denique mutare non ausim 'trivio'[1]), pro quo 'triviae' post Popmam et Oehlerum Buecheler; id sane non defendo cum Riesio (in mus. Rh. 21, 120) ut per hypallagen coniunctum cum 'lumine', sed quaesita quadam obscuritate dictum esse puto cl. Plut. de fac. in orb. lun. 24 p. 937 E καίτοι μίαν οὐ κινεῖται κίνηϲιν (sc. ἡ ϲελήνη), ἀλλ' ὥϲ που καὶ λέγεται, τριοδῖτίϲ ἐϲτιν, ἅμα μῆκοϲ ἐπὶ τοῦ ζῳδιακοῦ καὶ πλάτοϲ ἐπιφερομένη καὶ βάθοϲ. Cornutus de nat. deor. 34 ἐντεῦθεν δ' ἤδη καὶ Τριοδῖτιϲ ἐπεκλήθη .. διὰ τὸ τριχῶϲ μεταβάλλειν ὁδεύουϲαν διὰ τῶν ζῴων. Graecos secutus Varro ipse de l. l. VII 16 'Titanis Trivia Diana est, ab eo dicta Trivia, quod .... luna dicitur esse quae in caelo tribus viis movetur, in altitudinem et latitudinem et longitudinem' cf. V 68.

Ad alterum genus φιλοθέωρον quo corporis nostri cognitio commendatur, quae pertinent fragmenta

199 út cremento corpora
fierént maiora parvo, ut suctu candidi
lactis

et

200 dein cérto alvi fluctu ut sucum
parerét mansum, quo venarum
sanguine rivos compleret[2])

interpretatione non egent. restant quaedam, quae haud ita facile cum argumento copulentur; de amore sunt haec:

---

1) Neque mutat Lachmannus ad Lucr. IV 1275.

2) Fr. 199 et 200 sic non coniuncta fuisse metri docet diversitas. omnino fr. 200 cum eodem metro conscriptum sit quo 201—203, fortasse statuendum est fragmento 200 verba τοῦ μετεωρολογοῦντοϲ contineri, quibus irrideatur pusilla adversarii ratio: is enim senariis sententiam suam exprompsisse videtur (fr. 199). quae ratio mihi eo magis placet, quia ad hunc modum satis bene intellegi posse etiam fr. 201 infra demonstrabo.

204 nón videtis unus ut
párvulus Amor ardifeta lampade arida agat amantis
aestuantis?

205 ét misellus ille pauper amat habetque ignem intus acrem:
hic ephebum mulieravit, hic ad moechada adulescentem
cubiculum pudoris primus polluit.

de amore quid philosophi statuerint, h. l. enarrare longum est; quamquam ne ab Hirzelio quidem ('Untersuch. z. Cic.'s philos. Schr.' II p. 36 sq. 388—403, cf. quae addit XKreuttner 'Andronici libelli περὶ παθῶν pars prior' p. 27 sq.) omnia recte expedita sunt: sufficit dixisse hunc quidem amorem de quo Varro loquitur, φαῦλον dico et libidinosum, ab omnibus philosophis inter perturbationes animi numeratum et a sapiente alienum habitum esse (cf. praesertim fusa Ciceronis enarratio in Tusc. IV §§ 67—76 ab Hirzelio neglecta); iam cum insanire amantes et philosophi poetaeque philosophantes permultis locis affirmarint[1]) et volgus crediderit[2]), ad eos nobile illud Δελφικὸν γράμμα bene referri apparet.[3])

Fragm.

201 nil súnt Musae, Polycles, vestrae,
quas aerifice duxti

quo olim fuerit conexu, certo dicere non possum; vide tamen an aliquid lucis afferat Lact. inst. div. VI 20, 6 'voluptas oculorum varia est et multiplex, quae capitur ex aspectu rerum quae sunt in

---

1) Primus Socrates Xenophontis mem. I 3, 13.

2) 'amans amensque' in proverbium venit cf. Woelfflinus 'Sitz.-Ber. d. bayr. Ak. d. W.' I 1887 p. 195. Otto 'Arch. f. lat. Lex.' V p. 370. Serv. ad ecl. 8, 66 'amantes insanos vocamus'.

3) Fuit cum putarem in eodem argumento versari Lucilii fragmenta haec sic ab editoribus coniuncta:

770 sq. L XXIX 6 M 628 B

'sic Sócrates in amore: in adulescentulis
meliorem paulo faciem signat nilque amat'

768 sq. L XXIX 8 M 629 B

'et amábat omnes. nam ut discrimen non facit
neque signat linea alba'

772 L XXIX 56 M 631 B

'tum illúd ἐπεφώνει, quod etiamnum nobile est'

(sc. γνῶθι ϲεαυτόν). vereor tamen ne melius copuletur fr. 772 L cum 785 sq. L XXIX 26 M 634 B:

'tú qui iram indulges nimis
manús a muliere abstinere melius est',

cf. enim Iuv. 11, 27 sqq.

'e caelo descendit γνῶθι ϲεαυτόν:
figendum et memori tractandum pectore, sive
coniugium quaeras e. q. s.'.

usu hominum vel natura vel opere delectabiles. hanc philosophi rectissime sustulerunt. aiunt enim multo esse praeclarius et homine dignius, caelum potius quam caelata intueri et hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus tamquam floribus adornatum quam picta et ficta et gemmis distincta mirari.' Cic. parad. Sto. 5, 36 'in pari stultitia sunt, quos signa, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera ... nimio opere delectant' e. q. s., quibuscum mire consentiunt Horatii verba sat. II 7, 95 (ubi cf. Kiesslingius). optime sane haec conveniunt cum fr. 202 sq. statuariorum opera ut ficta et ex imitatione orta contempsit Plato (cf. Zeller, hist. phil. gr. II³ 1 p. 799 sqq.), statuas picturasque cur homines tanto studio spectent prae maioribus quae in vita sint spectaculis Arcesilaus miratur apud Plut. de tranq. an. 9 p. 470 B, statuarios et pictores in liberalium artium numerum ut recipiat adduci se posse negat Seneca (ep. 88, 18), contra Hortensius, philosophiae contemptor, signis tabulisque pictis delectatur (fr. 5 et 80).

Permultas easque longissimas disputationes de nobili illa inscriptione Delphica conscriptas esse Plutarchus refert 'de ei apud Delphos' 2 p. 385 D et 'de Pyth. or.' 29 p. 408 F; quaedam a Stobaeo in floril. l. XXI excerpta, multa ab aliis scriptoribus servata sunt Varronianae disputationis simillima si universam spectas rationem, minus congruentia in rebus singulis.

De corporis humani natura Varro in aliis quoque saturis disputavit, maxime in ea cui inscribitur

Andabatae.

De hoc gladiatorum genere locos ex scriptoribus sumptos composuit PJ Meier 'de gladiatura romana' diss. Bonn. 1881 p. 44 sq.: pugnabant illi oculis contectis, ut quasi σκιαμαχίαν spectatoribus praeberent gladios in tenebris ventilantes. Varro autem non gladiatores intellexit, sed iocose sic vocat homines nocturnos qui tenebris menti offusis quasi opertis oculis errant et labuntur[1]): fr.

29 'edepol idem "caecus non luscitiosus" est'[2])

30 'non mirum si caecuttis, aurum enim non minus praestringit oculos quam ὁ πολὺς ἄκρατος'.

---

1) Similiter Hieronymus adv. Iov. I 36 'melius est tamen clausis quod dicitur oculis andabatarum more pugnare, quam directa spicula clipeo non repellere veritatis.'

2) Haec ex Plaut. Mil. 323 sumpta esse recte adnotant; aliorum rationem sciens praetermitto.

de πλούτῳ τυφλῷ qui etiam, ut ait Menander (fr. 83, III p. 26 K) τυφλοὺϲ | τοὺϲ ἐμβλέπονταϲ εἰϲ ἑαυτὸν δεικνύει omnia nota sunt; neque quod vinum τὰϲ ὄψειϲ ἡμῶν πλανᾷ (Athen. X 445 E), testimoniis comprobetur necesse est. verba ὁ πολὺϲ ἄκρατοϲ fortasse ex Menandri versu monost. (fr. 779, III p. 216 K) ὁ πολὺϲ ἄκρατοϲ ὀλίγ' ἀναγκάζει φρονεῖν sumpta sunt, quae est Kockii sententia, sed videntur in proverbium venisse, certe quidem eadem saepius invenio apud Philonem (de plantat. § 35, I p. 351, de ebriet. § 3, I p. 359, quis rer. div. heres § 10, I p. 480, de spec. legg. l. II § 51, II p. 274, de fortit. § 2, II p. 376 bis, de praem. et poen. § 9, II p. 417). — fr.

27 néc manus visco tenaci tinxerat viri castas

de homine antiquae frugalitatis, qui non erat parcus nec 'tenax', intellegendum est. — fr.

34 'et me Iuppiter Olympiae, Minerva Athenis suis mystagogis vindicassent'

hac ratione cum saturae inscriptione optime consociari posse puto: Nonius p. 135, ubi nostrae saturae fr. 29 affert, 'luscitiosus' voc. sic explicat: 'luscitiosi qui ad lucernam non vident et μύωπεϲ vocantur a Graecis.' iam cum certum sit andabatarum vocabulo homines clausis oculis in media luce errantes et ad dignoscendum verum a falso occaecatos a Varrone significari, re vera μύωπαϲ, is qui illis corporis animaeque natura enarranda (fr. 25 31 sqq.) caliginem ab animo dispellat atque locorum corporalium rationes explicet ut veri mystagogi locorum religiosorum quae sunt in urbibus[1]), egregie illorum mystagogus dicitur. huc nos tuto progredi posse confido: ipsam sententiam accuratius qui definire velit, cum multae dentur explicandi rationes, vanus sit. hoc fortasse addere licet philosophiam, ut fuit secundum veterum quidem sententiam antiquissimis temporibus arta necessitudine cum mysteriis coniuncta, etiam a posterioribus saepe cum sacrorum initiis comparari, qua de re nonnulla testimonia a Lobeckio in Aglaoph. p. 124 sqq. congesta sunt.

Cetera fragmenta excepto

28 mortáles multi rursus ac prorsus meant

de quo certi nihil proferre possum, in humani corporis descriptione versantur:

25 anima út conclusa in vesica, quando est arte religata,
si pertuderis, aëra reddet.

hanc similitudinem alibi non inveni; proxime accedit corporis cum utre comparatio cf. Iambl. Stobaei ecl. phys. I c. 49 p. 384, 12 W (c. 41 p. 280, 19 M) εἰ δὲ παρέϲπαρται μὲν καὶ ἔνεϲτιν ἡ ψυχὴ τῷ

1) De corporis et urbis similitudine cf. quae dixi p. 277 sq.

cώματι καθάπερ ἐν ἀcκῷ πνεῦμα περιερχομένη κτλ. alios locos composuit Wachsmuthius sill.[2] p. 144 sq. (add. Anaxarchi nobile dictum apud Laert. D. IX 59 al. et Philo de posterit. Caini § 41, I p. 252). alia similitudine Varro utitur in fr. 547 (ex sat. 'Tithonus' περὶ γήρωc): 'sic invitata[1]) matura anima corporeum corticem facile reliquit': sic Plutarchus 'n. posse suav.' 28 p. 1106 A Epicureos dicit μὴ δυναμένουc μηδ' ἀποῤῥῖψαι τὰ εἴδωλα πάντα καὶ τοὺc φλοιούc, ἐν οἷc ὀδυρόμενοι καὶ καινοπαθοῦντεc διατελοῦcιν. similiter Lucilius 556 L XXVI 28 M 449 B et Arnob.[2]) adv. g. II 76 'folliculum' corpus vocant; eodem pertinet Placidi glossa p. 49, 14 D 'gallicola, cortice nucis iuglandis viridis, per quem corpus humanum intellegi vult' (sc. Lucilius: 1200 L inc. LXXX M 940 B; cf. Loewius, prodr. p. 299 Ribbeckius in 'Arch. f. lat. Lex.' II p. 121). sic etiam videtur loqui Antoninus IX 3 (p. 115, 6 St) ἐκδέχεcθαι τὴν ὥραν, ἐν ᾗ τὸ ψυχάριόν cου τοῦ ἐλύτρου τούτου ἐκπεcεῖται, nam ἔλυτρον folliculus solet esse in quo semina inclusa sunt, quamquam etiam de alius generis involucris interdum ponitur (cf. Gatakeri adn. p. 266 edit. a. 1697). ceterum hac ipsa ratione illud 'matura'[3]) mutare vetamur; similiter Cicero de sen. 2, 5 'necesse fuit esse aliquid extremum et, tamquam in arborum bacis terraeque fructibus, maturitate tempestiva quasi vietum et caducum, quod ferundum est molliter sapienti', 19, 71 'quasi poma ex arboribus, cruda si sunt, vix evelluntur, si matura et cocta, decidunt, sic vitam adulescentibus vis aufert, senibus maturitas'. Antonin. IV 48 (p. 45, 12 St) τὸ ἀκαριαῖον οὖν τούτου τοῦ χρόνου κατὰ φύcιν διελθεῖν καὶ ἵλεων καταλῦcαι, ὡc ἂν εἰ ἐλαία πέπειροc γενομένη ἔπιπτεν, εὐφημοῦcα τὴν ἐνεγκοῦcαν καὶ χάριν εἰδυῖα τῷ φύcαντι δένδρῳ. simile quiddam puto inesse in his Philodemi frustulis (περὶ θανάτου col. IX 8 sqq. M = fr. 2, 8 sqq. S)[4]) τὸ βιαίουc γίνεcθαι τοὺc ἀποcπαcμοὺc τῆc ψυχῆc ἀπὸ τοῦ cώματοc καὶ διὰ τοῦτο τὴν μεγίcτην ἑτεροίωcιν ἐπακολουθεῖν αὐτῷ | .... (φυc)ικ(ό)ν ε..νουτ..ρετ ἀνάγκηc | ...... δεκ...νω....ετου.c[5]) καρ | ποὺc τῶν δένδρω (ν... ἀ)λλ' ἀ(να)γκα|(ίωc)[6]) ἀπαλλοτρι(οῦcθαι). cf. etiam versus CIL VI 7574 'quo modo mala in arbore pendunt sic corpora nostra | aut matura cadunt aut cito acerva cadunt', quibuscum Buecheler in mus. Rh. 36, 329 sq. contulit alterc. Hadr. et Epict. in Fabric. bibl. Gr.[1] XIII p. 561 'quid homo?' — 'pomo similis. poma ut in arboribus pendent, sic sunt et corpora nostra' e. q. s.

1) Corr. Turnebus; 'invitatam' (seq. 'm') codd.
2) Contulit etiam Oehler ad fr. laudatum.
3) 'a natura' Mercerius Oehler Buecheler.
4) Apposui Mekleri supplementa; ceterum cf. quae monui p. 283 adn. 1.
5) Lacunam inter υ et c litteras et Scottius et Mekler indicant; sed καρπούc voc. certum est.
6) (ίωc) suppl. Buecheler.

denique quid sibi velit 'invitata' vocabulum, difficile est dictu, quia quae praecesserint nescimus.

Redeo ad illam saturam, a qua huc digressus sum; cuius quae restant fragmenta satis dilucida sunt. fr.

32 'in reliquo corpore ab hoc fonte diffusast anima, hinc animus ad intellegentiam tributus';

unum dicit fontem animae i. e. τοῦ ἀλόγου τῆς ψυχῆς μέρους et animi i. e. τοῦ λογικοῦ τῆς ψυχῆς μέρους, sc. pectus sive cor; erat haec Stoicorum doctrina quam omnino in hac quidem quaestione Varroni probatam esse constat (cf. Zeller l. c. III³ 1 p. 673 et Lact. de opif. dei c. 17); de anima animoque discretis cf. Varro apud August. de civ. dei VII 23 Cic. Tusc. I 9, 19 26, 65 Lucr. III 136 sqq. Vsener ad Epic. fr. 311 Iuv. 15, 149 Serv. ad Aen. X 487 Macrob. in somn. Scip. I 14, 3.

35 'sed quod haec loca aliquid genunt' suppleo 'genitalia vocantur'.

In simili quaestione versabatur satura cui inscribitur

Mutuum muli scabunt

περὶ χωριςμοῦ

proverbio 'm. m. s.' officia invicem danda accipiendaque significari constat (cf. lexx.); ad sententiam simile est quod in Varrone legitur de l. l. VI 79 'si datum quod reddatur, mutuum, quod Siculi moeton; itaque scribit Sophron μοῖτον ἀντὶ μοίτου'; nec non conferri potest quod ex Sophronis verbis his τίς τὸν ξύοντα ἀντιξύει (Phot.-Suid. s. v. ξυήλην) proverbium effecit Iahnius in proll. ad Pers. p. XCVIII ἀντιξύεσθαι τὸν ξύοντα.[1]) quo proverbio quemadmodum Varro usus sit, apparet ex fr.

1) Omnino officii dandi reddendique lex apud Graecos Romanosque magnopere vigebat. Varro sat. fr. 498 de mercatu forensi: 'δὸς καὶ λαβέ fervit omnino': cf. Epicharm. apud [Plat.] Axioch. 366 C ἁ δὲ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει· δός τι καὶ λάβοις τί κα (cf. Lorenzius p. 274, Ritschelius opusc. I 720 adn. 1), quod de avaris dictum esse dicit Apostol. I 36a ('ὅταν πρὸς ἄπιστον συναλλάσσωμεν': Diogenian. II 77a); cf. Nicephori chria de Sophoclis versu hoc (Aiac. 522) χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτους' ἀεί in rhett. gr. I p. 445 W πῶς δ' ἂν καὶ Πρόδικον τὸν σοφιστὴν παραλείποιμεν ἀξίως τῆς αὐτοῦ σοφίας ἀποφθεγγόμενον 'δός τι καὶ λαβέ τι' καὶ τὸ τῆς ἀντιχάριτος καλὸν αὐτόθεν ἐπὶ τοῦ συντρόφου σώματος παριστῶντα βεβαιότερον 'ἁ δὲ χεὶρ τὴν χεῖρα νίζει' καὶ ἡ εὐώνυμος τῇ δεξιᾷ τῶν ἔργων ξυναίρεται. Anth. Pal. V 208 ἢ μὴ δούς τι λαβεῖν ἐθέλει; | ἁ χεὶρ γὰρ τὰν χεῖρα. sic Petronii homo plebeius (c. 45): "munus tamen" inquit "tibi dedi", et ego tibi plodo. computa, et tibi plus do quam accepi. manus manum lavat' (cf. Sen. apoc. 9). διδόναι et λαμβάνειν, 'dare et accipere' saepe coniunguntur, velut apud Philem. fr. 205 (II p. 532) K κρίσει δι-

323 'ut grallatores qui gradiuntur, perticae sunt ligna φύcει ἀκίνητα, sed ab homine eo qui in is stat agitantur, sic illi animi nostri sunt grallae, crura ac pedes nostri, φύcει ἀκίνητοι, sed ab animo moventur'[1])

quam similitudinem alibi non inveni; Popma contulit Tertull. de an. 6 'anima movet corpus ... ab illo est impingi pedes in incessum et manus in contactum et oculos in conspectum et linguam in effatum, velut sigillario motu superficiem intus agitante'. de mutuis corporis animaeque officiis cf. Lucr. III 329—349, maxime 344 sqq.

'ex ineunte aevo sic corporis atque animai
mutua vitalis discunt contagia motus,
discidium ut nequeat fieri sine peste maloque.'

cf. 548—579. 779 ('fungi mutua').

Cum hoc argumento facile coniungitur fr.

324 'itaque si plures dies inter medici discessum et adventum pollictoris interfuerunt, et id aestate, videas —'

sic in eadem quaestione Lucr. l. c. 337 sqq. 578 sqq.

Iam quaeritur, cum hac disputatione quemadmodum coniungenda sit altera inscriptio. Popma sic interpretatus est, corporis animique actiones quamquam sint certa ratione discretae tamen inter se nexas manere; quem sequi videtur Ribbeckius, hist. poes. Rom. I p. 252 sq. forsitan haec interpretatio recte se habeat; tamen cum alter titulus tantum non semper vocabulo ex philosophorum rhetorumve

καίᾳ καὶ δίδου καὶ λάμβανε. fr. com. nov. adesp. apud Stob. flor. LVII 7 (fr. 108, III p. 424 K) cκάπτω γὰρ αὐτὸc ἐπιμελῶc cπείρω τ' ἀεί, | καὶ πάντα ποιῶ πρὸc τὸ δούc τι καὶ λαβεῖν· | ὁ δὲ (sc. ἀγρὸc) λαμβάνει μέν, ἀποδίδωcι δ' οὐδὲ ἕν. schol. Pind. Pyth. 2, 125 οἱ Φοίνικεc παλιγκάπηλοι .... καὶ ὁ κωμικὸc (adesp. fr. 397, III p. 483 K) 'εὐθὺc δὲ Φοῖνιξ γίνομαι· | τῇ μὲν δίδωμι χειρί, τῇ δὲ λαμβάνω' (quorum versuum si memor fuisset vir doctus quidam, non mehercule ingentes in simpulo nuperrime [in mus. Rh. 45, 474 sqq.] excitati essent fluctus) et sic de mercatu maxime Epictetus diss. III 3, 11 sqq. — Antonin. X 14 (p. 134, 16 St) τῇ πάντα διδούcῃ καὶ ἀπολαμβανούcῃ φύcει ὁ πεπαιδευμένοc καὶ αἰδήμων λέγει 'δόc, ὃ θέλειc, ἀπόλαβε, ὃ θέλειc'. sic δίκην, λόγον, πίcτιν διδόναι καὶ λαμβάνειν, Harpocr. s. v. cύμβολα· αἱ cυνθῆκαι, ἃc ἂν αἱ πόλειc ἀλλήλαιc θέμεναι τάττωcι τοῖc πολίταιc ὥcτε διδόναι καὶ λαμβάνειν τὰ δίκαια. apud Romanos saepissime 'dare et accipere' coniunguntur cf. Plaut. Curc. 480 Poen. 706 Pers. V 1, 10 Trin. prol. 10 sq., fab. 488 Donat. ad Ter. Phorm. I 2, 6 'proverbiale est: "quod dedit, recepit". Publil. Syr. 172 M 'fraus est accipere, quod non possis reddere', cf. Cic. de off. I 7, 22 17, 56 II 4, 5 Mart. II 56, 4 X 16, 8; saepe 'fidem dare et accipere', 'beneficium dare, accipere' Vitruv. VI praef. 5; hinc 'par pro pari referre' et similia (cf. Lindenbrogius ad Ter. Eun. 445), hinc illud 'redde quod debes' (Petr. 57 Sen. de ben. III 14, 3 VII 21, 2 ep. 18, 14 Mart. IX 92, 7 ev. Matth. 18, 28 ἀπόδοc εἴ τι ὀφείλειc, cf. Cic. par. Stoic. 5, 41 'nihil quisquam debet nisi quod est turpe non reddere').

1) De re critica v. editores.

scholis desumpto efficiatur, equidem cum Riesio sollemnem χωρισμός et χωρίζεσθαι vocabulorum significationem agnoscere malo quam apud philosophos obtinebant, dico corporis animaeque seductionem eam quae fit morte; sic iam Plato in Phaed. 67 C et D cf. 64 C, Rep. X 609 D[1]) Aristoteles in dial. περὶ φιλοσοφίας fr. 10 R[2]); maxime vero Stoicorum philosophiae haec vox accomodata erat: Zeno apud Epiphan. adv. haer. p. 592, 26 D Chrysipp. apud Plut. de Stoic. rep. 39 p. 1052 C et apud Nemes. de nat. hom. p. 34 (Zeller l. c. 194, 1), de Stoicis universis Arius Did. p. 474, 21 D; ex diversis castris Philodemus περὶ θανάτου col. XVI 27 M, cum soleant Epicurei dicere διάλυσιν secuti Democritum (fr. 119 Mull = Stob. flor. CXX 20). vulgo hac voce usi sunt posteriores, velut Philo leg. alleg. l. I § 33, I p. 65 de Abrah. § 44, II p. 37 Epict. diss. III 22, 33 Iuncus περὶ γήρως apud Stob. flor. CVI 49 (IV 84, 21 M).[3])

Quocirca eandem significationem saturae nostrae inscriptioni alteri inesse censeo; quamquam si quis mea ceterorumque[4]) sententiis coniunctis utramque notionem statuere volet Varronis morem considerans quem supra tetigi (cf. praesertim 'Bimarcus περὶ τρόπων'), equidem non refragabor.

Disputationes illae de corporis animaeque naturae quod tantum obtinebant in saturis locum, non mirabitur qui quid de philosophia Varro censuerit adhibita Augustini enarratione (de civ. dei XIX 1—3) secum reputarit. Varro enim, ut ait Augustinus c. 3 init., 'primum quia summum bonum in philosophia non arboris, non pecoris, non dei, sed hominis quaeritur, quid sit ipse homo quaerendum putat. sentit quippe in eius natura duo esse quaedam, corpus et animam, et horum quidem duorum melius esse animam longeque praestabilius omnino non dubitat, sed utrum anima sola sit homo . . . an corpus solum sit homo aliquo modo se habens ad animam . . . an vero nec anima sola nec solum corpus, sed simul utrumque sit homo . . . . horum autem trium hoc elegit tertium . . . . proinde summum bonum hominis . . . ex utriusque rei bonis constare dicit' e. q. s. quae Antiochi Ascalonitae fuit sententia (cf. Zeller l. c. p. 605 sq.), cuius philosophiam Varroni omnino probatam esse constat. de corporis

1) Cf. Hippol. ref. haer. VI 26 Πλάτων ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος· τί ἐστι φιλοσοφία; ἔφη· χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος (!).

2) Vtitur ut in dialogo hoc vocabulo usum aut volgarem aut Platonis secutus; aliter 'de animal. gener.' β 3 737a 7. cf. Clearchus περὶ ὕπνου apud Procl. comm. in Plat. reip. l. X p. 64 Sch τοιγαροῦν ἐκ τούτου πιστεῦσαι τούς τε ἄλλους τῆς τοιαύτης ἱστορίας θεατὰς καὶ τὸν Ἀριστοτέλη χωριστὴν εἶναι τοῦ σώματος τὴν ψυχήν.

3) Ex Romanorum interpretamentis qualia sunt 'discessus, discidium, discretio, disiunctio, dissociatio, distractio, seductio, segregratio' non multum concludas.

4) Cf. etiam Buecheler in mus. Rh. 20, 443.

et animi ratione Cicero, item Antiochi discipulus, fuse disputavit in l. IV de republica (cf. de legg. I 9, 27 Lact. de opif. dei c. 1).

Supra (p. 291) dixi altera inscriptione plerumque indicari quaestionem in philosophorum scholis sollemnem: quod nunc ita persequar, ut omissis et eis quae primum intuenti expedita sunt — dico e. g. saturam cui inscribitur 'Caprinum proelium' περὶ ἡδονῆϲ — et eis de quibus propter fragmentorum paucitatem nihil proferre licet nisi vanas coniecturas — cuius generis est satura 'Aborigines' περὶ ἀνθρώπων φύϲεωϲ — eligam paulo reconditiora et de quibus si non certa at probabilia dicere posse mihi videar.

Ἀλλ' οὐ μένει σε
περὶ φιλαργυρίαϲ

prior inscriptio a Buchelero primo ex apertissimis codicum vestigiis reposita est[1]); proverbium nusquam alibi traditum ad explicandum difficillimum est; puto sententiam esse interrogativam, qua avarus aurum semper colligens tamquam alteram vitam victurus interrogetur, nonne diem supremum sibi imminere cogitet; sic μένειν verbum usurpatur e. g. ab Aeschylo in Cho. 103 sq. τὸ μόρϲιμον γὰρ τόν τ' ἐλεύθερον μένει | καὶ τὸν πρὸϲ ἄλληϲ δεϲποτούμενον χερόϲ. avarus igitur nihil cuiquam proprium dari sed morte ex improviso obrepente heredem vivaciorem exstructis in altum divitiis potiri admonetur, quae erat sollemnis in hac re ratio, cf. Heinzius 'de Horatio Bionis imitatore' diss. Bonn. 1889 p. 27 sq. Lucian. Tim. 15 Dio Chrys. or. 30 p. 559 R.

Fragmenta servata sunt haec:

21 quém secuntur cum rutundis velites leves parmis,
antesignani quadratis multisignibus tecti

22 'etenim quibus seges praebeat domum, escam, potionem, quid desideremus?'

23 'quaero, te utrum hoc[2]) adduxerit caeli temperatura an terrae bonitas'

---

1) Fuisse cum scribendum esse ἀλλ' οὐ μένει ϲοι putaret Buecheler dicit in mus. Rh. 20, 404: quod probare videtur Ribbeckius 'hist. poes. Rom.' I p. 248, cf. tamen p. 257.

2) Sic codices. 'quaero ex te' Iunius, Popma; 'quaero a te' Roeper, Buecheler; 'quaero te' interpunctionis signo post 'te' posito vitiose Oehler Riesius; 'te' post 'utrum' transponit, 'huc' pro 'hoc' scribit Quicheratius; ante 'te' interpunxit L Mueller, cuius in hac quidem re rationem probo, nisi quod unum hoc mihi dubium est, 'hoc' (pro 'huc') possitne ferri an cum Quicheratio scribendum sit 'huc'. — Apud **Plautum** 'huc' trecenties sexagies quater legi, 'hoc' in omnibus codicibus sexies tantum extat: Cas. 817 (cf. enim 164) Capt. 480 Merc. 871 (cf.

24 'nos barbari, quod innocentes in gabalum suffigimus homines;
vos non barbari, quod noxios obicitis bestiis?'[1])

---

enim Trin. 1068 Truc. 116 119) Poen. 1359 Rud. 1403 Truc. 304 531 (v. spur.); discrepant codices his locis: Bacch. 1151, ubi 'huc' omnes codd. sed 'hoc' B e corr. m. pr. Pers. 602, ubi 'hoc' A 'huc' cett. (Pseud. 654 solus C 'hoc') Truc. 282 (v. spur.) 'huc' A 'hoc' cett.; in A saepius de lectione dubitat Studemundus, velut Cas. 106 539: hos locos non plene excussi; omisi locos, ubi legitur 'hoc animum advorte' (advortas etc.): eorum enim probo rationem qui in his accusativum esse 'hoc', non dativum censent, nam in Epid. 215 legitur 'íd adeo qui maxume animum advorterim', in Merc. 334 'ne hic íllam me animum adiecisse aliqua sentiat', in Pseud. 143 'núnc adeo hanc edictionem nisi animum advortetis omnes' cf. Ter. Phorm. 466 SC de Tiburtibus (CIL. I 201 p. 556) 'ea senatus animum advortit': in his accusativum non puto esse illum quem graecum dicunt sed pendere a praepositione more casco postposita, quem usum apud Plautum multo latius patere quam vulgo credatur Buecheler docere solet; hinc etiam iudicandum de v. Merc. 321 'ne sís me obiurga: hoc non voluntas me impulit', ubi 'hoc' interpretati sunt 'huc' Gulielmius et Acidalius, 'huc' scripsit Bothius. semel tantum in Plauto legitur 'huc animum advortite' (nam in Curc. 701 'huc' a Goetzio insertum est ex CFWMuelleri coniectura), sed in Amphitruonis prologi v. 38. denique errat Bothius, qui in Pseudoli v. 602 'hoc praévortar principio: illa omnia míssa habeo quae ante agere occepi' pro 'hoc' scribit 'huc', cum accusativum esse 'hoc' appareat. — illoc semel legitur: Truc. 647; in Stich. 250 A exhibet 'illuc', ceteri 'illo': metro sufficit utrumque; contra in Merc. 567 'illuc' codd. omnes, quod cum ferri nequeat metri causa, 'illo' cum Ritschelio Goetzius scribit; in eiusdem fabulae v. 570 'illuc' B 'illo' ceteri, quo metrum pessum datur; an fuit 'illoc'? — istoc legitur Most. V 1, 49 Pseud. 265 Truc. 740 752; in Trin. 551 'istuc' A 'istoc' cett., in Pers. IV 3, 35 'istoc' A 'isto' cett.: neutrum contra versum. — Apud **Terentium** octogies sexies legitur 'huc', quinquies 'hoc': Andr. 386 Eun. 501 Phorm. 152 Hec. 348 Ad. 92; 'illuc' novies, illoc semel Eun. 572; 'istuc' quater, 'istoc' semel Ad. 169 in parte codicum, sed Bembinus cum aliis nonnullis 'istuc'. Haec post Nevium ('lat. Formenl.' II p. 633 sq. ed. 2: tertiam inspicere non potui) retractavi, qui parum accurate exempla et congessit et digessit. de scriptoribus qui fuerunt post Terentium adeas sis praeter Nevium CFWMuellerum in ann. nov. 1866, 497 sqq.: unde post Terentium formas in -oc exeuntes (nam de 'illo' 'isto' formis non agitur) fere evanuisse cognoscitur, nisi quod 'hoc' usi sunt ter Plancus in ep. Cic. ad fam. X 21, 5 6; 23, 6, semel D. Brutus ib. XI 10, 3; 'istoc' ter Caelius ib. VIII 4, 1 8, 10 9, 4. Verri Flacci aetate, qui in epistulis hac de re egit (Serv. ad Aen. VIII 423), formae illae intermortuae erant, sed resuscitatae a Vergilio antiquitatis amantissimo (ge. II 187 Aen. VIII 423) saepe adhibitae sunt ab utroque Seneca, semel ab imperatore Claudio. in sermone volgari numquam eas interisse et inscriptiones docent et Trimalchio Petronii c. 39 (p. 26, 22 B ed. min.) eiusque collibertus c. 48 (p. 38, 19 ubi 'accede istoc' citationem militarem esse Buecheler coniecit, quod comprobat Caecilius Balbus 'de nugis philosophorum' XL 3 W 'numquam se [Caesarem] militibus iussisse ''ite illuc'' sed ''venite huc''; participatus enim cum duce labor persuadetur militibus minor'). ceterum 'hoc' pro 'huc' si putabimus verum esse, minime offendemus in verborum collocatione hac: 'te utrum hoc adduxerit'; poterat enim 'te' initio poni per ἔμφασιν, quod cui minus placebit, agnoscet proprium quendam Varronianae elocutionis usum, ut singula

Primum fr. ad militiam, quae sequuntur duo ad agriculturam pertinere apparet: de caeli temperatura cf. Cato de r. r. 1, 2 Varr. ap. Serv. Dan. ad Aen. X 145 Ovid. fast. I 688 Hor. epist. I 7, 77 sq.; in ultimo fr. crudelem quendam praedii dominum et hominem urbicum nescio quem adversus servos saevientem utrumque Buecheler agnovit (l. c. p. 404 sq.); verum in his tenebris certi nihil dispicio.

Militiae exemplo in his quaestionibus περὶ φιλαργυρίας saepe usi sunt philosophi; sic Chrysippus apud Plut. de Stoic. rep. 33 p. 1049 E οὐδεὶς γὰρ φύεται ἀνθρώποις πόλεμος ἄνευ κακίας, ἀλλὰ τὸν μὲν φιληδονία, τὸν δὲ πλεονεξία, τὸν δὲ φιλοδοξία τις ἢ φιλαρχία συῤῥήγνυσιν. Philo de decalogo § 28 II p. 205 (Stoicos secutus) οἱ γὰρ Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων πρός τε ἑαυτοὺς καὶ πρὸς ἀλλήλους τραγῳδηθέντες πόλεμοι πάντες ἀπὸ μιᾶς πηγῆς ἐῤῥύησαν ἐπιθυμίας ἢ χρημάτων ἢ δόξης ἢ ἡδονῆς. cf. Sen. ep. 4, 10 sq.

Agriculturam duobus modis argumento accommodare possis; primum enim ab Heinzio (l. c. p. 17 adn. 2) scite observatum est Horatium, qui in sat. I 1, 28 sqq. avaritiam castigaturus agricolarum militum nautarum vitas afferat[2]), adiisse auctores graecos, apud quos haec exempla sollemnia fuerint, velut in gnomol. Byz. ap. Wachsmuthium in 'Stud. z. d. griech. Floril.' p. 200 n. 207 διὰ φιλαργυρίαν μετὰ πόνων γεωργεῖς, πλεῖς μετὰ κινδύνων τὴν θάλασσαν, στρατεύῃ καθ' ὥραν φονεύειν ἢ φονεύεσθαι προσδοκῶν.[3])

---

vocabula quo arctioribus sententiarum vinculis coniuncta sint cum verbo, eo magis etiam collocatione verbo adnectantur: id quod maxime cadit in adverbia coniunctiones pronomina relativa. sic etiam antiquae leges et qui ab his pendent prisci prosae orationis scriptores, inter quos eminet Cato, loquuntur: Varro, ut erat antiquitatis amans, consuetudinem illam adoptavit, licet saepe volgarem qui tum obtinebat morem secutus ab ea desciverit. id dicendi genus, quod alio loco plenius fortasse excutiam, eam ob causam dignum est quod accurate observetur, quia hac adhibita ratione haud raro Varronem deprehendas apud scriptores posteriores, qui eum saepe exscribunt, raro nominant. — Sequitur igitur, valde ut sit dubium, num Varro 'hoc' formam adhibere potuerit.

1) 'obicitis bestiis' Buecheler 'obuestis' codd.

2) Causidicos Heinzius addit ex eiusdem saturae v. 9 sqq. cl. Luc. Icarom. 12 Char. 15; nempe hi mores Romanos redolent.

3) Hunc locum Vsener indicavit. quorum exemplorum ratio rectius ut cognoscatur, moneo his effici solita veterum ἐπιτηδεύματα quae saepissime coniuncta leguntur. addo eis quae Heinzius composuit haec: Plat. rep. I 329 E sq. III 397 E VII 527 D Dio Chrys. or. 80 p. 436 R (vol. II) οὔτε γεωργὸς οὔτε ναύκληρος οὔτε στρατιώτης οὔτε στρατηγὸς περίεισιν. Max. Tyr. diss. 4 c. 3 πλεῖν, στρατηγεῖν, γεωργεῖν. 36 c. 5 p. 190 R de Diogene οὐχ ὑπὸ γεωργίας κατεχόμενος, οὐχ ὑπὸ στρατείας ἐνοχλούμενος, οὐχ ὑπὸ ἐμπορίας περιφερόμενος. ib. c. 6 p. 193 ἐροῦ τὸν στρατευόμενον, πλεονεξίας ἐρᾷ· τὸν γεωργοῦντα, καρπῶν ἐρᾷ, τὸν χρηματιζόμενον, εὐπορίας ἐρᾷ. Clem. Al. protr. c. 10 § 100 p. 80 P γεώργει, φαμέν, εἰ γεωργὸς εἶ, ἀλλὰ γνῶθι τὸν θεὸν γεωργῶν, καὶ πλεῖ ὁ τῆς ναυτιλίας ἐρῶν, ἀλλὰ τὸν οὐράνιον κυβερνήτην παρακαλῶν· στρατευόμενόν σε κατείληφεν ἡ γνῶσις; τοῦ δίκαια σημαίνοντος ἄκουε στρατηγῶν (cf. etiam

mihi tamen multo magis placet altera ratio: a Varrone, ut ab homine romano et agri colendi studiosissimo, agricolae vitam parcam paucisque contentam oppositam esse puto insatiabili acquirendi studio: quae quam sit apta interpretatio ex Catonis et Columellae librorum de re rustica praefationibus, ex Verg. georg. II 493 sqq., ex Horati epod. 2 cognoscas. sic vita rustica a Varrone in 'Serrano περὶ ἀρχαιρεσιῶν' satura praedicatur.

Cynicam personam quia Varro tum maxime induit, cum corruptos Romanorum mores castigat, in saturis explicandis id semper tenendum est, ut quoad fieri possit vitia Cynicorum more vituperata ex Varroniani aevi corruptela repetantur. cuius rei insignia praebent exempla

---

Ps.-Plut. περὶ ἀσκήσεως p. 184 in mus. Rh. 27, 532). — Lucretius IV 963 sqq. componit causidicos (de quibus v. p. 295 adn. 2) induperatores nautas; agricolae mercatoris militis vitas additis aliis coniungunt Vergilius georg. II 493 sqq. et Horat. carm. I 1, 11 sqq. 35, 5 sqq. epist. I 6, 70 sq. Iuv. 7, 32 sq.: 'sed defluit aetas | et pelagi patiens et cassidis atque ligonis' 14, 191 sqq. (ubi pater filio suadet ut aut causas agat aut centurionatum petat aut mercaturam faciat). Sen. de prov. 4, 13 'nautica corpora, agricolae, militares lacerti.' Colum. praef. l. I 'cetera (sc. praeter agri culturam) diversa et quasi repugnantia dissident a iustitia, nisi aequius existimamus cepisse praedam ex militia ... an bellum perosis maris et negotiationis alea sit optabilior? .. . an faeneratio probalilior sit? .... sed ne caninum quidem, sicut dixere veteres, studium praestantius (causidicos dicit).' Quintil. inst. V 10, 27 'studia quoque (diffluunt); nam rusticus, forensis, negotiator, miles, navigator, medicus aliud atque aliud efficiunt.' — Axiochi scriptor enarrans τὰς χειρωνακτικὰς καὶ βαναύσους τέχνας coniungit navigationem agriculturam rei publicae administrationem (368 B sqq.); agriculturam et navigationem Solo eleg. 13, 43 sqq. Soph. Ant. 332 sqq. Xenoph. Mem. III 3, 9, Philo de agricult. § 5, I p. 303 sq. addens καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὅσα εἰρήνης καὶ πολέμου ἔργα quae omnia ab hominibus voluptatis percipiendae causa excolantur; id. de congr. quaer. erud. grat. § 13, I p. 528 ἐτέρωσε τὸν νοῦν ἀποστείλαντες, οἱ μὲν πλοῦ καὶ ἐμπορίας, οἱ δὲ προσόδων καὶ γεωργίας, οἱ δὲ τιμῶν καὶ πολιτείας. de Cherubim § 10, I p. 145 ἐμπορικὸν ἢ γεωργικὸν ἤ τιν' ἄλλον τῶν πρακτικῶν ἐπιτηδεύσας βίων. cf. etiam Philem. fr. 116 (II p. 514) K [Plut.] de pueris educ. 7 p. 4 B [Cratet.] ep. 7 πλεῖτε καὶ γεωργεῖτε. — Agricultura et militia saepissime componuntur, ut in Theon. progymn. c. 10, II 116, 3 Sp Stob. flor. l. XL—XLVI cf. Plat. Lach. 198 E Phileb. 56 B. — Agricultura et navigatio sive mercatura in Nicolai progymn. c. 9, I p. 272 W et c. 10 (σύγκρισις ναυτιλίας καὶ γεωργίας) Max. Tyr. diss. 29 et 30; Cato de r. r. praef. Colum. praef. l. XII. — Mercatoris vitam marinam militisque castrensem coniungit Petron. c. 83 in fin., militiam et navigationem iuxta ponunt Polyb. III 10, 4 Lucr. V 1442 sq. German. Arat. 112 sqq. Horat. carm. I 28, 17 sq. II 13, 14—19; 16, 1—6 etc. — Hinc puto apparet componi haec negotia ut ea quae ad quaestum faciendum hominibus antiquis maxime idonea visa sint; unde cur a saturarum scriptoribus in avaris castigandis toties adhibeantur elucet.

Cycnus
περὶ ταφῆς

et

Epitaphiones
περὶ τάφων

saturae. illa enim aetate funerum sepulcrorumque magnificentiae viros antiqui temporis memores quovis modo obsistere conatos esse Ciceronis exemplo (de legg. II 23, 59 sqq. 25, 62 sqq. cf. 26, 66) constat: quae hominum stultitia ut castigaretur, aptiorem efficacioremque rationem quam Cynicorum inveniri potuisse nullam apparet.[1]) Cycni fragmenta

79 tua témpla ad alta fani properans citus itere

80 'denique si vestimenta ei opus sunt quae fers, cur conscindis? si non opus sunt, cur fers?'

ideo memorabilia sunt, quia ut in Eumenidibus satura, de qua postea disputabo, sic in hac quoque satura magnae matris sacerdotes aliosque peregrinarum religionum cultores inductos esse videmus; illos enim significari in fr. 79 etiam metro docemur, cf. etiam quae de Gallorum funeribus a ceterorum hominum consuetudine alienis narrat [Lucian.] de dea Syria 52 sqq.; fr. 80 ad exterarum nationum morem pertinere monuit Buecheler l. c. p. 408 (cf. Ovid. met. V 398 her. 12, 153 Stat. Theb. III 125 sq. IX 354 Iuv. 10, 262 13, 132 Lucian. de luctu 12).

Epitaphionum fr.

110 'pleni libri, inquam, ubi maneant epitaphia eorum, quorum in sepulcris nec vola nec vestigium extat'

optime illustratur fragmento

519 'in charteo stadio ἐπιτάφιον ἀγῶνα quo quis certasset animo, bellus homo magis delectatus Stoicorum pancratio quam athletarum ⟨scitu dignius existimavit quam qui facti essent in funere ludi gymnici: suppl. B⟩.

sumptum est hoc fr. ex satura cui inscribitur

---

1) Cf. Hensius 'Teletis reliquiae' proll. p. LXXXVII sqq. Diogenis dictum in gnom. Vat. n. 200 St, Luciani Menippus in dial. mort. 10, 13 et in necyom. 17, Lucian. vit. Demonact. 66, dial. mort. 10, 6, 'de luctu' passim, maxime Nigrin. 30. eadem fere Stoicorum (cf. Sen. ep. 92, 34 sq. al.) et Epicureorum (cf. Vsener ad fr. 578, Philodem. περὶ θανάτου col. XXX 7 sqq. M) erat sententia. omnino nobilem hanc fuisse quaestionem inde a Platonis (cf. legg. XII p. 959) temporibus ex Stob. floril. l. CXXIII (περὶ ταφῆς) concluditur.

Ταφὴ Μενίππου

cuius cum inciderit mentio, interponam quaedam de argumento et fragmenti 519 et totius saturae postea rediturus ad superiora.

Homo ille 'bellus' quin ipse sit Menippus nemo dubitabit qui haec leget fragmenta[1])

516 Menippus ille nobilis quondam canis
hinc linquit homines omnes in terra pila[2])

517 'Diogenem litteras scisse, domusioni quod satis esset, hunc quod etiam acroasi bellorum hominum'.

De athletarum contemptu et Stoicorum pancratio quid iudicandum sit, paulo accuratius nunc exponam, cum hanc quaestionem cognitu dignam plene nondum tractatam esse videam.

Omnino hoc per se patet ne potuisse quidem philosophos multum tribuere ei exercitationis generi, quo animus prae corpore plane neglegeretur; hinc Socrates (Xen. mem. I 2, 4) τοῦ cώματοc αὐτόc τε οὐκ ἠμέλει τούc τ' ἀμελοῦνταc οὐκ ἐπῄνει. τὸ μὲν οὖν ὑπερεcθίοντα ὑπερπονεῖν ἀπεδοκίμαζε, τὸ δὲ ὅcα ἡδέωc ἡ ψυχὴ δέχεται, ταῦτα ἱκανῶc ἐκπονεῖν ἐδοκίμαζε. ταύτην γὰρ τὴν ἕξιν ὑγιεινήν τε ἱκανῶc εἶναι καὶ τὴν τῆc ψυχῆc ἐπιμέλειαν οὐκ ἐμποδίζειν ἔφη. cf. Xen. conv. 2, 15 sqq. [Plat.] Clitoph. 407 C et E; Plato (rep. III 403 sqq. 410 B sqq.) φύλακαc suos gymnasiis quidem exerceri iussit sed ita, ut arte gymnica simul animi vitia hominibus innata exstinguerentur, virtutes corroborarentur (cf. etiam [Plat.] Clitoph. 407 E). Diogenes Cynicus (apud. Laert. D. VI 70) διττὴν ἔλεγεν εἶναι τὴν ἄcκηcιν, τὴν μὲν ψυχικήν, τὴν δὲ cωματικήν (sic etiam Isocr. Antidos. §§ 181 sqq.), quarum altera sine altera manca esset; idem (ib. § 30) ἐν τῇ παλαίcτρᾳ οὐκ ἐπέτρεπε τῷ παιδοτρίβῃ ἀθλητικῶc ἄγειν ἀλλ' αὐτὸ μόνον ἐρυθήματοc χάριν καὶ

1) Menippus φιλόκαλος dicitur in Luciani necyom. 2 (i. e. 'elegantiarum poeseosque studiosus' Welcker in proll. Theogn. p. CXIII adn. 141). sic saepe ὁ καλὸς Ξενοφῶν etc., καλὲ ἄνθρωπε mire Athenaeus IX 367 B, sed Romani saepe 'homo bellus'.

2) 'Pila' primus Buecheler interpretatus est in adn. et in ind. rer. memorabilium ex his saturis collectarum (s. v.). nimirum significatur Menippum ex suspendio mortuum esse (cf. Laert. D. VI 100): sic in aëre quasi αἰώρᾳ oscillabat ut pila quam οὐρανίαν Graeci dixerunt (cf. Pollux IX 106 Phot. s. v. οὐράνιον παιδιάν. de verbis 'hinc linquit' non prorsus constat: 'hinc' solus cod. Parisiensis n. 7667, quem optimum dicunt Quicheratius et Buecheler, neglegit L Mueller (cf. advers. Nonian. p. 285), et edit. pr., 'hic' codd. reliqui omnes; 'linquit' omnes praeter Leidensem qui 'liquid'. cf. CIL. VI 15346 (= anthol. ep. spec. I n. XX ed. Buecheler) v. 5 sq. 'horunc alterum | in terra linquit, alium sub terra locat.'

εὐεξίας.[1]) — In eos autem qui omnino animi nulla ratione habita solum corpus exercebant, philosophi acerrime invehebantur.[2]) de Solone cf. Diodor. fr. l. IX 5 ὅτι ὁ Σόλων ἡγεῖτο τοὺς μὲν πύκτας καὶ σταδιεῖς καὶ τοὺς ἄλλους ἀθλητὰς μηδὲν ἀξιόλογον συμβάλλεσθαι ταῖς πόλεσι πρὸς σωτηρίαν, τοὺς δὲ φρονήσει καὶ ἀρετῇ διαφέροντας μόνους δύνασθαι τὰς πατρίδας ἐν τοῖς κινδύνοις διαφυλάττειν: quamquam idem his artibus patrocinatur in Luciani Anacharside.[3]) Xenophanis versus contra pugiles et athletas (ap. Athen. X 413 F sq. = fr. 19 K 2 B) noti sunt.[4]) omnium autem maxime Cynici athletarum studia impugnabant. Diogenes in Dionis Chrysostomi orationibus octava et nona passim eorum ineptias irridet, cf. eiusdem dicta apud Laert. D. VI 33 43 49 et quae eius fertur epistula tricesima prima; in Luciani dial. mort. 10, in quo insunt Menippeae imitationis manifestissima vestigia (cf. § 12), athleta quidam obesus brutusque, priusquam Charontis scapham conscendat, carnis amplitudinem deponere iubetur (§ 5), et in Charonte dialogo sententiis cynicis refertissimo cui color inest vere Menippeus Milo Crotoniates irridetur (c. 8). v. etiam Aristonis (Stoici sine dubio cf. Hensius in mus. Rh. 45, 553) dictum apud Plut. de tuenda sanit. praec. 20 p. 133 D, scriptor libelli 'de liberis educandis' c. 11 p. 8 C sqq. de Oenomao Cynico infra videbimus.

In octava Dionis Chrysostomi oratione (Διογένης ἢ περὶ ἀρετῆς) Diogenes in vocabulis ἀθλητής et ἄθλιος ludit (p. 285 R): fortasse Cynici primi hoc verborum lusu usi sunt[5]), a quibus paronomasiae et amphiboliae τρόπους miro quodam studio excultos esse constat (cf. Wachsmuthii sill. [2] p. 71 sq.), quamquam Dio indagari non potest, quid ex auctoribus cynicis nedum ex ipsius Diogenis dia-

1) Ceterum in gymnasiis scholas habitas esse a philosophis notum est, ab Antisthene in Cynosarge, a Platone in Academia, ab Aristotele in Lycio (de Aristippo cf. Vitruv, VI praef. 1); sic in gymnasio quod fuit prope Theseum bybliothecam fuisse docemur CIA II 468 l. 25 et 471 l. 19. nec raro homines animi 'palaestra' excellentes πένταθλοι vocantur, ut Hyperides et Eratosthenes. in gymnasiis Herculem et Mercurium, ἀλκῆς et λόγου patronos, poni refert Athenaeus XIII 561 D.

2) Solus Pythagoras athletarum arti multum tribuit, cf. testimonia apud Zellerum l. c. I [4] p. 295, 3.

3) Ibi Anacharsis gymnasiorum studia illudit; cf. etiam Dion. Chrys. or. 32 p. 674 sq. R (et 690 sq.).

4) In eis quae sequuntur philosophorum tantum sententias attuli; hoc loco addo Tyrtaei fr. 12 (II [4] p. 17) B, Eurip. fr. 284 N (apud Athen. X 414 C sqq.), Isocr. paneg. §§ 1 sq. 43 sqq. (cf. Arist. art. rhet. III 14, 1414 b 33). athletarum studium defenditur a Philostrato περὶ γυμναστικῆς et a Ps.-Plutarcho περὶ ἀσκήσεως p. 178 183 185 (in mus. Rh. 27, 525 532 534). — Protagoram scripsisse περὶ πάλης Plat. Soph. 232 D et Laertius D. IX 55 referunt: quo libro contra athletas eum dixisse rectissime monet contra Gomperzium Ilbergius 'Berl. phil. Wochenschr.' 1890 p. 1170 sqq. — Philopoemen πᾶσαν ἄθλησιν ἐξέβαλλεν (Plut. Philop. c. 3).

5) Pancratiastam quendam Diogenes personatus in ep. 31 alloquitur: ὦ ἄθλιε.

tribis sumpserit; in Ps.-Galeni protreptico, ad quem postea revertar, idem orationis acumen notavit Hauptius opusculorum III p. 446: c. 11 p. 32 K σωματικῆς μὲν οὖν ὑγιείας ἕνεκα φανερὸν ὡς οὐδὲν ἄλλο γένος ἀθλιώτερόν ἐστι τῶν ἀθλητῶν, ὥστ' εἰκότως ἄν τις εἴποι εὐφυῶς ὀνομάζεσθαι, τῶν ἀθλητῶν προσαγορευθέντων ⟨ἀπὸ τοῦ ἀθλίου add. Hauptius⟩ ἢ ἀπὸ τοῦ ἀθλητοῦ τὴν προσηγορίαν τῶν ἀθλίων ἐσχηκότων ἢ κοινῶς ἀμφοτέρων καθάπερ ἀπὸ πηγῆς μιᾶς τῆς ἀθλιότητος ὠνομασμένων. adde Philon. de vit. contempl. § 5, II p. 477 οἱ ἀντὶ ἀθλητῶν ἄθλιοι. Epict. diss. III 22 (περὶ κυνισμοῦ), 57 ὁ μὲν Ἡρακλῆς.... οὐκ ἐνόμιζεν ἄθλιος εἶναι ...· οὗτος δ' ὑπὸ τοῦ Διὸς ἀθλούμενος καὶ γυμναζόμενος μέλλει κεκραγέναι... ἄξιος φορεῖν τὸ σκῆπτρον τοῦ Διογένους; Dion. or. 28 p. 534 de athleta quodam: τοιοῦτος μέντοι ὢν ἀθλίως ἐτελεύτησε τῶν μὲν πόνων τῆς ἀθλήσεως ἐπὶ πλεῖστον ἐλθών. Clem. Al. paed. II 1, 2 p. 163 P ἰσχὺς δικαία, οὐχὶ δὲ ἄδικος ἢ σφαλερὰ καὶ ἀθλία ὡς ἡ τῶν ἀθλητῶν.

Iam id mihi videtur cognitu dignissimum esse a Cynicis Stoicisque his athletis qui vulgo dicuntur oppositos esse quos ipsi sibi finxerunt veros athletas. quid quod etiamnunc quam ingressi sint interpretandi viam cognoscimus. Herculis athla apud Graecos Romanosque (de his cf. Buecheler ad Sen. apoc. 5 in symb. phil. Bonn. p. 48, 4 et Varronis sat. fr. 162) in proverbium venisse nemo nescit; hinc ἀθληταὶ appellati sunt, quibus Hercules patroni instar fuit (cf. e. g. Athen. XIII 561 D, Crusius in mus. Rh. 39, 596 sq.); idem autem cum esset magnus cynicae sectae patronus, Cynicorum erat vulgi ineptas de Hercule athleta opiniones removere[1]): errare dixerunt homines qui adversus beluas Herculem pugnasse putarent, beluas enim hominum esse vitia quae ut exstirparet Herculem per orbem terrarum migrasse, dissimillimum athletarum qui vulgo dicerentur, immo eorum quoque superbiae ultorem gravissimum (cf. Diogenes in Dion. Chrys. or. 9 p. 286): cuius interpretationis multa testimonia collegit EWeber 'de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore' p. 139 sq. 236—257 (cf. maxime p. 253 sqq.) eis tantum locis allatis qui ad ipsos Cynicos aliqua cum probabilitate referrentur, omissis Stoicis qui Cynicorum vestigiis pressis hoc interpretationis genus singulari studio excoluerunt.[2])

---

1) Antisthenis dialogum qui inscribitur Ἡρακλῆς ὁ μείζων ἢ περὶ φρονήσεως καὶ ἰσχύος in hac quaestione versari Crusius coniecit in mus. Rh. 44, 311, 4.

2) Volgarem opinionem is sequitur qui in Varronis '**Meleagris**' venatorii studii patronus exsistit: fr.

297 'quid hic venator non cepit?'
298 'quem idcirco terra non cepit et caelum recepit'
299 'adde hydram Lernaeam et draconem Hesperium: quot bestiae fuerunt immanes ⟨quas ille superavit⟩.'

fr. 297 sq. falso de Orione interpretantur Riesius et LMueller, recte

Veri igitur athletae qui essent, Cynici eosque secuti Stoici magno Herculis patroni proposito exemplo hominibus monstraverunt. Diogenes apud Laert. D. VI 27 ἔλεγέ τε περὶ τοῦ παρορύττειν καὶ λακτίζειν ἀγωνίζεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, περὶ δὲ καλοκἀγαθίας μηδένα.[1]) id. apud Stob. flor. IV 112 Διογένης ἔλεγε διαπαλαίοντας μὲν πολλοὺς ὁρᾶν καὶ διατρέχοντας, διακαλοκἀγαθιζομένους δὲ οὔ. id. apud Demetr. de eloc. § 260 (de κυνικῷ τρόπῳ) τὸ Διογένους τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ, ὅτε τοῦ ὁπλίτου δραμόντος ἐπιτρέχων αὐτὸς ἐκήρυττεν ἑαυτὸν νικᾶν τὰ Ὀλύμπια πάντας ἀνθρώπους καλοκἀγαθίᾳ. de Cratete Cynico cf. Themist. περὶ ἀρετῆς p. 32 (in mus. Rh. 27, 449 sq.) „Krates, weil er an Körper mager war, war nicht geringer als Glaukos der Karystier" (qui fuit athleta nobilissimus, cf. Buecheleri adnot.). magnifice eandem sententiam exornat Diogenes Dionis Chrysostomi (or. 8 p. 279 sqq. 9 p. 291 sqq. 294 R): non se pugnare clamat praemio proposito coronae pineae vel oleagineae, sed sublime inire certamen de virtute et beatitudine, neque adversarios esse homines pulverulentos et foedo corporum habitu, sed paupertatem ἀδοξίαν labores, quibus ut fiat κρείττων, aerumnosam sed splendidam sibi geri luctam. in his Dionis additamenta ab ipsius Diogenis, si dis placet, 'diatribis' discerni non possunt.[2]) — Cum athleta sapientem in re paulo diversa confert Panaetius ap. Gell. XIII 28 (27), 3 sq.: ut athletae adversariorum fallacias caute provident, sic vir sapiens fortunae vim atque iniuriam omni in loco atque in tempore prudenter prospicit (aliter Plat. Erast. p. 135 D—136 A). omnium autem maxime Philo Iudaeus sapientis adversus affectus luctantis cum athleta comparationem adhibet, cf. e. g. de agricult. § 25 sqq., I p. 318 sqq., qui locus vel in singulis rebus cum Diogenis verbis a Dione Chrysostomo allatis (v. supra) plane mirum in modum consentit; similiter corporis et animi athletae comparantur virtutisque agon inlustratur in leg. allegor. l. III § 71, I p. 127, 'quod deus

---

Herculem intellegit Vahlenus l. c. p. 62 sq. Herculem enim, ut Castorem et Pollucem Aesculapium Liberum, 'hominum fama beneficiorum memor in concilio caelestium conlocavit' (Cic. de off. III 5, 25); cf. Cic. de nat. deor. II 24, 62 de legg. II 8, 19 Hor. epist. II 1, 5 sqq. (qui addunt Romulum), Aetius Ps.-Plutarchi placit. I 6 p. 295 sqq. D Hor. carm. III 3, 9 sqq. (qui omittunt Aesculapium), Clem. Al. protr. II 26 p. 22 P (qui omittit Liberum): v. Wendlandius 'Arch. f. Philos.' I 201 sqq. enarratur haec doctrina a Varrone ap. Tertull. ad nat. II 14 aliisque locis, cf. E. Schwarzius 'de Varronis apud sanctos patres vestigiis' in ann. nov. suppl. XVI (p. 407–499) p. 425 sq. astrologi reconditiore adhibita scientia aut stellam Martis Herculem esse (cf. Varro ap. Serv. ad Aen. VIII 285) aut in Geminorum signo una cum Apolline vel Theseo Herculem aeternam memoriam adeptum esse docuerunt (cf. Varr. r. r. II 1, 7 Nigid. Fig. in schol. Germanic. p. 68 et 127 B = fr. LXXXXI S).

1) Similiter iam Socrates in Xenoph. conv. 2, 4: καὶ ὁ Λύκων εἶπεν· οὐκοῦν νέοις μὲν ἂν εἴη ταῦτα (sc. palaestram redolere)· ἡμᾶς δὲ τοὺς μηκέτι γυμναζομένους τίνος ὄζειν δεήσει; Καλοκἀγαθίας νὴ Δί', ἔφη ὁ Σωκράτης. Καὶ πόθεν ἄν τις τοῦτο τὸ χρῖσμα λάβοι; e. q. s.

2) Cf. Wilamowitzius 'Eurip. Herakl.' I p. 336, 127.

immut.' § 31, I p. 294 (de Socrate), de sobriet. § 13, I p. 402, de congr. quaer. erud. grat. § 6, I p. 523 § 29 p. 543 § 31 p. 545, de mutat. nom. § 12, I p. 590, de Abrah. § 10, II p. 8, de provid. l. II § 4, II p. 47, de Mos. l. I § 9, II p. 88, de concupiscentia § 4, II p. 352, de nobilit. § 4, II p. 421, 'quod omn. prob. liber' § 3, II p. 448 § 5 p. 449 § 13 p. 459 § 19 p. 466 § 20 p. 468 § 22 p. 470, de septenario § 4, II p. 479 § 10 p. 487. eadem similitudo egregie amplificatur ab Epicteto: diss. I 18, 20 sqq. 24, 1 sq. 29, 34 sqq. II 17, 29 31; 18, 22 26 sqq. III 10, 7 sq. 20, 9 sqq. 21, 3 22, 51 sq. 57 sq. 25, 3 sqq. IV 4, 11 sq. 30 sq. manual. c. 50 Schw (cf. Simplicius in Epict. man. c. 31 p. 248, 37 Schw). ex Epicteto Antoninus III 4 (p. 23, 18 St) ἀθλητὴν ἄθλου τοῦ μεγίστου, τοῦ ὑπὸ μηδενὸς πάθους καταβληθῆναι. cantilenas saltationem pancration res contemnendas esse idem dicit XI 2 (p. 144, 1 sqq. St). Seneca in epist. octogesima octava, in qua nobilis illa studiorum liberalium refutatio legitur ad severioris notae Stoicorum normam facta (cf. Hirzelius l. c. III p. 525, 1), ait (§ 18 sq.): 'aeque luctatores et totam oleo ac luto constantem scientiam expello ex his studiis liberalibus .... quid enim prodest equum regere et cursum eius freno temperare, affectibus effrenatissimis abstrahi? quid prodest multos vincere luctatione vel caestu, ab iracundia vinci?' idem in ep. 13, 1 sqq. multis enarrat similitudinem sapientis cum fortuna manus conserentis et athletae cum adversario luctantis. 'cum affectibus conluctari' dicit in quaest. nat. praef. § 5, stadii studia impugnat in ep. 80, 2 cf. ep. 15, 1 sqq. Dio Chrysostomus non solum in illis orationibus quas supra indicavi, sed etiam in or. 28 p. 535 R, ubi Melancomam athletam praedicat: τό γε μὴν θαυμαστότατον ἐν ἀνθρώπῳ, ἀήττητον γενέσθαι οὐ μόνον τῶν ἀνταγωνιστῶν ἀλλὰ καὶ πόνου καὶ καύματος καὶ γαστρὸς καὶ ἀφροδισίων· δεῖ γὰρ πρῶτον τούτοις ἀήττητον εἶναι τὸν μέλλοντα ὑπὸ μηδενὸς τῶν ἀνταγωνιστῶν λειφθήσεσθαι. Epictetum et Dionem fortasse compilat Maximus Tyrius in diss. 5 c. 8 (cf. Epict. I 6, 33 sqq. II 16, 44) 7 c. 4 et 6; haec alibi non invenio, quae fortasse ipse finxit (diss. 5 c. 9): φέρε, τοὺς ἀγωνιστὰς παρακαλῶμεν ἐπὶ τὸ στάδιον. ἔχε· τίνες μὲν Ἀθηνῶν; Σωκράτης ἀγωνιούμενος πρὸς τὸν Μέλητον καὶ πρὸς δεσμὰ καὶ τὸ φάρμακον.... καὶ δεῖ μοι καὶ τὸν ἐκ τοῦ Πόντου ἀθλητὴν ἀγωνίζεσθαι, καὶ οὗτος ἀγῶνα ἰσχυρὸν πρὸς ἀνταγωνιστὰς πικρούς, πενίαν καὶ ἀδοξίαν καὶ λιμὸν καὶ κρύος· ἐγὼ δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ γυμνάσια ἐπαινῶ·

αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας
σπεῖρα κάκ' ἀμφ' ὤμοισι βαλών·

(δ 244 sq.) οὐ χαλεπῶς διὰ τοῦτο ἐκράτει. τοιγαροῦν στεφανῶ τοὺς ἄνδρας καὶ ἀνακηρύττω νικηφόρους τῆς ἀρετῆς.

Vltra descendere[1]) neque possum neque multi refert. notum

1) De Clemente Alexandrino cf. Wendlandius 'quaestiones Muso-

enim est hanc similitudinem tritissimam Pauli apostoli aetate (cf. ep. ad Cor. I 9, 24 ad Timoth. II 4, 7) a Christianis receptam inde fluxisse ad patres ecclesiasticos martyras monachos, ἀρετῆς vel θεοῦ ἀσκητάς, imitatores Ἰησοῦ τοῦ μεγάλου ἀγωνιστοῦ ([Clem. Al.] exc. ex Theodot. 58 p. 983 P); nonnulla testimonia v. apud Gatakerum ad Antonin. III 4 et maxime apud Vsenerum libelli 'Der heil. Theodosios. Schriften des Theodoros und Kyrillos' p. 115 (ad 5, 16) et p. 149 (ad 42, 14).

Consulto adhuc omisi locos quosdam nunc quam brevissime mihi tractandos. omnium amplissime contra athletas disserit Ps.-Galenus in protreptico inde a c. 9 (p. 20 K)[1], ubi inter alia leguntur haec (c. 13 p. 35 sq.): ὅτι μὲν εἰς οὐδὲν τῶν κατὰ τὸν βίον ἔργων χρήσιμος ἡ τῶν ἀθλητῶν ἄσκησις.., σαφὲς ἤδη γέγονεν· ὅτι δὲ καὶ ἐν οἷς ἀσκοῦσιν, οὐδενός εἰσιν ἄξιοι λόγου, μάθοιτ' ἄν, εἰ διηγησαίμην ὑμῖν τὸν μῦθον ἐκεῖνον, ὃν τῶν οὐκ ἀμούσων ἀνδρῶν τις ἐντείνας ἔπεσι διεσκεύασεν. ἔστι δ' οὗτος. iam exponitur, bestiis si concederetur ut in certaminibus prodirent, fore ut ex hominibus nemo coronaretur. ἐν μὲν γὰρ δολιχῷ ὑπέρτατος, φησίν, ὁ ἵππος ἔσται· | τὸ στάδιον δὲ λαγωὸς ἀποίσεται· ἐν δὲ διαύλῳ | δορκὰς ἀριστεύσει· μερόπων δ' ἐναρίθμιος οὐδεὶς | ἐν ποσίν. ὦ κοῦφοι ἀσκήτορες, ἄθλιοι ἄνδρες. | Ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἀφ' Ἡρακλέους (i. e. athletarum) τις ἐλέφαντος ἢ λέοντος ἰσχυρότερος ἂν φανείη. οἶμαι δ' ὅτι καὶ ταῦρος πυγμῇ στεφθήσεται. καὶ ὄνος, φησί, λὰξ ποδί, εἰ βούλεται, ἐρίσας αὐτὸν τὸν στέφανον οἴσεται e. q. s. quo de loco nuper a viris doctis in diversas partes disputatum est. Crusius in mus. Rh. 39, 581 sqq., maxime p. 588 sqq., hominem illum οὐκ ἄμουσον Plutarchum esse coniecit, cuius in Lampriae catalogo fertur (n. 127) περὶ ζῴων ἀλόγων ποιητικός (sc. λόγος)[2]); quem contra disseruit Gerckius in mus. Rh. 41, 470 sqq. cum Hauptio (opusc.

nianae' p. 7 adn. 1. in epistula incertae aetatis Heraclitea quarta haec leguntur (§ 3): τί αὐτὸν (sc. Ἡρακλέα) ἐθεοποίησεν; ἡ ἰδία καλοκἀγαθία καὶ ἔργων τὰ γενναιότατα τοσούτους ἐκτελέσαντα ἄθλους. ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ ἄνθρωποι, οὐ καὶ αὐτὸς ἀγαθός εἰμι; . . . καὶ ἔμοιγε πολλοὶ καὶ δυσχερέστατοι ἆθλοι κατώρθωνται. νενίκηκα ἡδονάς, νενίκηκα χρήματα, νενίκηκα φιλοτιμίαν, κατεπάλαισα δειλίαν, κατεπάλαισα κολακείαν, οὐκ ἀντιλέγει μοι φόβος, φοβεῖταί με λύπη, φοβεῖταί με ὀργή. κατὰ τούτων ἀγών. καὶ αὐτὸς ἐστεφάνωμαι ἐμαυτῷ ἐπιτάττων, οὐχ ὑπ' Εὐρυσθέως. — Omisi minoris momenti exempla talia: Plut. de sera num. vind. 18 p. 561 A ἀγωνίζεται γὰρ (ἡ ψυχή), ὥσπερ ἀθλητής, κατὰ τὸν βίον· ὅταν δὲ διαγωνίσηται, τότε τυγχάνει τῶν προσηκόντων. — hoc loco adnecto quem inter philosophos ponere nolui Horatium: epist. I 1, 49 sqq. 'quis circum pagos et circum compita pugnax | magna coronari contemnat Olympia, cui spes, | cui sit condicio dulcis sine pulvere palmae?', ubi v. Kiesslingii adnot.

1) Cf. Hartlicus 'de exhortationum a Graecis Romanisque scriptoribus historia' (stud. Lips. XI 1889) p. 316 sqq.

2) Posse hunc librum referri ad Plutarchi Gryllum Vsener in praef. Epic. p. LXX dicit; sane ποιητικὸς λόγος minime est 'versibus conscriptus', quae est Crusii sententia.

III 445) certum inveniri posse auctorem negans; hunc secutus est Brandtius qui versus illos in corpusc. poes. ludib. fasc. I p. 108 sq. edidit; ac ne ipse quidem Crusius prorsus certum hac de re sibi esse iudicium in mus. Rh. 44, 311, 4 testatus est commotus, ni fallor, eis quae scripserat Wilamowitzius commentarioli gramm. III p. 24 sq. sententiam suam Crusius stabilivit locis similibus ex Plutarcho allatis, quorum omitto et leviorem (de fortuna 3 p. 98 F) et incertum (de pueris educ. 8 p. 5 E), ascribo gravissimum, quem ex Plutarchi libro κατ' ἰςχύος servavit Stob. flor. LIII 14 (II 314, 23 M): τί δέ ςοι τοιοῦτον ἀγαθὸν εὐτυχεῖται μᾶλλον, ὡς ἕνεκα τούτου μητρυιὰν μὲν τῶν ἀνθρώπων, μητέρα δὲ τῶν ἀλόγων ζῴων γεγενῆςθαι τὴν φύςιν, μεγέθους καὶ ὀξύτητος καὶ ὀξυωπίας χάριν; ἡ δὲ ἀνθρώπων ἴδιος ἰςχὺς ὁ ψυχῆς ἐςτι λογιςμός, ᾧ καὶ ἵππους ἐχαλίνωςεν aliasque bestias domuit. addidit Crusius Phaedri fabellam quandam (append. II M): 'arbitrio si natura finxisset meo | genus mortale, longe foret instructius: | nam cuncta nobis attribuisset commoda, | quaecumque indulgens Fortuna animali dedit: | elephanti vires et leonis impetum, | cornicis aevum, gloriam tauri trucis, | equi velocis placidam mansuetudinem, | et adesset homini sua tamen sollertia.' idem cynicae originis vestigia inesse coniecit collatis Oenomai verbis in Euseb. pr. ev. IV 33 p. 486 sqq. G, qui adversus Apollinem ineptum athletarum studium oraculis suis praedicantem sic vociferatur: ὤφελες εἰδέναι, ὅτι ἡ πυκτικὴ τῆς λακτιςτικῆς οὐδὲν διαφέρει, ἵν' ἢ καὶ τοὺς ὄνους ἀπηθανάτους ἢ μηδὲ Κλεομήδην πύκτην .... εἶθε οὖν, ὦ μάντι, ... ἐξέμαθες, ὁπόςου ἄξιόν ἐςτιν ἡ πυκτική, ἵνα καὶ τοὺς πύκτας ὄνους θεοὺς ἐνόμιζες, καὶ τοὺς ὀνάγρους τῶν θεῶν τοὺς ἀρίςτους .... μὴ γὰρ δὴ θαυμάςῃς, εἰ καὶ ὄναγρος ἐπιδικάςεται ἀθαναςίας: asinus enim se omnes de gradu moturum esse clamabit. denique quo cynicam originem confirmaret, Crusius ad Dionis Chrys. or. 9 p. 294 R provocavit, ubi Diogenes athletam quendam ut Ἰςθμιονίκην coronasse dicitur, ὅτι λακτίζων ἐνίκηςεν. poterat addere Dionis or. 9 p. 293 R, ubi Diogenes in hominem, qui cum cursu vicisset omnium velocissimus esse gloriabatur, sic invehitur: ἀλλ' οὐ τῶν λαγῶν οὐδὲ τῶν ἐλάφων (sc. velocior es)· καίτοι ταῦτα τὰ θηρία πάντων ἐςτὶ τάχιςτα ... οἱ δὲ κόρυδοι πόςῳ τινὶ θᾶττον ὑμῶν διέρχονται τὸ ςτάδιον; Πτηνοὶ γάρ εἰςιν, εἶπεν. Οὐκοῦν, ἔφη ὁ Διογένης, εἴπερ τὰ ταχύτατον εἶναι κράτιςτόν ἐςτι, πολὺ βέλτιον κόρυδον εἶναι ςχεδὸν ἢ ἄνθρωπον; at certiora huius sententiae testimonia afferam eaque Plutarcho antiquiora, quae mihi rursus suppeditavit probissimae notae testis Philo; apud eum enim in libro de posteritate Caini (§ 46, I p. 256 M) haec leguntur: ὁ γὰρ φιλάρετος ... καταφλέγει τὰς ςωματικὰς ἡδονὰς ... καὶ διδάςκει ..., ὅτι τῶν ςωματικῶν ἀγαθῶν ἐςτιν ὑγίεια ἢ κάλλος ἢ ἡ τῶν αἰςθήςεων ἀκρίβεια ἢ τὸ ὁλόκληρον μετὰ ἰςχύος καὶ ῥώμης κρατερᾶς, ἀλλά γε πάντα καὶ τῶν ἐπαράτων καὶ ἐξαγίςτων ἐςτὶ κοινά, ὧν, εἴπερ ἦν ἀγαθά, φαῦλος οὐδενὸς οὐδεὶς ἂν μετέχοι.

ἀλλ᾽ οὗτοι μὲν ... ἄνθρωποι ὄντες ... μετέχουσιν αὐτῶν. νυνὶ δὲ καὶ τῶν θηρίων τὰ ἀτιθασσότατα μᾶλλον τοῖς ἀγαθοῖς τούτοις ... ἢ οἱ λογικοὶ κέχρηνται. τίς γὰρ ἂν ἀθλητὴς πρὸς ταύρου δύναμιν ἢ ἐλέφαντος ἀλκὴν ἐξισωθείη; τίς δὲ αὖ δρομεὺς πρὸς σκύλακος ἢ λαγωδαρίου ποδώκειαν; ὁ μὲν γὰρ ἀνθρώπων ὀξυδερκέστατος πρὸς δορκάδων ἢ ἀετῶν ὄψιν ἀμβλυωπέστατος. ἀκοαῖς γε μὴν ἢ ὀσμαῖς πολλῷ τῷ περιόντι τὰ ἄλλα κεκράτηκεν .... καὶ τί δεῖ περὶ ἑκάστου διεξιόντα μακρηγορεῖν; ἤδη γὰρ τοῦτο παρὰ τοῖς δοκιμωτάτοις τῶν πάλαι λογίων ὡμολόγηται, οἳ τῶν ἀλόγων μητέρα τὴν φύσιν, ἀνθρώπων δὲ μητρυιὰν ἔφασαν εἶναι, τὴν κατὰ σώματα μὲν ἀσθένειαν, τὴν δὲ ὑπερβάλλουσαν ἐν ἅπασιν ἰσχὺν κατανοήσαντες. haec de natura bestiarum matre hominum noverca (cf. Cic. de rep. l. III ap. Augustin. contra Iulian. Pelag. IV 12 et ap. Lact. de opif. dei 3; ex Cicerone fortasse Plin. n. h. praef. l. VII § 1[1]) cf. Lucr. V 222—234) in eodem sententiarum conexu in Plutarchi loco ex l. κατ᾽ ἰσχύος supra allato invenimus. Philonis loco adde de Abrahamo § 45, II p. 38, de providentia l. II § 20, I p. 58 vers. Armen. = fr. ap. Euseb. pr. ev. VIII c. 14 (II p. 637 Mang). eadem paene ad verbum Philo repetit in libro de agricultura (§ 25 sq., I p. 317 sq.), ut stadiorum studia quam sint ridicula demonstret. his adice locos simillimos Senecae: de benef. II 29, 1 sqq. 'vide quam iniqui sint divinorum munerum aestimatores et quidem professi sapientiam: queruntur, quod non magnitudine corporum aequemus elephantos, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros, quod solidior sit cutis beluis, decentior dammis, densior ursis, mollior fibris; quod sagacitate nos narium canes vincant, quod acie luminum aquilae, spatio aetatis corvi, multa animalia nandi facilitate': ab hisce hominibus accusari naturam, quod iniuriam nobis fecerit: immo gratiam habendam esse deo qui ita nos instruxerit, ut 'valentiora animalia sub iugum miserimus' (de verbis postremis cf. iterum Plutarchi verba supra laudata). denique eadem sententia occurrit in Senecae ep. 124, 22 'quid, inquam, vires corporis alis et exerces? pecudibus istas maiores ferisque concessit. quid excolis formam? cum omnia feceris, a mutis animalibus vinceris. quid capillum ingenti diligentia comis? in quolibet equo densior iactabitur iuba, horrebit in leonum cervice formosior. cum te ad velocitatem paraveris, par lepusculo non eris.'[2])

Hinc igitur iam in Stoicorum scholis hominum virtutes cum bestiarum facultatibus comparatas esse comprobatur: quae sententia

---

1) Quamquam in Plinii praefatione illa multa insunt, quae nos quidem hodie in Cicerone non legimus, cognitu ea dignissima.

2) Ex posterioris aevi scriptoribus nonnulla attulit Hartlicus l. c. p. 324. consulto omisi eos scriptores, qui de animalium sollertia disputantes hoc argumentum afferunt: Plut. de soll. an. 5 p. 963 A sq. Porphyr. de abst. III p. 197, 2 N² Plin. n. h. X 69, 191 sq. — Minoris momenti sunt Isocr. Nicocl. § 5 p. 27 D sqq. Ps. Phocyl. 124 sqq.

quam fuerit trita, Phaedri fabella supra allata docet, multa enim ex philosophorum libris sumpta in usum suum converterunt apologorum scriptores. Stoici hoc argumento Peripateticos refutarunt, qui externa quoque bona in pretio habenda esse contenderent; Stoicos Carneades, homo acutissimus et Chrysippi par, eodem argumento profligare conatus est, cum mundum providentia administrari acerrime negaret[1]: Carneadeam enim aut Academicorum certe doctrinam a Seneca loco illo quem ex beneficiorum libro II supra attuli enarrari et impugnari maxime ex § 2 elucet (cf. Zeller l. c. III 1^{3} p. 173 sqq. 505 sqq.; ex antiquis auctoribus et Stoicorum argumenta et Academicorum refutationem sincerissime servata esse contendo in duobus Philonis de providentia sermonibus vulgo neglectis). — Denique ut ad Ps. Galeni locum redeam, versus illi cuinam debeantur, cum antea definire non licuerit tum nunc etiam magis nescimus, postquam argumentum hoc ad tempora Plutarchi aevo multo antiquiora redire demonstravi; certe ei qui virum illum οὐκ ἄμουσον ideo Galeni aequalem esse dixerunt, quia non ipso nomine appelletur, magnopere errant: artificium enim testes obscure potius significandi quam aperte nominandi[2] inde a Galeni fere aetate miro studio frequentari coeptum esse permultis testimoniis allatis amicus quidam doctissimus me monuit.

Ad ταφὴν Μενίππου redeo; ex reliquiis satis multis hoc non temere concludas Menippo cenam fieri feralem, cui ne desit ὁ ἐπιτάφιος ἀγὼν pristini temporis modestia cum sui aevi luxuria a Varrone componitur. qui mos mortuorum manes colendi libris componendis a duobus viris egregie illustratus est Graecorum exemplis: Aristocreontis Stoici liber qui inscriptus erat Χρυσίππου ταφαί (ap. Comparettium 'papiro ercolanese' col. 46 p. 72) ab Vsenero (Epic. praef. p. LXIX adn. 1) cum satura nostra comparatus est, Speusippi Πλάτωνος περίδειπνον (Laert. D. III 2 cf. IV 5) et Timonis Ἀρκεσιλάου περίδειπνον (ib. IX 115) a Wachsmuthio (sill.^{2} p. 30).

Pergo ad saturam

Ἕως πότε;

περὶ ὡρῶν

cuius servata sunt fragmenta haec:

173 nón posse ostrea se Romae praebere et echinos

174 'vitae cursum ut cognoscere possem, et quae servitutis et libertatis ab origine ad exodium adductae ⟨series: suppl. Buecheler⟩.'

---

1) Incohavit hanc refutationem iam Epicurus in hac re ut in multis a Scepticis vix distans.

2) Simile artificium tetigit Kiesslingius ad Hor. carm. I 17, 17.

'"Εως πότε;' proverbium cum alibi non traditum sit, ultra coniecturam procedi non potest. fortasse haec verba ad homines μεμψιμοίρους vel ἀψικόρους novarumque semper rerum cupidos referri possunt, de quibus sic Seneca de tranq. an. 2, 15 'fastidio esse illis coepit vita et ipse mundus et subit illud rabidarum deliciarum "quousque eadem?" cf. ep. 24, 26 'quosdam subit eadem faciendi videndique satietas et vitae non odium sed fastidium, in quod prolabimur . . ., dum dicimus 'quousque eadem?' nempe expergiscar dormiam esuriam algebo aestuabo, nullius rei finis est . . .; diem nox premit, dies noctem, aestas in autumnum desinit, autumnum hiems instat, quae vere compescitur: omnia sic transeunt, ut revertantur. nihil novi facio, nihil novi video: fit aliquando et huius rei nausia.'[1]) in eiusmodi enim interpretationem satis bene quadrat fr. 173 'nón posse ostrea se Romae praebere et echinos', quibus verbis ascribo haec ex Dionis Chrys. or. 30 p. 559 R τινὰς δὲ αὐτῶν (sc. τῶν ἀσώτων καὶ ἀκρατῶν) μὴ ἀρκεῖσθαι τοῖς παροῦσιν, ἀλλὰ ἐπὶ τὰ πορρωτέρω διατείνειν τὰς χεῖρας, οἷον μεσογείους ὄντας ἰχθύων ὀρέγεσθαι καὶ πράγματα ἔχειν: quae hominum vitiosa libido saepe castigatur ad hunc modum οὐδέ σ' ἀρέσκει τὸ παρὸν, τὸ δ' ἀπὸν φίλτερον ἡγῇ (Eur. Hipp. 183) cf. Democrit. fr. 31 Mull epist. [Hippocr.] 17 §§ 30 40 43 Muson. apud Stob. flor. XVIII 38 (I 297, 7 M) Max. Tyr. diss. 36 c. 2 p. 183 R Iulian. or. 2 p. 101 C. — Lucr. III 956 'semper aves quod abest, praesentia temnis' cf. Hor. s. II 7, 27 sq. epist. I 1, 82 sqq. denique cum hac interpretatione bene coniungitur altera inscriptio περὶ ὡρῶν cf. Cynicus in [Luciani] Cyn. 17 πάντα μέμφοντες καὶ τὰ μὲν παρόντα φέρειν οὐκ ἐθέλετε, τῶν δὲ ἀπόντων ἐφίεσθε, χειμῶνος μὲν εὐχόμενοι θέρος, θέρους δὲ χειμῶνα καὶ καύματος μὲν ῥῖγος, ῥίγους δὲ καῦμα. [Teles] apud Stob. flor. XCIII 31 (III 188, 3) ταῖς δὲ ὥραις οὐκ ἐφίησι χρῆσθαι (ὁ πλοῦτος) καὶ μελετᾶν πρὸς τὰ γιγνόμενα, ποιεῖ δὲ καὶ πρὸς θάλπος ἀσθενέστερον τὸν εὐτυχοῦντα καὶ πρὸς κρύος. Diogenes contra (cf. Dion. Chrys. or. 6 p. 201 R) ταῖς ὥραις ἔχαιρεν καὶ τοῦτο μὲν εὐφραίνετο θέρους προσιόντος, ὁπότε ἤδη διαχέοι τὸν ἀέρα, τοῦτο δὲ οὐκ ἤχθετο παυομένου . . ., ταῖς δὲ ὥραις συνεπόμενος . . . ἀφικνεῖτο πρὸς ἑκατέραν τὴν ὑπερβολήν. sic Menippus (apud Luc. dial. mort. 26), cum quidam fastidio affectus earundem semper ὡρῶν e vita migrasset, ἀρέσκεσθαι iussit καὶ ἀγαπᾶν τοῖς παροῦσι[2]) καὶ μηδὲν αὐτῶν ἀφόρητον οἴεσθαι. cf. etiam Epict. diss. IV 5, 45 χαῖρε τοῖς παροῦσι καὶ ἀγάπα ταῦτα ὧν καιρός ἐστιν. Lucian. Nigr. 31 τούτους γὰρ εἶναι . . . τοὺς μέσου χειμῶνος ἐμπιπλαμένους ῥόδων (cf. Sen. ep. 122, 8) καὶ τὸ σπάνιον

1) Minus appositus est locus Sen. de brev. v. 17, 1 'ipsae voluptates eorum trepidae et variis erroribus inquietae sunt subitque cum maxime exsultantibus sollicita cogitatio: "haec quam diu?"

2) Τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν in proverbio erat, cf. Epicharm. fr. B 57 L, Plat. Gorg. 499 C Legg. XII 959 C Phot. s. τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν.

αὐτῶν καὶ παρὰ καιρὸν ἀγαπῶντας, τὸ δ' ἐν καιρῷ καὶ κατὰ φύσιν ὡς εὐτελὲς ὑπερηφανοῦντας κτλ.[1]) — Ceterum propter 'vitae cursum' (fr. 174) moneo posse ὥρας etiam intellegi humanae vitae

1) Varro saturam scripsit *Τοὐπὶ τῇ φακῇ μύρον*, περὶ εὐκαιρίας, cuius altera inscriptio insigni Buecheleri coniectura ex apertissimis codicum vestigiis restituta est. unum eius fragmentum

549 'múltunummus piscis ex salo captus
helops neque ostrea illa magna <Baiana: suppl. B>
quivit palatum suscitare'

proxime accedit ad fr. 173 supra enarratum. inscriptiones quemadmodum inter se cohaereant Athenaeus IV 160 B docet (de proverbio illo cf. etiam ISchmidtius 'Vlixes comicus' in ann. nov. suppl. XVI 401) de εὐκαιρίᾳ quid Stoici censuerint v. apud Cic. de off. I 40, 142 sqq. Stob. ecl. II 222 = II 108, 10 W et II 194 = II 97, 8 W. omnino quanti fecerint Graeci in dicendo agendoque opportunitatem — sic enim εὐκαιρίαν appello auctore Cicerone de fin. III 14, 45 — multis testimoniis comprobatur, quorum nonnulla leguntur in Stobaei floril. l. XXXIV περὶ τοῦ εὐκαίρως λέγειν inscripto (non servatum est eclogarum libri II cap. 28 p. 199 W ὅτι εὐκαίρως δεῖ πράττειν). μέτρα φυλάσσεσθαι· καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος Hesiodus praecipit opp. 694, καιρὸν γνῶθι inter Thaletis dicta est apud Stob. flor. III 79 (I 88, 25 M) cf. A. P. XII 197, καιρὸν προσδέχου inter septem sap. dict. ib. 80 (I 91, 19), μηδὲν ἄγαν· καιρῷ πάντα πρόσεστι καλά Chiloni aliisque tribuebatur (schol. Eur. Hipp. 264 al., Boissonadius anecd. gr. I p. 144) cf. Auson. lud. sept. sap. 59 sqq. 'et Píttacum dixisse fama est Lesbium: | γίγνωσκε καιρόν: tempus ut noris iubet; | sed καιρὸς iste tempestivum tempus est.' Mart. Cap. ἀκαίρως inductis Sileni temulenti nugis a Satura sic vituperatur (VIII p. 299, 10 Eyss.) 'saltem Prieniae ausculta nihilum gravate sententiae, et ni ὄνος λύρας, καιρὸν γνῶθι.' Themist. or. 34 c. 4 φιλοσοφία τὸ 'γνῶθι σαυτόν' καὶ τὸ 'γνῶθι καιρόν' καὶ τὸ 'μηδὲν ἄγαν' οὐκ ἀγαπήσασα οὐδὲ ἀρκεσθεῖσα τοῖς ἀναγκαίοις πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον νουθετήμασι κτλ. Anaxarchus Democriteus sapientiae finem dixit esse τὰ τοῦ καιροῦ μέτρα δεῖν εἰδέναι (Clem. Al. strom. I p. 337 P cf. Bernaysius 'ges. Abh.' I p. 123). Cf. Pindarus ol. 9, 57 sq. τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν | μανίαισιν ὑποκρέκει. Ionem Chium hymnum Καιροῦ composuisse refert Pausan. V 14, 9. porro cf. Isocr. ad Demonic. § 31 μηδὲ παρὰ τὰ γελοῖα σπουδάζων, μηδὲ παρὰ τὰ σπουδαῖα τοῖς γελοίοις χαίρων· τὸ γὰρ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν. ad Nicocl. § 33 κράτιστον τῆς ἀκμῆς τῶν καιρῶν τυγχάνειν. Plut. Lyc. 20 de soll. an. 12 p. 968 B, Dio Chrys. or. 55, II p. 288 R (ubi Socratis philosophiam ab Homero incohatam esse demonstrat) Ὀδυσσεὺς ἐπανορθούμενος τὸ ἁμάρτημα τοῦ Ἀγαμέμνονος . . . οὐ περὶ φρονήσεως καὶ στρατηγίας καὶ μαντικῆς, πρὸς δὲ τούτοις καιροῦ καὶ ἀκαιρίας ἔοικεν ὑποτίθεσθαι; schol. δ 194 ἐν δείπνῳ οὐ τέρπομαι ὀδυρόμενος· ὅτε ἀνέσεως μάλιστα τῇ ψυχῇ χρεία. τὸ ἀνεπιτήδειον οὖν τοῦ καιροῦ μέμνηται Athen. I p. 12 B. Persaeus ib. XIII 607 B. sic in proverbium venit ὅ τι κεν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶσσαν ἔλθῃ (fr. adesp. 86 a B[4]), laudabatur σιγὴ εὔκαιρος Isocr. ad Demonic. § 41, [Plut.] de pueris educ. 14 p. 10 E, vituperabatur ἄκαιρος λαλιά (ib. 11 A) cf. saturae nostrae fr. 550. de λόγου εὐκαιρίᾳ, ad quam priorem saturae inscriptionem refert Gellius XIII 29, 5 v. Isocr. panath. § 86 Aristot. art. rhet. III 7 1408 a 10 sqq. Dionys. Hal. de Lysia 11 de Isocr. 13 Theon. progymn. c. 10 (II 116, 10 sqq. Sp) vit. Soph. § 13. schol. Eurip. Androm. 229. minus ad eum καιρὸν, de quo loquor, Καιρὸς deus ille palaestrae quadrat, quode cf. Curtius 'arch. Zeit.' 1875, 1—8: diserte chori dux Aesch. Ag. 749 K 'πῶς σε σεβίζω | μήθ' ὑπεράρας μηθ' ὑποκάμψας | καιρὸν χάριτος;'

aetates (cf. Sternbachius ad gnom. Vat. n. 291), cf. Telet. epit. p. 6, 14 H καὶ cὺ πρὸc τὰ παρόντα χρῶ· γέρων γέγοναc, μὴ ζήτει τὰ τοῦ νέου (v. quae de Marcipore disputavi): fortasse Varro ὥραc more suo in diversas partes interpretatus est.

Possum in hoc saturarum genere, quod ad disputationes a philosophis frequentatas pertinet, diutius morari — restant enim multae —, verum transire malo ad eas saturas, in quibus vana philosophorum de summo bono certamina ineptaeque quorundam sententiae perstringuntur.

Armorum iudicium.

supersunt fragmenta haec:

42 'ut in litore cancri digitis[1]) primoribus stare'

43 'illic viros[2]) hortari, ut rixarent praeclari philosophi'.

prius fr. a Buechelero (l. c. p. 405) ad philosophos pugnam inituros recte relatum est cl. Quintil. inst. VIII 3, 63 'est igitur unum genus, quo tota rerum imago quodammodo verbis depingitur:

constitit in digitos extemplo arrectus uterque (Verg. Aen. V 426)

et cetera quae nobis pugilum congredientium faciem . . ostendunt', cf. etiam Philo de Cherubim § 24, I p. 153 qui athletam sic describit: δακτύλοιc ποδῶν ἄκροιc ἐπιβεβηκώc, πρὸc ὕψοc αὑτὸν ἐξάραc.[3])

In his philosophorum pugnis adornandis Varronem permulta Menippo debere puto; eum enim, ut erat perpetuus dogmaticorum irrisor, lepida huius modi δράματα instituisse cognoscimus cum Luciani imitatione (cf. Iupp. trag. passim, maxime 52 sq. bis acc. 11 etc.) tum Timonis sillorum reliquiis: is enim post finitum philosophorum catalogum finxit hos 'inter se concertasse terribili λογομαχίᾳ, in qua βροτολοιγὸc Ἔριc semper eos acriter ad pugnandum instimulabat', quae sunt verba Wachsmuthii (sill.[2] p. 44 sq.), qui hoc argumentum inesse ex fragmentis (XIV sqq. p. 113 sqq.) tam luculenter demonstravit, ut dubitationis ne umbra quidem relicta sit. quid quod a Cicerone quoque eiusmodi rixa lepide enarratur in acad. post. fragmento quod servavit Augustinus c. Acad. III 7, 15 sqq. 'Zeno vel Chrysippus si interrogarentur, quis sit sapiens, respondebit eum esse quem ipse descripserit; contra Epicurus vel quis alius

---

1) 'digitibus' codd. praeter Harleianum qui m. pr. 'digitis'; hoc defendit Buecheler in mus. Rh. 14, 440 (prob. Riesius), ex illo effecit 'digitulis' Oehler (prob. L Mueller).

2) 'vero' L Mueller ex cod. Bambergensi qui exhibet 'viro'; post 'rixarent' interpungendum esse Buecheler in mus. Rh. 20, 405 cum Mercerio statuit.

3) Nihil huc faciunt neque homines καρκινοβῆται Aristonymi comici (apud Athen. VII 287 C = fr. 2, I p. 668 K) aut Plauti (Cas. 443 sq. Pseud. 955) neque superbi ἐπαρθέντεc ἀκροβατοῦντεc (cf. Lobeckius ad Soph. Ai. 1230, Buecheler in mus. Rh. 14, 440 et 39, 425, Philo de humanitate § 24, II p. 404, de somniis l. I § 21, I p. 640).

adversariorum negabit . . . ; inde ad iurgium: clamat Zeno et tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil aliud esse quam ad honestatem . . .; contra ille convocata de hortulis in auxilium quasi Liber turba temulentorum . . . voluptatis nomen . . . teste populo exaggerans instat acriter, ut nisi ea beatus nemo esse posse videatur. in quorum rixam si Academicus incurrerit . . . cum et hac et illac aurem diligenter admoverit, interrogatus quid ei videatur, dubitare se dicet' e. q. s.

Saturae cui inscriptus est titulus

Λογομαχία

argumentum indicat Porphyrio ad Hor. sat. II 4 'quomodo in proxima (sc. satura) Stoicos, ita in hac Epicureos inrisurus est (sc. Horatius), qui dicunt summum bonum ἡδονὴν, sed rerum honestarum; unde Stoici hanc gulae et corporis libidinem criminantur, ⟨at illi volunt⟩[1]) τὴν ἀταραξίαν τῆς ψυχῆς, hoc est nihil timere nec cupere, summum bonum esse. unde Varro dicit λογομαχίαν inter illos esse.' philosophos verbis inter se velitari, rebus consentire Cicero Antiochi interpretatus sententiam totiens paene ad nauseam animis legentium inculcavit, locos ut afferre opus non sit. id autem memorabile mihi videtur esse, quod etiam Epicurei cum Stoicis λογομαχίαν gerere dicuntur: quam sententiam a nostri temporis viris doctis qui sine ira et studio his de rebus iudicant argumentis saepe stabilitam (cf. Zeller l. c. p. 467 sqq., maxime p. 469, Vsener praef. Epicur. p. LVII sq., alii) apud antiquos scriptores numquam memini me legere nisi semel apud Senecam de vit. beat. c. 11 sqq. (maxime c. 13).[2]) quod nemo mirabitur qui quanto qualique luto sancta Epicuri haeresis ex infestissimis adversariorum calumniis commaculata sit secum reputarit, ita ut praeter Varronem (de quo vide etiam adnotata ad fr. 315 sqq. p. 13) et Senecam vix ullum[3]) invenias iustum eius existimatorem.

Ex λογομαχίᾳ satura fr. superest unum:

242 'haec lánigeras detonderi docuit tunicareque homullum'

quod de Minerva dici Popma L Muellero persuasit, ego de natura vel utilitate et necessitudine (χρείᾳ) interpretari malo (cf. Lucr. IV 843—852 Diodor. I 8 ex Epicuri sententia, ut dudum viderunt:

1) Haec Buecheler interponit; patent etiam aliae viae, velut '⟨at utrique volunt⟩'; Stoicorum enim ἀδιαφορία (et Cynicorum ἀπάθεια) ab Epicureorum Scepticorumque ἀταραξίᾳ limite tam tenui distant, saepe ut confundantur, cf. Hirzelius l. c. III p. 15 adn. 1. ἀταραξίαν saepissime cum ἀπαθείᾳ et ἀδιαφορίᾳ coniungunt aut inter se commutant Philo et Epictetus.

2) Minoris momenti est Cic. de fin. I 19, 62.

3) Cf. tamen C. Cassius in epist. ad Cic. XV 19, 2 sq.

καθόλου γὰρ πάντων τὴν χρείαν αὐτὴν διδάϲκαλον γενέϲθαι τοῖϲ ἀνθρώποιϲ, cf. Hor. s. I 3, 98).

Λογομαχίαϲ gemella fuit, nisi fallor,

Σκιαμαχία

περὶ τύφου

507 póstremo quaero: parebis legibus an non?
anne exlex solus vives?

508 'vínum pemma lucuns' nihil adiuvat, ista ministrat

509 "'ego' inquit 'ei eam suppetias, quicum mihi nec res nec ratio est, "dissociataque omnia ac nefantia"?'

510 'hoc dico, compendiaria sine ulla sollicitudine ac molestia ducundi ad eandem voluptatem posse perveniri'.

fr. 507 de quovis philosopho vitam solitariam agente dici poterat; in fr. 508 supplenda esse apparet 'quod satis est', 'ista' sc. 'natura'; in fr. 509 nonne optime intelleguntur philosophi ex diversis castris secum litigantes? in fr. 510 significari τὴν ϲύντομον καὶ ϲύντονον ὁδὸν Cynicorum neminem latet: in quo v. 'ducundi' passive usurpatum esse Buecheler me monuit (cf. Kuehner, 'ausf. Gramm. d. lat. Spr.' II § 129, 4 p. 542), quod non intellectum viros doctos mire turbavit; de re infra disputabo.

'Vmbras caedunt' (Petr. 62) ii qui cum adversariis se confligere opinantur, cum omnino nulli adsint (cf. Krausius 'die Gymnastik u. Agonistik d. Hellenen' I p. 510, 9 p. 511, 10): quod quam vere facere dicantur philosophi qui rebus congruentes nominibus differant, apparet. optime autem altera inscriptio convenit; τῦφοϲ proprie est nebulosa caligo: quae hominum mentibus offusa ut fiant τυφλοὶ efficit. facete igitur Timo apud Laert. D. VII 15 (fr. VIII p. 103 W) Zenonem a se conspici dicit ϲκιερῷ ἐνὶ τύφῳ: 'quamquam tecte petitur philosophi superbia qua menti caligo offusa est, tamen proprie significatur densa nebula, in qua versatur' (Wachsmuthius p. 104). Crates in sill. fr. apud Laert. D. VI 85 (fr. IV p. 196 W): πήρη τιϲ πόλιϲ ἐϲτὶ μέϲῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ: 'philosophorum fastum servato Homerico epitheto οἴνοπα vocat ad significandam caliginem menti offusam' (W p. 198). de τύφῳ, 'Cynicorum quasi tessera' (E Weber l. c. p. 241, 1) omnia nota sunt; plerumque usurpatur vocabulum et a Cynicis et a Scepticis, quos in multis rebus ab illis vix discernas, ad philosophorum fastum significandum: sic iam Antisthenes Platonem irrisit ut τετυφωμένον (apud Laert. D. VI 7), apud Lucianum (dial. mort. 10, 8) philosophus quidam iubetur deponere τὸ ψεῦδοϲ καὶ τὸν τῦφον καὶ τὸ οἴεϲθαι ἀμείνων εἶναι τῶν ἄλλων (cf. Menippus ib. 20, 4 Icarom. 7); sic Bio (apud Laert. D. IV 52 = sill. fr. I p. 201 W) Archytam dicit ὀλβιότυφον, Crates (ib. II 118 = fr. I p. 192 W) Stilponem cum Typhone comparat,

Timo (apud. Sext. Emp. hyp. Pyrrh. I 224 = fr. XXXX p. 148 W) Xenophanem ὑπάτυφον dicit: ἄτυφος a Timone solus Pyrrho habetur (Aristocl. apud Euseb. pr. ev. XIV 18, 19 = fr. XXXII p. 141 W), contra in Orco ei invisum est τὸ σκότος (Callim. epigr. IV W), scilicet propter τετυφωμένων multitudinem qui ibi versantur.

Ceterum ne quid improbe celem, addo unum fr. supra omissum, quod cum argumento enarrato quemadmodum coniungendum sit prorsus nescio:

506 te Anna ác Peranna, Panda Cela, te Pales,
Nerienis et Minerva, Fortuna ac Ceres.

Duobus libris ex his quidem saturis quae nobis innotuerunt non est nisi una[1]) conscripta:

Περίπλους

cuius prior liber ter affertur uno tantum titulo insignitus, alter ter duobus his:

Περίπλους
περὶ φιλοσοφίας.

rectissime de hac satura Ritschelius opusc. III p. 365 sq. scribit: 'vera per varias terras peregrinatio, 'periplus' dicta simpliciter et opponebatur et comparabatur tamquam itineri cuidam per philosophiam eiusque varias regiones facto.' in prioris enim libri fr. 415 Roma denotatur, in fr. 416 Sicilia.[2])

Alterius libri fragmenta extant haec:

417 'nulla ambrosia ac nectar, non alium ac sardae, sed "panis pemma lucuns, cibu' qui purissimu' multo est"'

418 'et ne erraremus, ectropas esse multas, omnino tutum esse sed spissum iter'

419 'itaque videas barbato rostro illum commentari et unum quodque verbum statera auraria pendere.'

---

1) De 'Octogesi περὶ νομισμάτων' satura res incertissima est.

2) 'in hac civitate tum regnabat Dionysius, homo garrulus et acer.' Dionysium seniorem 'in rebus gerundis acrem' dicit Cic. Tusc. V 20, 57. eius exemplum inde a Platonis et Aristippi temporibus in philosophorum disputationibus freqnentabatur: cf. Satyrus et Clearchus apud Athen. XII 541 C sq. Cic. Tusc. V 20, 57 sqq. = Philo fr. apud Euseb. pr. ev. VIII 14 p. 391 G, II p. 639 sqq. M (= de providentia II §§ 6 et 26 sqq. vers. Armen.). Hor. carm. III 1, 17 sqq. epist. I 2, 58 Pers. 3, 40 sq. — cf. Sen. ad Marciam de cons. c. 17 sq. epistolam subditivam ei mittit Diogenes personatus (29), ipse Speusippo (Athen. VII 279 E XII 546 D). apud Pseudogalenum protrept. ad art. c. 4 recensetur inter imprudentes qui neglecta ratione Fortunam sectantur.

primum fr. mire a multis temptatum est, quamvis sit dilucida sententia; tria enim ciborum genera distinguuntur: pretiosissimum ambrosia et nectar, quae in proverbium venerunt (cf. Marxius 'stud. Lucil.' p. 80, Otto 'die Sprichw. d. Römer' p. 241) —, vilissimum alium (cf. e. g. fr. 63) et sardae (quae, ut omnino pisces saliti, parvi aestimabantur cf. Pompon. 80 sq., Colum. VIII 17, 12, Iuv. 7, 120 cum schol., schol. Iuv. 4, 33, edict. Diocl. de pretiis rerum 5, 12 in CIL III p. 828. neque laute videtur epulatum esse collegium Salutare Dianae et Antinoi Lanuvii a. p. Chr. 136: magistri enim cenarum hominibus quaternis vini boni amphoras singulas et panes assium duorum et sardas numero quattuor praebere iubentur: CIL XIV 2112, p. 198 II 14 sqq. cf. etiam Amphid. com. fr. 22 K Antiphan. fr. 68, 15 Aristoph. Vesp. 491 Ran. 985 fr. 247 Macho apud Athen. XIII 579 F Archestr. ib. VII 294 A, Marxius l. c. p. 66) —, denique medium, quod significatur versu quem Lucilianum esse certa Buecheleri coniectura (in mus. Rh. 14, 426) constat. austeriores sententiae eae sunt quae leguntur in fr. 508 'vínum pemma lucuns nihil adiuvat', quode cf. p. 311, et in fr. 341, ubi πέμμαςιν cum πέψει societatem infidam esse legimus. de media via rectoque modo Varro in 'Modio' satura scripsit: sic nostro loco μεςότης ut obtineatur monet exemplo sumpto ex vita cottidiana, qui omnino est harum saturarum mos.

In fr. 418 denuo similitudo occurrit viarum quibus ad philosophiam itur. quae cum primum[1]) enarrata esset a Xenophontis Socrate (mem. II 1, 20 sqq.), cum interpretatus nobiles illos Hesiodi versus (op. 287 sqq.) adnecteret Prodiceam de Hercule fabulam, posteriorum additamentis adeo amplificata est, vix ut primigenii fontis splendor dispici possit. verum haec nunc praetermitto, quia nihil ad rem propositam[2]); sed inde quae fluxit similitudo viarum, quibus singulae philosophorum sectae ad virtutem perveniri dixerunt, paulo accuratius mihi tractanda est, cum hac ratione fragmento illi (418) a quo orsus sum lucem afferre posse mihi videar. Cynicam philosophiam ab ipsis Cynicis dictam esse ςύντομον[3]) καὶ ςύντονον ὁδὸν εἰς ἀρετὴν multis testimoniis comprobatur (Plut. Amator. 16 p. 759 D Diog. apud Luc. vit. auct. 11 Iulian. or. 7, 225 B sq., ut omittam testes suspectos); quae via quibus aut nimis ardua aut periculosior

---

1) Omitto ut dubiae fidei Pythagorae allegoriam, qua Υ litterae similem esse vitam nostram demonstravit (cf. Iahnius ad Pers. 3, 56 sq.). auxit hanc allegoriam Eusebius philosophus neopythagoricus in fr. apud Stob. ecl. II 412 (II p. 115, 31 M II p. 178, 13 W).

2) Prodiceae narrationis imitationes ut sub uno conspectu componantur omnes, etiam post Welckeri curam valde optandum est.

3) Aliter Socrates in Xen. mem. II 6, 39 ςυντομωτάτη τε καὶ ἀςφαλεςτάτη καὶ καλλίςτη ὁδός, ὦ Κριτόβουλε, ὅ τι ἂν βούλῃ δοκεῖν ἀγαθὸς εἶναι, τοῦτο καὶ γενέςθαι ἀγαθὸν πειρᾶςθαι. Heraclitus, si fides habenda est gnomologio Vaticano (ed. Sternbachius, n. 315) ςυντομωτάτην ὁδὸν ἔλεγεν εἰς εὐδοξίαν τὸ γενέςθαι ἀγαθόν.

esse videbatur, alia longiore sed tutiore ad eundem finem pervenire conabantur; Stoici quamquam a Cynicorum ratione asperrima multum discesserunt, tamen sapientem dixerunt κυνιεῖν· εἶναι γὰρ τὸν κυνιϲμὸν ϲύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδόν (Laert. Diog. VII 121 ex Apollodoro, cf. VI 104 Zeller l. c. p. 280, 2, Hirzelius l. c. II p. 526 adn.). quae duarum viarum similitudo saepe occurrit: Iulianus — quem primo loco affero, utpote qui optimis auctoribus usus sit in duabus de κυνιϲμῷ orationibus — or. 7 p. 225 B: ὁρμῶϲιν ἐπὶ τὸν κυνιϲμόν (sc. οἱ ἀπαίδευτοι κύνεϲ)· βακτηρία, τρίβων, κόμη, τὸ ἐντεῦθεν ἀμαθία, θράϲοϲ, ἰταμότηϲ . . . τὴν ϲύντομον, φαϲίν, ὁδὸν καὶ ϲύντονον ἐπὶ τὴν ἀρετὴν <πορευόμεθα: add. Hertleinius>. ὄφελον καὶ ὑμεῖϲ τὴν μακρὰν ἐπορεύεϲθε· ῥᾷον ἂν δι' ἐκείνηϲ ἢ διὰ ταύτηϲ ἤλθετε. οὐκ ἴϲτε, ὅτι μεγάλαϲ ἔχουϲιν αἱ ϲύντομοι τὰϲ χαλεπότηταϲ; καὶ . . . ἐν ταῖϲ λεωφόροιϲ ὁ μὲν τὴν ϲύντομον ἐλθεῖν δυνηθεὶϲ ῥᾷον ἐκπερίειϲι τὴν κύκλῳ, οὐκέτι μέντοι τὸ ἀνάπαλιν ὁ κύκλῳ πορευθεὶϲ ἔλθοι ἂν πάντωϲ καὶ τὴν ἐπίτομον. in Cynicorum epistulis subditivis illis quidem sed non inutilibus ad posterioris aevi κυνιϲμὸν recte iudicandum Diogenes ab Antisthene monstratas sibi esse scribit duas vias quibus ad virtutem eatur, alteram multiplicibus tortuosam anfractibus sed planam facilemque, abruptam sed compendiariam alteram, quarum se posteriorem ingressum esse (ep. 30); similiter viam praecipitem arduamque describit in ep. 37, 4 sq.[1]) eandem similitudinem adhibet Lucianus in rhet. praec. 7 sqq., ubi duas enarrat vias quibus ad summam artis oratoriae perfectionem perveniatur: ἡ μὲν ἀτραπόϲ ἐϲτι ϲτενὴ καὶ ἀκανθώδηϲ καὶ τραχεῖα, πολὺ τὸ δίψοϲ ἐμφαίνουϲα καὶ ἱδρῶτα· καὶ ἔφθη γὰρ ἤδη Ἡϲίοδοϲ εὖ μάλα ὑποδείξαϲ αὐτήν, ὥϲτε οὐδὲν ἐμοῦ δεήϲει· ἡ ἑτέρα δὲ πλατεῖα καὶ ἀνθηρὰ καὶ εὔυδροϲ κτλ. maxime autem ad fr. nostrum appositus est locus ex Maximi Tyrii diss. 39 (εἰ ἔϲτιν ἀγαθὸν ἀγαθοῦ μεῖζον. ὅτι οὐκ ἔϲτιν) c. 3 p. 246 R, ubi via describitur qua ad virtutem itur ϲτενὴ καὶ ὄρθιοϲ καὶ τραχεῖα καὶ οὐ πολλοῖϲ πάνυ ὁδεύϲιμοϲ κτλ., deinde in diss. 40 (εἰ ἔϲτιν ἀγαθὸν ἀγαθοῦ μεῖζον. ὅτι ἔϲτιν) in diversam partem disputatur sic (c. 4 p. 262 R): οὐχ ὁ μὲν Cωκράτηϲ περιάγων τὸ ἀγαθὸν (i. e. angusto gyro circumcludens, restringens) καὶ περιάγων αὐτοῦ τὴν οὐϲίαν ἐν τῷ ἀρίϲτῳ μόνῳ διέϲκαψε καὶ διετείχιϲε τὴν ἐλπίδα τῶν πολλῶν τῆϲ ἐπ' αὐτὸ ὁδοῦ; ὁ δὲ ὑποβάθραϲ διδοὺϲ καὶ ἀναπαύλαϲ διὰ μέϲου καὶ ἀναγωγὰϲ πολλὰϲ προὔπεμψε πόρρω πάνυ ὡϲ τευξόμενον τοῦ μετρίου, παρεμυθήϲατο δὲ τῇ ἐπιτυχίᾳ τὸν προελθόντα ἤδη ὡϲ προϲεληλυθότα τῷ ἀρίϲτῳ. his deverticulis[2]) quae sunt in via bene respondent

1) Errat in hac re exponenda Marcksius 'symb. crit. ad epistologr. graec.' diss. Bonn. 1883 p. 9.

2) Haec ('Herbergen') commemorantur etiam a Themistio in or. περὶ ἀρετῆϲ p. 20 (in mus. Rh. 27, 441), ubi amplissima exstat harum viarum descriptio. ex Maximo haec non sumpsit Themistius. paulo

Varronis ectropae, nisi quod in his rectam viam sciscitari, in illis laborum quietem capere homines dicuntur. quid quod ectropae illae quales fuerint, etiam nunc ratione probabili indagari potest; Cynici enim et qui erant inter Stoicos paene Cynici neglectis τοῖς ἐγκυκλίοις μαθήμασιν omnibusque artibus τῇ ψευδοπαιδείᾳ inservientibus ad virtutem perveniri posse acerrime contenderunt; qui ab hac rigida sapientia paulum deflexerunt, liberales artes προπαιδευμάτων loco habendas esse dixerunt (cf. Praechter 'Cebetis tabula' diss. Marb. 1885 p. 62 sq. et 94 sq. Sen. ep. 88, 24 sqq. 36 cum Hirzelii explicatione l. c. II 525, 1): iam conferas velim, quemadmodum Epictetus in diss. III 23, 36 sqq. loquatur de homine qui nimio eloquentiae studio abreptus virtutis locum deseruit: τί οὖν ἐστι τὸ γινόμενον; οἷον εἴ τις ἀπιὼν εἰς τὴν πατρίδα τὴν ἑαυτοῦ καὶ διοδεύων πανδοκεῖον καλόν, ἀρέσαντος αὐτῷ τοῦ πανδοκείου, καταμένοι ἐν τῷ πανδοκείῳ· ἄνθρωπε, ἐπελάθου σου τῆς προθέσεως· οὐκ εἰς τοῦτο ὥδευες ἀλλὰ διὰ τούτου. "ἀλλὰ κομψὸν τοῦτο". πόσα δ' ἄλλα πανδοκεῖα κομψά; πόσοι δὲ λειμῶνες; ἀλλ' ἁπλῶς ὡς δίοδος .... (§ 40) ἐπεὶ διὰ λόγου καὶ τοιαύτης παραδόσεως ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον δεῖ καὶ τὴν αὑτοῦ προαίρεσιν ἐκκαθᾶραι καὶ τὴν δύναμιν τὴν χρηστικὴν τῶν φαντασιῶν ὀρθὴν κατασκευάσαι, ἀνάγκη δὲ τὴν παράδοσιν γίνεσθαι τῶν θεωρημάτων καὶ διὰ λέξεως ποιᾶς ...· (41) ὑπ' αὐτῶν τινες τούτων ἁλισκόμενοι καταμένουσιν αὐτοῦ, ὁ μὲν ὑπὸ τῆς λέξεως, ὁ δ' ὑπὸ συλλογισμῶν, ὁ δ' ὑπὸ μεταπιπτόντων, ὁ δ' ὑπ' ἄλλου τινὸς τοιούτου πανδοκείου· καὶ προσμείναντες κατασήπονται ὡς παρὰ Σειρῆσιν (cf. etiam § 43).[1]) vides ab Epicteto artes logicam et rhetoricam non prorsus respui sed, ut dixi, προπαιδευμάτων loco haberi: adde ceteras artes et quae vulgo liberales dicebantur et quae a philosophis προπαιδεύσεως causa adhibebantur: habes Varronis ectropas, quibus iter munitur simul et tardatur.

Ceterum imagine illa de viis sumpta in aliis quoque saturis Varro usus est; scripsit multorum philosophorum exemplum secutus saturam

---

aliter Democritus (in Stob. flor. XVI 21) βίος ἀνεόρταστος μακρὴ ὁδὸς ἀπανδόκευτος.

1) Cf. Suid. s. v. Νικόλαος = Nicolai Damasceni fr. 2 in FHG III p. 349 Muelleri: ἔφη δὲ Νικόλαος ὁμοίαν εἶναι τὴν ὅλην παιδείαν ἀποδημίᾳ. ὡς γὰρ ἐν ταύτῃ προσσυμβαίνει τοῖς ἀποδημοῦσι καὶ μακρὰν ὁδὸν διεξιοῦσιν ὅπου μὲν ἐγκατάγεσθαί τε καὶ ἐναυλίζεσθαι μόνον, ὅπου δὲ ἐναριστᾶν, ὅπου δὲ πλείους ἐνδημεῖν ἡμέρας, ἐνίους δὲ τόπους ἐκ παρόδου θεωρεῖν, ἐπανελθόντας μέντοι ταῖς ἑαυτῶν ἐνοικεῖν ἑστίαις· οὕτω καὶ διὰ τῆς ὅλης παιδείας διερχομένους δεῖν ἐν οἷς μὲν ἐπιτηδεύμασιν ἐπὶ πλέον ἐνδιατρίβειν, ἐν οἷς δ' ἐπ' ἔλαττον καὶ τὰ μὲν ὅλα, τὰ δὲ ἐκ μέρους, τὰ δὲ ἄχρι στοιχειώσεως παραλαμβάνειν καὶ τὸ ἐκείνων χρήσιμον κατασχόντας ἐπὶ τὴν ὡς ἀληθῶς πατρῴαν ἑστίαν ἀνελθόντας φιλοσοφεῖν. cf. etiam Metrodori Epicurei liber περὶ τῆς ἐπὶ σοφίαν πορείας, cuius non extant fragmenta.

Περὶ αἱρέσεων

cuius praeter duo fragmenta prorsus obscura (400 401) exstat hoc

402 'porro inde ab uno quoque compito ternae viae oriuntur, e quibus singulae exitum ac τέλος habent proprium. a primo compito dextimam viam muniit Epicurus'

quae verba varie suppleri possunt, quoniam Varro suamne sectarum partitionem ab Augustino (de civ. dei XIX 1—3) enarratam secutus sit — quae est Vahleni opinio (l. c. p. 117) — an illam quam Antiochus statuerit — cf. Hoyer 'de Antiocho Ascalonita' diss. Bonn. 1883 — ex hoc fragmento nullo modo dispici potest (cf. etiam fr. 483 484 aeque dubia).[1])

Denique ad viarum similitudinem pertinet satura

Τριοδίτης τριπύλιος
περὶ ἀρετῆς κτήσεως

ad quam Vahlenus (anal. Non. p. 31) rettulit memorabile fragmentum (560) a Serv. Dan. ad georg. I 34 servatum, quod Varro petiit ex Empedotimo, mago quodam Pythagoreo. qua de satura viri docti quid opinati sint magis minusve incerta videsis apud Riesium.[2])

Redeo ad saturam περὶ φιλοσοφίας, restat enim unum fr.

419 'itaque videas barbato rostro illum commentari et unum quodque verbum statera auraria pendere'

quo lepide describitur philosophi cuiusdam 'verborum pensitatoris' (Gell. XVII 1, 3) deliberatio. sic Persius 3, 80 (de philosophis) 'obstipo capite et figentes lumine terram | murmure cum secum et rabiosa silentia rodunt | atque exporrecto trutinantur verba labello', ubi v. Iahnii adnotatio. Stoicum, ni fallor, philosophum Varro irridet, ineptum verborum captatorem (cf. Cic. de off. I 7, 23 fr. apud Fest. 202, 25 Plut. de vitioso pudore 2 p. 529 D Lucian. Hermot. 79 bis

1) Singulis sectis singulae viae assignabantur, cf. Lachmannus ad Lucr. VI 27 Lucian. Hermot. passim, maxime c. 25 sq. Max. Tyr. diss. 7 et 8 p. 121, 39 c. 3 p. 245 sq. R Iulian. or. 6, 184 C sq. Themist. or. 8, 104 20, 236^b et περὶ ἀρετῆς in mus. Rh. 27, 439—442.

2) Ad fr. 561 'priusquam in orchestra pythaules inflet tibias, domi suae ramices rumpit' adnoto tibicinis exemplo Diogenem quoque usum esse, ut virtutem ἀσκήσει parari doceret (Laert. D. VI 70), cf. etiam Hor. de art. poet. 414 sq. 'qui Pythia cantat | tibicen, didicit prius extimuitque magistrum'. Varro etiam alio exemplo utitur hoc (fr. 559):

'nám ut ecus qui ad vehendum est natus, támen hic traditur magistro,
ut equiso doceat tolutim':

iam hoc mihi videtur memorabile esse, quod utrumque exemplum et pythaulae et equi ad eandem rem demonstrandam coniungit Himerius or. XXIV in.

acc. 21). fortasse igitur non magno spatio hoc fr. a 418 diremptum erat, ad quod vide locum ex Epicteto ascriptum.

Ad hoc saturarum genus aliquo modo pertinet

Virgula divina

ascribo primum Ciceronis locum ab interpretibus allatum, quo de virgula divina certiores reddimur: de off. I 44, 158 'nec verum est ... propter necessitatem vitae ... initam esse cum hominibus communitatem ..., quod, si omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio negotiis omnibus omissis totum se in cognitione et scientia conlocaret.' hinc virgulam divinam apud Romanos in proverbium venisse aut proverbii saltem speciem obtinuisse apparet.[1])

---

1) Omnino haec res inter eas est, quae casca superstitione sacratae non singularum nationum propriae sunt sed ubique fere occurrunt. ut contineam me in exemplis petitis a Graeciae Italiaeque populis (de Germanis cf. de Hahn 'sagwissensch. Studien' ind. s. v. 'Stab'): quis non novit Circae baculum (κ 238 293 319 389), quis non Mercurii, quo ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει κτλ. (Ω 343 ε 47 ω 2 Verg. Aen. IV 244 sqq.) defunctosque in Orcum compellit (ω 5, Plutonis virgam substituit Pindarus ol. IX 50 sqq.), quo iuvenis fit Protesilaus mortuus (Luc. dial. mort. 23, 3), homines μεταμορφοῦνται (Ant. Lib. 10 15 21), domantur gigantes (Themist. or. 14, 208ª), quem Mercurio donavit Apollo: ὄλβου καὶ πλούτου δώϲω περικαλλέα ῥάβδον c. q. s. (hymn. in Merc. 529 sqq. cf. schol. Il. O 256), quis non Aesculapii ῥάβδον ornatam angue, bestia rerum magicarum propria, quis denique non Minervae virgam, qua Vlixes transformatur (ν 429 π 172 456)? cf. praeterea Mart. Cap. I § 7 'Delius quoque ... divinatrice eadem coniecturalique virga illi ac fulgurum iactus atque ipsius meatus caeli siderumque monstrabat', ib. § 9 'volatilem virgam, uti secum mundi penita permeare ... Virtuti demere permittit' (sc. Mercurius). Isidi quoque virgam tribuit Martianus II § 176. — Procl. comm. in Plat. reip. l. X p. 64, 26 Sch ὅτι δὲ καὶ ἐξιέναι τὴν ψυχὴν καὶ εἰϲιέναι δυνατὸν εἰϲ τὸ ϲῶμα, δηλοῖ καὶ ὁ παρὰ τῷ Κλεάρχῳ τῇ ψυχουλκῷ ῥάβδῳ χρηϲάμενοϲ ἐπὶ τοῦ μειρακίου τοῦ καθεύδοντοϲ ....· τῇ γὰρ ῥάβδῳ πλήξαϲ τὸν παῖδα τὴν ψυχὴν ἐξελκύϲαϲ καὶ οἷον ἄγων δι᾽ αὐτῆϲ πόρρω τοῦ ϲώματοϲ ἀκίνητον ἔδειξε τὸ ϲῶμα ...· ἐκείνην δὲ μεταξὺ διενεχθεῖϲαν πόρρω τοῦ ϲώματοϲ εἰϲ αὐτὸ δι᾽ αὐτῆϲ ἀγομένην τῆϲ ῥάβδου μετὰ τὴν εἴϲοδον ἀπαγγέλλειν ἕκαϲτα. magorum ῥάβδοι in papyris magicis aliquotiens commemorantur, ut in pap. Parisiensi ed. Wesselyus (a. 1888) v. 1028, pap. I ed. Partheyus v. 279 236. sic apud Plutarchum (de ser. num. vind. 21 p. 568 A) homo quidam, qui more sollemni 'mortalem detersus aspectum' (ut utar Varronis verbis fr. 560) rebus caelestibus initiatur, narrat: μέχρι μὲν οὖν τούτων εἶναι θεατήϲ· ὡϲ δ᾽ ἀναϲτρέφειν ἔμελλεν, ἐν παντὶ γενέϲθαι κακῷ διὰ φόβον. γυναῖκα γάρ τινα λαβομένην αὐτοῦ θαυμαϲτὴν τὸ εἶδοϲ καὶ τὸ μέγεθοϲ "δεῦρο δή", εἰπεῖν, "οὗτοϲ, ὅπωϲ ἕκαϲτα μᾶλλον μνημονεύϲῃϲ". καί τι ῥαβδίον, ὥϲπερ οἱ ζωγράφοι, διάπυρον προϲάγειν, ἑτέραν δὲ κωλύειν. hinc etiam de festuca in manumissione adhibita et omnino de virgis sacerdotum regum nec non poetarum (cf. Hesiod. theog. 30 sq. Paus. IX 30, 3, Dissen. ad Pind. Isthm.

De argumento saturae Popma haec scribit: 'in virtute satis esse praesidii ad bene vivendum, ut si illa simus muniti, omnia nobis quasi virgula divina suppeditent.' hanc ille sententiam quam puto veram esse elicuit maxime ex fr.

571 'non quaerenda est homini qui habet virtutem, paenula in imbri?'

dicta haec esse apparet contra virtutis verae rigidum satellitem quendam ῥιγομάχον, qui αὐτάρκη esse virtutem ad vitam beatam vociferabatur, cf. Plut. 'Stoic. absurdiora dicere quam poet.' 5 p. 1058 D ὁ μὲν Ἰθακησίων βασιλεὺς προσαιτεῖ, λανθάνειν ὅς ἐστι βουλόμενος καὶ ποιῶν ἑαυτὸν ὡς μάλιστα "πτωχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιον"· ὁ δὲ ἐκ τῆς Στοᾶς βοῶν μέγα καὶ κεκραγὼς "ἐγὼ μόνος εἰμὶ βασιλεύς, ἐγὼ μόνος εἰμὶ πλούσιος" ὁρᾶται πολλάκις ἐπ' ἀλλοτρίαις θύραις λέγων·

Δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι· κάρτα γὰρ ῥιγῶ
καὶ βαμβακύζω.

(fere eadem leguntur de comm. not. 20 p. 1068 B). sic Epictetus de homine qui non nisi habitu cultuque Cynicum se profitebatur haec ait (diss. IV 8, 34): καθεῖκε τὴν κόμην, ἀντείληφε τρίβωνα, γυμνὸν δεικνύει τὸν ὦμον, μάχεται τοῖς ἀπαντῶσι· κἂν ἐν φαινόλῃ τινὰ ἴδῃ, μάχεται αὐτῷ. omnino hoc Cynicorum Stoicorumque de sapiente ἀπροσδεεῖ paradoxon inde ab Aristotelis temporibus (eth. Nic. 7, 14, 1153 b 19 et apud Laert. D. V 30, cf. Bernaysius 'd. Dialoge des Aristot.' p. 87 sq.) unum omnium maxime irrisum est.[1])

Cum hoc fragmento apte coniungitur

572 'praesertim cum ventrem meum coerceam nec murmurari patiar'[2])

de esuriente haec dicta esse puto, sic Plautus Cas. 803 'mihi ieiunitate (sic recte FSchoellius palimpsesti vestigia secutus, qui exhibet 'iam nunitate'; 'inanitate' cett.) iamdudum intestina murmurant' Men. 925 'dic mihi, en umquam intestina tibi crepant, quod sentias? — | Ubi satur sum, nulla crepitant: quando esurio, tum crepant.' 'ven-

---

3, 56 [65]) indicandum (cf. Paulus Festi p. 64 s. 'caduca auspicia' et 'commetacula', p. 113 s. 'inarculum', Serv. ad Aen. II 683 IV 136 244 VIII 664 X 270, Aesch. Suppl. 238 K, Buecheler Vmbricorum p. 50). virga circumscripsit C. Popillius Laenas Antiochum regem veluti gyro magico (Liv. XLV 12). Vergilii nomen a magorum virga derivabant medii aevi homines.

1) Huc etiam pertinere videtur Lucil. fr. 444 L XV 33 M 367 B, ubi in argumento simillimo (cf. OKeller in mus. Rh. 31, 143) leguntur haec: 'paenula, si quaeris, cantherius, servos, segestra | utilior mihi quam sapiens.'

2) 'patiar' vulgo post Iunium, 'patiatur' codd.: fortasse manca sententia.

trem coercere' sic puto dici ut 'ventrem coartare' dicit Paulus Festi p. 96 in explicandis Lucilii versibus 420 sq. L XV 28 sq. M 364 B "quae (sc. paupertas, cf. Marxius stud. Lucil. p. 18 sq.) gallam bibere ac rugas conducere ventri | farre aceroso, oleis, decumano pane, cumino | cogit" (versus correxit Marxius l. c.): 'praemonet parsimonia esse utendum neque gulae indulgendum ventremque coartandum.' nolo enim in Varronis fragmento 'ventrem coercere' interpretari 'ventrem continere' (cf. Petr. 47, Phaedr. IV 19, 31 sq.) nec 'murmurari' intellegere de crepitu ventris (Plaut. Poen. 610 Suet. Claud. 32 al.) coll. Cic. ad fam. IX 22, 5 'illi (Stoici) etiam crepitus aiunt aeque liberos ac ructus esse oportere': neque ignoti sunt Cynici πόρδωνες.

Artissimo metri sententiaeque vinculis coniuncta sunt fragmenta haec:

565 ét pullos peperit fritinnientis
566 quós non lacte novo levata pascat
567 séd pancarpineo cibo coacto
libamenta legens caduca victus
568 ád quos cum volucris venit putillos[1])
usque ad limina nidica esca vilis[2])

His, ni fallor, exemplo de animalibus sumpto[3]) sola ἀσκήσει parari virtutem demonstratur, cf. Ps. Plut. περὶ ἀσκήσεως in mus.

1) 'putillos' Buecheler (cf. CIL VI 9630 'Scantia Putilla'), 'pusillos' Scaliger, 'ut illos' vel 'apud illos' codd.

2) Sic Scaliger; 'nidica vilis' codd. p. 529 'nitida bilis' p. 366, 'nidi amica vilis' Buecheler.

3) Intellegitur videlicet hirundo (cf. Suet. prat. p. 253 R: 'hirundinum fritinnire vel minurrire', Ribbeckius coroll. com. p. XXXIII). ad hirundinis exemplum etiam in fr. 526 (ex ταφῇ Μενίππου) provocatur: 'ut hirundines culmis oblitis luto tegulas fingebant', cf. Plin. n. h. VII 56, 194 'Gellio (fr. 4 P) Toxius Caeli filius lutei aedificii inventor placet exemplo sumpto ab hirundinum nidis', Vitruv. II 1, 2, Plut. de soll. an. 20 p. 974 A ὧν (ζῴων) ὁ Δημόκριτος ἀποφαίνει μαθητὰς ἐν τοῖς μεγίστοις γεγονότας ἡμᾶς· ἀράχνης ἐν ὑφαντικῇ καὶ ἀκεστικῇ, χελιδόνος ἐν οἰκοδομίᾳ. omnino quantopere philosophis in deliciis fuerint similitudines a bestiis sumptae notum est; de Cynicis cf. EWeber l. c. p. 107 sqq., de Stoicis Chrysippus apud Plut. de Stoic. rep. 22 p. 1045 A, Cic. de fin. III 19, 62, de Epicuro Laert. D. X 137 (fr. 66 Vs), Cic. de fin. II 10, 31 sqq. 33, 109 sq. (irridetur haec Epicuri sententia in Plutarchi Gryllo, cf. Vsener praef. p. LXX et Arnimius 'deutsche Litt.-Zeit.' 1888 n. 6 p. 197), de Antiocho Cic. de fin. V 15, 42 (cf. Tusc. V 27, 79 34, 98). ex posterioribus e. g. nomino Philon. 'quod omn. prob. lib.' § 19, II p. 466, Muson. ap. Stob. flor. XXIX 75 (II p. 11 M) et saepius, Plut. de amore prolis 1 p. 493 A. huc pertinet Varronis fr. 559 ex sat. περὶ ἀρετῆς κτήσεως: 'nám ecus qui ad vehendum est natus, tamen hic traditur magistro, | ut equiso doceat tolutim' (cf. supra p. 316, 2). — Paulo aliter se habent fr. 236 'nemo est tam neglegens, quin summa diligentia eligat asinum, qui suam saliat equilam' et fr. 502 'an si equam emisses quadripedem, ut meo asino Reatino admitteres, quantum poposcissem dedisses equi-

Rh. 27 p. 533, qui ad hanc comprobandam sententiam mulierum anxios in educatione liberorum labores fuse enarrat: pueruli autem educationi quam apte pulli exemplum substituatur, videas ex Lact. de opif. dei c. 3.

Quae restant fragmenta quattuor (569 570 573 574) omitto, quia aut omnino obscura sunt aut quo olim nexu cum saturae argumento coniuncta fuerint, non discipitur.

Iam ad inscriptionem saturae redeundum est; agi de potestate quadam caelesti qua nobis quasi virgula divina omnia attribuantur certum est: virtutem intellexit Popma, quam mihi probari coniecturam supra dixi, nunc testimoniis allatis confirmare conabor. bene esset, si fides haberi posset his Pseudoplutarchi verbis pro nobilitate c. 17 ἀλλὰ τὸν Χρύσιππον ἀφῶμεν οὐχ ἅπαξ ἐναντιούμενον ἑαυτῷ, ὥςπερ ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ ἀγαθῶν καὶ ἐν τῷ Περὶ ῥητορικῆς, ὑγίειαν ἐάν τις ἐν τοῖς ἀγαθοῖς ἐναριθμῇ οὐκ ἀντιμάχεσθαι, καὶ ἐν τῷ Περὶ τῶν καθ᾽ αὑτὰ αἱρετῶν οὐδὲ μανίας ἀποστερεῖ τοὺς τούτων καταφρονοῦντας. καὶ τῷ ὄντι οὔτ᾽ ἐκεῖνος οὔθ᾽ οἱ Στωικοὶ δέονται τῆς εὐγενείας, ὅσοι τοιαύτης ἐφάπτονται φιλοσοφίας, ᾗ τὰ πάνθ᾽ ὡς ἀπὸ θείας ῥάβδου ἑαυτοῖς συντόμως χορηγεῖσθαι μεγαλαυχοῦνται· αὐτοὺς πλουσίους, εὐγενεῖς, καλούς, βασιλέας εἶναι. attamen neque hic nebulo, quisquis fuit[1]), nauci habendus est neque in uno qui has ineptias servavit codice legitur ῥάβδου sed μηχανῆς, cui in margine adscriptum est ῥάβδου, id quod vertit 'vetustus' interpres latinus (i. e. Arnoldus Ferronius Lugdun. a. 1556) et rectum esse videtur Ioanni Christophoro Wolfio, qui in anecd. Graec. t. IV Hamburg. 1724 p. 273 sqq. hunc libellum edidit.[2]) ad alios igitur probioris notae testes refugiendum est, hi licet saturae argumentum non digito monstrent. Epictetus diss. III 20, 12 sqq. sapientem omnes res sibi ut sint utiles efficere demonstraturus haec ait: τοῦτ᾽ ἔστι τὸ τοῦ Ἑρμοῦ ῥαβδίον. οὗ θέλεις, φησίν, ἅψαι, καὶ χρυσοῦν ἔσται. οὔ· ἀλλ᾽ ὃ θέλεις φέρε, κἀγὼ αὐτὸ ἀγαθὸν ποιήσω. φέρε νόσον, φέρε θάνατον, φέρε ἀπορίαν, φέρε λοιδορίαν, δίκην τὴν περὶ τῶν ἐσχάτων· πάντα ταῦτα τῷ ῥαβδίῳ τοῦ Ἑρμοῦ ὠφέλημα ἔσται. 13 τὸν θάνατον τί ποιήσεις; τί γὰρ ἄλλο ἢ ἵνα σε κοσμήσῃ; .... 14 τὴν νόσον τί ποιήσεις; ...... τί ἔτι ἄλλο ζητεῖς; πᾶν ὃ ἂν δῷς, ἐγὼ αὐτὸ ποιήσω μακάριον, εὐδαιμονικόν, σεμνόν, ζηλωτόν. quorsus haec? inquies: haec scilicet nihil ad sa-

menti?', quorum alterum ad uxorem caute eligendam, alterum ad dotem pertinere apparet (cf. Buecheler in mus. Rh. 20, 436): exemplum hoc sollemne erat inde a Theognidis tempore (v. 183 sqq.); cf. Immischius comm. in hon. Ribbeckii p. 73 sqq. Rohdius in mus. Rh. 27, 52 sq. (cf. etiam Senec. de matrimonio fr. 50 H).

1) Cf. Wyttenbachius, Plut. tom. V part. 2 p. 915, Welcker 'proll. Theogn.' p. LXX, Bernaysius 'die Dial. des Aristot.' p. 140 sq.

2) Homo ille qui scripsit 'μηχανῆς' ut solet balbutire magis quam graece loqui, intellexisse videtur τὸν ἀπὸ μηχανῆς θεόν; qui ascripsit illud 'ῥάβδου' Ciceronis loci memor erat.

turam; velim tamen huius virgulae divinae memor conferas verba quae leguntur in Plutarchei libelli 'Stoic. quam poet. absurdiora dicere' epitomae c. 4 p. 1058 C: ἐκ τῆς Στοᾶς γὰρ λαβόντα τὴν ἀρετὴν ἔστιν εἰπεῖν·

εὔξαι τί βούλει, πάντα σοι γενήσεται[1])

πλοῦτον φέρει, βασιλείαν ἔχει, τύχην δίδωσιν, εὐπόρους ποιεῖ καὶ ἀπροσδεεῖς καὶ αὐτάρκεις μίαν οἴκοθεν δραχμὴν οὐκ ἔχοντας. (sequitur paucis interpositis Stoicorum διασυρμὸς ille quem ad fr. 571 huius saturae adscripsi).[2]) en sapientem stoicum virgula illa divina praeditum, quam nos dicimus 'Wünschelruthe'.

Hanc interpretationem cave eam ob rem falsam esse iudices, quod rigida illa Stoicorum virtus et in hac satura (fr. 571 sq.) et alibi (fr. 245) a Varrone irrideatur; nam praeterquam quod adversarius aliquis ita potuit loquens induci, Antiochus quoque virtutis 'caelestem quandam et divinam esse praestantiam' eaque sola beatum esse sapientem affirmabat (Cic. de fin. V 32, 95): potuit igitur is quoque virgulam divinam dicere virtutem, modo ne intellegatur stoicae virtutis αὐτάρκεια supra modum humanum elata. neque id mihi videtur neglegendum esse, quo divina virtutis potentia explicetur, quod inde a Cynicis[3]) — omitto enim antiquiores philosophos physicos — viri boni et sapientis praestantia ab omnibus fere philosophorum sectis adeo exaggerabatur, ut a deorum maiestate non differre diceretur, cf. Zeller l. c. p. 252, 1, Vsener ad Epic. fr. 602, Wendlandius 'quaest. Muson.' p. 10, 4, Hirzelius l. c. III p. 48 sq. addo Aristot. eth. Nic. VIII 1, 1145a 18 sqq.

Scaenatilem saturarum suarum modum Varro ipse dicit in fr. 304 (cf. p. 272, 4); dialogi manifestissima vestigia composuerunt cum alii tum Riesius praef. p. 29; idem (l. c.) Luciani dialogos maxime in auxilium vocandos esse rectissime dicit. tamen hoc semper tenendum est singulas saturas fortasse vario compositionis genere conscriptas fuisse. egregia Platonis in dialogis instituendis artificia a posteris varie immutata esse nemo nescit[4]); in Aristotelis dialogis

1) Versus Menandri est (fr. 537, III p. 160 K), cf. Stob. flor. XCI 29, ubi plenior extat locus.

2) Haec Plutarchi verba falsario illi ante oculos fuisse puto, cum scriberet verba supra allata.

3) Pie Socrates apud Xen. mem. I 6, 10 ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ μηδενὸς δέεσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δ' ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου. (cf. Laert. D. II 27, epist. Socrat. 6, 4, [Lucian.] Cyn. 12).

4) Cf. de tota hac re Schlottmannus, 'ars dialogorum componendorum quas vicissitudines apud Graecos et Romanos subierit' Rostochii 1889, quocum non in omnibus consentio. ceterum maxime operae pre-

sermones ita induci ceterorum, ut penes ipsum sit principatus auctor est Cicero in epp. ad Att. XIII 19, 4 et ad Q. fratr. III 5; non ita multum igitur is a Platonis more descivit, nisi quod omisso omni apparatu scaenico ipse se colloquentem induxit, Plato Socratem; Aristotelem secuti sunt Dicaearchus et Clearchus (cf. Schlottmannus dissertationis infra nominatae p. 25 sqq.). multum mutavit Aristotelis aequalis Heraclides Ponticus, a quo ita rem institutam esse, ut personas iam mortuas inter se disputantes faceret, cum ipsius κωφὸν esset πρόσωπον, idem Cicero refert ll. c. huius morem secutus est Aristo Ceus, philosophus Peripateticus, qui Tithonum de senectute disserentem fecit (Cic. de sen. 1, 3); de aliis Peripateticis qui ad hunc modum dialogum instituisse videntur cf. Schlottmannus p. 30. novam prorsus artem invenit Bio Borysthenita, quem in quibusdam rebus fortasse Aristippi exemplum secutum primum[1]) diatribas conscripsisse acuta Heinzii (l. c. 6, 2. cf. mus. Rh. 45, 507 sq.) disputatione docti sumus; in his diatribis 'ipse sibi fingebat adversarium quocum videretur loqui, quem redargueret increparet irrisum haberet' (Heinzius p. 7); contra Menippus, quantum ex Luciani imitatione concludimus, ad Platonis morem rursus se applicuit multis tamen ex comoedia sumptis. quae scribendi genera Romani Graecos imitati receperunt ita, ut alius alio genere uteretur ac ne singuli quidem scriptores singula tantum genera adhiberent sed modo hoc modo illud in usum vocarent. de Cicerone omnia nota sunt, cf. Schlottmannus p. 38 sqq. Bioneae formae paene consentire carmina Luciliana Acro dicit ad Hor. epist. II 2, 60: sed in reliquiis Lucilii huius rei nec volam esse nec vestigium fatendum est. Horatius Bionem primarium ducem videtur secutus esse in priore sermonum libro, cuius plurimae sane saturae diatribarum formae simillimae sunt; in altero diatribarum forma prorsus relicta dialogi varia genera adhibuit.

Haec eam ob causam rettuli, ut per se quidem nihil obstare ostenderem, quominus a Varrone multiplices dialogi instituendi modos adhibitos esse putemus: certa tamen vestigia in saturis ipsis occurrere nego.[2]) velut Ritschelius opusc. III p. 482 Varronem in ea satura cui inscribitur

tium fecerit, si quis Schlottmanni opusculum ita continuabit, ut hanc scribendi rationem usque ad ultimam utriusque gentis aetatem persequatur.

1) Prorsus enim nihili aestimo Schlottmanni coniecturam (p. 32), qui iam Stilponi hunc τῶν ἀορίστων προσώπων usum attribuere studet nullis omnino nisus fundamentis.

2) Aristotelio mori de omnibus rebus in utramque partem dicendi (cf. Cic. de or. III 21, 80 Tusc. I 3, 9) maxime respondere videntur acres duorum adversariorum disputationes, quae saepe in Varronis saturis occurrunt, cf. praesertim 'Γνῶθι σεαυτόν' 'Meleagri' '"Ονος λύρας'.

Tithonus

περὶ γήρωϲ

Aristonis Cei exemplum de quo supra dixi secutum esse coniecit, cuius sententiam a Riesio[1]) (praef. p. 29) et Ribbeckio (hist. poes. rom. I p. 263 sq.) probatam rectissime in dubitationem vocavit Hensius 'Teletis reliquiae' proll p. C adn. ceteras enim saturas quotienscumque animo perlustro, se ipsum significare Varronem pro certo habeo; nam sive etiam post annum ab u. c. 709, quo anno Varro ipse in Cic. ac. post. I 2, 8 de 'veteribus' Menippeis suis loquitur, ad saturas componendas rursum eum aggressum esse credimus, sive hanc saturam a Varrone annos nato e. g. sexaginta conscriptam esse fingimus[2]), quod si ponimus tredecim fere anni intermittuntur usque ad Ciceronis academica posteriora, non video cur se ipsum Tithonum vocare non potuerit. quid quod huius saturae fr.

548 'risi multum, lusi modice'

optime intellegitur de Varrone[3]), qui Cynicorum more ϲπουδογελοίῳ[4]) hominum vitia saturis suis tetigit.

Similiter haeremus in satura cui titulus est

---

1) Is miro quodam studio abreptus Ciceronis 'Catonem de senectute' Ἡρακλείδειον illud esse in Ciceronis ad Atticum epistulis saepe nominatum (XV 4, 3 13, 3 27, 2 XVI 2, 6) putat (praef. p. 34), id quod temporum ratione falsissimum esse evincitur (cf. ep. ad Att. XIV 21, 3). Riesio adstipulatus est Schlottmannus p. 31.

2) Cavendum est, ne in hoc aetatis termino — sexagesimum dico annum — offendamus. in ea enim satura quae 'Sexagesis' inscripta est, Varro fingit se sexagenarium ut senem delirum more vetusto in Tiberim depontari; veteribus enim annus sexagesimus 'quasi terminus fuit robustae et vegetae aetatis' (sunt verba Meinekii anal. Athen. p. 346, ubi v. testimonia; cf. etiam O Keller in ann. nov. 1886 p. 846 sqq.).

3) Sic etiam Mommsenus 'röm. Gesch.' III[7] 609.

4) De hoc omnia nunc nota sunt. — De Menippo ridente cf. Luc. dial. mort. 1, 2 10, 9 necyom. 21 Icaromen. 4 18 sq. bis acc. 33 cf. Charont. 21. saepe ridendi verbo usi sunt saturarum scriptores: Hor. s. I 1, 24 Pers. 1, 12 3, 87. de ludendi verbo cf. Plat. conv. 216 E de Socrate: εἰρωνευόμενοϲ δὲ καὶ παίζων πάντα τὸν βίον πρὸϲ τοὺϲ ἀνθρώπουϲ διατελεῖ. Philo de plantat. Noë § 40, I p. 354 (veterem philosophum secutus, Stoicum ut videtur cf. Arnimius 'Quellenstud. z. Philo' p. 101 sqq. 106, 1) λεκτέον ὅτι οὐ ϲκυθρωπὸν καὶ αὐχμηρὸν τὸ τῆϲ ϲοφίαϲ εἶδοϲ ὑπὸ ϲυννοίαϲ καὶ κατηφείαϲ ἐϲταλμένον, ἀλλ' ἔμπαλιν ἱλαρὸν καὶ γαληνίζον, μεϲτὸν γηθοϲύνηϲ καὶ χαρᾶϲ· ὑφ' ὧν πολλάκιϲ προήχθη τιϲ οὐκ ἀμούϲωϲ παῖξαί τι καὶ χαριεντίϲαϲθαι, παιδιὰν μέντοι τῇ ϲεμνότητι καὶ ϲπουδῇ καθάπερ ἐν ἡρμοϲμένῃ λύρᾳ φθόγγοιϲ ἀντιφώνοιϲ εἰϲ ἑνὸϲ μέλουϲ κρᾶϲιν ϲυνηχοῦϲαν (cf. Themist. περὶ ἀρετῆϲ p. 42 in mus. Rh. 27, 452: „Worte des Diogenes, in deren Tiefe Ermahnung verborgen, über denen aber Lustigkeit ausgebreitet lag"). hinc Lucilii saturae sunt 'ludus ac sermones' (934 L). hinc Persius 5, 16 se 'ingenuo culpam defigere ludo' dicit, cf. 1, 117.

Agatho.

in hac satura de conviviis instituendis agi fragmenta indicant; ipsius autem Agathonis partes fuerint necne, non cognoscitur; neque enim Agathonem puto significari in fr.

6 neque aúro aut genere aut multiplici scientia
sufflatus quaerit Socratis vestigia

quae est Riesii sententia in adn. ad hanc saturam; rectius fortasse idem (praef. p. 21) Menippum intellexit, quamquam ne hoc quidem certum esse apparet. — ex novem quae supersunt eius saturae fragmentis unum hoc est:

13 'quid multa? factus sum vespertilio, neque in muribus plane neque in volucribus sum.'

nobile erat aenigma illud graecum, in quo vespertilionis similitudine significabatur eunuchus (cf. Plat. rep. V 479 C cum schol., Clearchus apud Athen. X 452 C sq.), in Stoicorum scholiis logicis tritissimum (cf. Prantelius, 'Gesch. d. Logik i. Abendl.' I p. 360 399 453; de Epicuro cf. Vsener ad fr. 244ª p. 348)[1]); iam finge haec ab ipso Agathone honestis verbis rem turpem celaturo dici: nam eunuchus quidem Agatho non erat, sed antica parte vir, mulier postica, ita ut in Thesmophoriazusis Mnesilochus cum virgine an cum iuvene loquatur nesciat (cf. v. 30—265, maxime 130—143); aptissime igitur ut eunuchus, incerti sexus homo, τεχνητὸν γύναιον, διγενὲς ἡμιάνδριον (Diog. apud Theophylact. ep. 43), sic etiam γυναικανήρ vel ἀρσενόθηλυς vespertilio dici potuit. quamquam minime hinc efficitur Agathonem significari ipsum: id tamen puto certum esse vespertilionis similitudinem referendam esse ad talem ἄνθρωπον οὐκ ἄνθρωπον (cf. Fabric. bibl. Gr.[1] XIII p. 592), sive eunuchus is fuit sive pathicus. nam quae extant aliae vespertilionis et hominis comparationes — Aristophanes in av. 1290 1564 Chaerephontem νυκτερίδα dicit, ut adnotant interpretes, διὰ τὴν χροιάν, πύξινον (Eupol. fr. 239, I p. 322 K); ab Aristophonte comico apud Athen. VI 238 C (fr. 10, II p. 280 K) homo quidam λυχνόβιος dicitur καθεύδειν μηδὲ μικρὸν νυκτερίς; in Aesopi fabulis quae feruntur apud Romulum (III 4 O) vespertilio hominem bilinguem denotat —, eae omnes a nostro fragmento alienae sunt propter verba 'neque in muribus plane neque in volucribus sum'.

Omnino semper in hac difficultate haeremus, ut cum in inscriptione legatur nomen hominis mortui aut herois, appellative, ut aiunt, adhibitum sit illud nomen necne nesciamus. velut Serranus

1) Paulo aliter Lucianus eunuch. c. 8 ἀμφίβολόν τι ζῷον εἶναι (sc. τὸν εὐνοῦχον) κατὰ ταὐτὰ ταῖς κορώναις, αἳ μήτε περιστεραῖς μήτε κόραξιν ἐναριθμοῖντο ἄν. cf. Birtius 'zwei polit. Sat. d. alt. Rom' p. 55.

ille, cuius nomen praefixum est saturae continenti agriculturae vitaeque rusticae laudes, vulgo intellegitur C. Atilius Serranus cos. a. u. c. 497 et 504: verum quidni intellegamus hominem nescio quem aevi Varroniani, fortasse Varronem ipsum, vitae rusticae deditum? mature enim Serrani nomen ut Cincinnati in proverbium venit, quod vulgo falsa scilicet opinione ducti (cf. Mommsenus ad CIL I 549) a serendi verbo veteres derivabant (cf. Plin. n. h. XVIII 3, 20, Verg. Aen. VI 845, schol. Pers. 1, 74). — In 'Sesculixe' Varronem suas ipsius peregrinationes variosque errores enarrasse mihi ceterisque quantum video omnibus praeter Riesium persuasit Vahlenus (l. c. p. 110 sqq.). sed in satura cui inscribitur 'Prometheus Liber'[1]) Prometheum ipsum induci ex fragmentis apparet.

In earum saturarum serie quibus nomina hominum heroumve inscripta sunt, praeter eas, de quibus propter fragmentorum paucitatem nihil proferri potest[2]), adhuc omissae sunt tres:

Endymiones — Manius — Meleagri.

Prioribus titulis duobus significari videntur homines somno et venationibus dediti, nisi forte in comparationem vocandi sunt comoediarum graecarum inscriptiones quaedam pluraliter positae, ut Cratini Ὀδυςςῆς, quo de more nuper scripsit Wilamowitzius 'Eurip. Herakles' I p. 55 adn. 14.[3])

---

1) Antisthenis fragmentum illud a Themistio περὶ ἀρετῆς in mus. Rh. 27, 450 servatum, cuius fortasse simile fuisse huius saturae argumentum Ribbeckius dicit (hist. poes. rom. I p. 254 sq.), ego prorsus alienum esse censeo. veram interpretationis viam Buecheler mihi monstravit: sed hac de re nolo ut in transcursu agere.

2) 'Aiax stramenticius' 'Hercules Socraticus' 'Pseudaeneas' ('ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς'). in 'Oedipothyeste' puto irrisa esse Stoicorum παράδοξα illa de incestis ineundis matrimoniis et de esu carnis humanae, quas res ipsis Oedipodis et Thyestis exemplis defendere solebant (cf. Duemmler 'Antisthen.' p. 67 sq. EWeber l. c. p. 131 143 sqq. all. Origenes c. Cels. IV p. 194 Spenceri. hinc Christianis crimini dabantur Οἰδιπόδειοι μίξεις et Θυέςτεια δεῖπνα, cf. e. g. Athenag. suppl. c. 3 p. 4 C); fortasse more suo titulum huc illuc torquens Varro sui quoque temporis spurcas castigavit libidines, quales describit Catullus carm. 88 sqq. (cf. Riesii adn. ad hanc saturam).

3) Earundem inscriptionum numero tum singulari tum plurali positarum diversitatem, quam exemplis ex comoedia petitis notavit Usener in mus. Rh. 28, 405 sqq., cadere moneo in Varronis saturam cui inscribitur 'Synephebus περὶ ἐμμονῆς': 'Synephebos' enim scripserunt Caecilius et Pomponius, 'Aequales' Afranius, cf. Damoxeni comici Cύντροφοι. saturae huius argumentum prorsus obscurum est, nisi quod in fr. 514 servi de fuga deliberantes inducuntur, quo in argumento multi erant mimi (cf. Cic. pr. Cael. 27, 64, Sen. ep. 114, 6, schol. Iuv. 13, 109). ad eandem rem pertinet fr. 513 'crede mihi, plures dominos servi comederunt quam canes. quod si Actaeon occupasset et ipse prius suos canes

In Meleagris de venationis utilitate a duobus adversariis disceptatur; venandi studium his ipsis temporibus Romani a Graecis recepisse videntur, cum antea venationes inter servilia officia haberentur, cf. Kiesslingius ad Hor. carm. I 1, 28 sat. II 2, 11 epist. I 18, 49 et praesertim Roeper 'Varronis Eumenidum reliquiae' part. III p. 7 sq. — ceterum ne mireris hanc rem a Varrone in saturis tractatam esse, quibus numquam non aliquid ex philosophia admixtum sit, eiusmodi quaestiones a philosophorum disputationibus non omnino alienas fuisse moneo, cf. Xenoph. cyneg. passim, maxime c. 12 §§ 10—19 c. 13 § 11—18 Cyri inst. I 4, 5 sqq. Plat. legg. VIII 823 D—824 A, de Stoicis posterioribus cf. Ar. Did. Stob. ecl. II 120 (II 67, 5 W) φιλομουςίαν δὲ καὶ φιλογραμματίαν καὶ φιλιππίαν καὶ φιλοκυνηγίαν καὶ καθόλου ἐγκυκλίους λεγομένας τέχνας ἐπιτηδεύματα μὲν καλοῦςι, ἐπιςτήμας δ' οὔ, ἔν τε ταῖς ςπουδαίαις ἕξεςι ταῦτα καταλείπουςι κτλ. Cicero (de off. I 28, 104) venandi studium inter honesta exempla ludendi affert; Plutarchus in convivio de venationis utilitate disputationem habitam esse narrat (de soll. an. 1 p. 959 A 2 p. 960 B).

Ex 'Endymionibus'[1]) unum affero fr.

105 'animum[2]) mitto speculatum tota urbe, ut quid facerent homines cum experrecti sint, me faceret certiorem; siquis melius operam sumeret[3]), ut eius consilio potius vigilium adminicularem nostrum. quid vidit?

aliúm[4]) curvantem[5]) extremo[6]) noctis tempore'

---

comedisset, non nugas saltatoribus in theatro fieret': quorum verborum aliquatenus similia sunt ea quae leguntur in Dionis Chrys. or. 10 p. 296 R: ibi enim Diogenes insanire dicit dominum qui servum fugitivum retrahere studeat: πότερον οἴει πλείους ὑπὸ κυνῶν βλαβῆναι πονηρῶν ἢ ὑπ' ἀνθρώπων; ὑπὸ μέν γε κυνῶν φαύλων ἕνα τὸν Ἀκταίωνά φαςιν ἀπολέςθαι καὶ τούτων μανέντων· ὑπὸ δὲ ἀνθρώπων φαύλων οὐδὲ εἰπεῖν ἔςτιν ὅςοι ἀπολώλαςι ....· οἱ μὲν ὑπὸ οἰκετῶν, οἱ δὲ ὑπὸ ςτρατιωτῶν κτλ. 'comedere' verbum apparet ambigue positum esse, saepe enim invenitur 'bona aurum argentum patrimonium comedere' ut κατεςθίειν apud Graecos; nec non 'comedere aliquem' sic usurpatur a Plauto cf. Most. I 1, 10 Trin. 101 sq.

1) Ad titulum cf. Naevii com. 'Agrypnuntes', Alcaei comici Ἐνδυμίων (I p. 758 sq. K).

2) Hoc. v. male a quibusdam temptatum est; de animo qui a corpore segregatus 'peregrinatur' (Cic. Tusc. V 39, 114) cf. Rohdius in mus. Rh. 26, 557, 1.

3) 'operam superet' codd. 'o. sumeret' vulgo ex Scaligeri emendatione. locutio antiquior videtur esse: cf. Plaut. Curc. 468 Most. III 1, 54 Men. 244 Merc. 935 Stich. 70 Ter. Haut. 73 sq. 693 Hec. 25. ex posterioribus affertur Cic. Verr. IV 31, 69; 'operam insumere' primus dixit Cic. Verr. III 64, 150.

4) 'qui videt alium' cod. Harleianus, 'quid vidit aliad' ('ad' ex 'ud' facto) Leidensis secundum Onionsii collationem (l. c. p. 119). quae supra

In his editores omnes mutant 'curantem' (pro 'curvantem', cf. Riesii adn. crit.); ego retinendum esse verbum censeo. quid enim obstat, quominus animum primo diluculo operarios ferramenta falcemve curvantes conspexisse putemus? cf. Cic. Tusc. IV 19, 44 'cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae? qui dolere se aiebat, si quando opificum antelucana victus esset industria'; Ps. Plut. περὶ ἀσκήσεως in mus. Rh. 27, 526 de eodem: „Fünfzig Jahre liefs er die Lampe, des Lesens beflissen, nicht ausgehen, wie über ihn die Geschichtsschreiber sagen. · er verliefs die Stadt und ihren Tumult und wohnte am Hafen; des Morgens aber verkehrte er bei den Handwerkern, safs bei den Nadelmachern und beobachtete, wie sie die Nadeln bohrten und die Angeln krümmten"; de ferrariorum antelucano opificio cf. ib. p. 528 (de Platone): „Man erzählt, er habe neben einer Schmiede Wohnung genommen und sei durch das stete Hämmern wach geblieben und in der Nacht wie am Tage gewesen", Iuv. 7, 222 'mediae quod noctis ab hora | sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet, | qui docet obliquo lanam deducere ferro.'

Denique de 'Manio' non multa habeo quae addam Mommseni (hist. rom. III⁷ p. 609 adn.) et Buecheleri (mus. Rh. 20, 437 sq.) enarrationibus; Manium Varro intellegit et 'manum' i. e. bonum sed rustice sapientem — id enim voc. in malam partem abiit ut χρηστὸς (Bernaysius 'Phokion' p. 128 sqq.) εὐήθης, simplex-simple, 'un bon homme', silly-selig, schlecht, albern (cf. MMueller l. supra [p. 281, 2] c. p. 270 sq.) — [1]) et hominem iam multo mane πολυπραγμονοῦντα (fr. 259). memoratu digna haec fragmenta sunt:

225 'quod dum administrant, in scrobe fodiendo inveniunt arcam'
256 'tum ad me ferunt, quod libellionem esse sciebant'

Primus haec fragmenta coniunxit Vahlenus (l. c. p. 110), qui Numae Pompilii libros e terra erutos significari coniecit: eos a fossoribus ad Varronem libellionem i. e. φιλόβιβλον ferri; se enim ipsum 'libellionem' dicere Varronem iam Mommsenus (l. c. p. 605) intellexit, quamquam lexicographi cum Nonio adhuc 'tabellionem' interpretantur. equidem de Numae libris addubito, quamquam hanc rem Varro identidem narrat atque eo facetius ad se ipsum referre potuit, quia scribae illi, cuius in agro Numae arca inventa esse vulgo credebatur, nomen Terentio fuisse plurimi auctores testantur. verum si Varro se ipse induxit, minus recte Numae libri intellegi videntur

scripsi, Buechelero debentur, qui etiam versum agnovit. aliorum conamina v. apud Riesium.

5) Sic codd. omnes (nisi quod in *F* Onionsii inter 'r' et 'v' una littera erasa est).

6) 'extrema' codd., 'extremo' vulgo post Iunium.

1) De Manio i. e. homine rustico ineptove cf. Iahnius ad Pers. 6, 56 p. 225, Buecheler in ind. nom. in Petronii ed. min. s. v. 'Manios'.

dudum cremati. itaque Varronem exemplo a Numae libris petito fabulam illam redintegrasse putarim, cum alios libros nescio quos sed qui in argumento simili versarentur (cf. fr. 264—267) suo tempore effossos esse fingeret. id nemini, puto, a probabilitate abhorrere videbitur, qui in secretis secretorum inveniendis eiusmodi narratiunculas non raro occurrere meminerit. fabellam illam de Numae libris accurate imitatus est Dictys (cf. praef.); Plutarchus de genio Socr. 5 p. 577 E Agesilai temporibus Haliarti in Alcmenae monumento inventam esse narrat tabulam aeream litteris impletam vetustissimis, quarum cum forma Aegyptia[1]) esse visa sit, regi Aegyptio tabulam missam esse, si forte sacerdotes interpretari possent; apud eundem (de fac. in orb. lun. 26 p. 942 C) recondita quaedam doctrina ex membranis Carthagine effossis refertur. de Pseudodemocriti libris cf. Plin. n. h. XXX 9 cum adn. Dieterici in ann. nov. suppl. XVI 750, 2; Luciani Alexander ψευδόμαντις tabulas aereas defodit, quibus fucum faciat hominibus (c. 10); in Antonii Diogenis fabella (Phot. bibl. cod. 166, p. 111, 25 B) liber in mortui sepulcro poni iubetur (cf. Rohdius 'd. griech. Roman' p. 272, 2, 'über Lukians Schrift Λούκιος ἢ Ὄνος' p. 21, 1, ubi apud Indos similia narrari adnotat); Suid. s. v. Ἀκουσίλαος (indicavit Rohdius l. priore)· Κάβα υἱός, Ἀργεῖος..., ἱστορικὸς πρεσβύτατος, ἔγραφε δὲ Γενεαλογίας ἐκ δέλτων χαλκῶν, ἃς λόγος εὑρεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ ὀρύξαντά τινα τόπον τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Fabricius bibl. Gr. I⁴ p. 76 „'tabula smaragdina' magnae apud chemicos auctoritatis, quae in valle Hebron in sepulcro et in manibus cadaveris Hermetis a Sara reperta esse dicitur"; ib. p. 70 adn. „in prologo quodam ad Hermetis Κυρανίδα: αὕτη ἡ βίβλος κατεχώσθη ἐν λίμνῃ τῆς Συρίας ἐγκεχαραγμένη στήλῃ σιδηρᾷ".[2]) Flaccus Africus in tractatu de septem herbis (ed. Sathas. in 'documents inédits' vol. VII Parisiis 1888) p. LXIII: 'inveni in civitate Troiana in monumento reclusum praesentem libellum' e. q. s. (cf. HHauptius in Philol. vol. 48 p. 374 adn. 12). sic Sibyllae Albuneae simulacrum in Anienis gurgite inventum esse dicitur tenens in manu librum: cuius sortes senatus in Capitolium transtulit (Lact. inst. div. I 6). denique conferenda sunt Consi dei ara sub terra a Romulo inventa (Liv. I 9, 6 al.)[3]), Capitolinus collis dictus

1) Omnino totam hanc rem ad Aegyptiorum morem notissimum redire neminem latet.

2) Sic Pseudodemocriti 'physica et mystica' in columna quadam templi inclusa erant, qua rupta inveniebantur cf. Ps.-Dem. phys. et myst. c. 3 p. 42 sq. (ed. Berthelot-Ruelle 'collection des anciens alchimistes Grecs'). sic in inscriptione nuper Magnesiae inventa narratur Bacchi statuam in platano fulmine icta repertam esse, quae urbi illi causa fuerit eius dei colendi (cf. Reinachius 'acad. des inscr.' 1890 mens. Aug.); sic sortes Praenestinae perfracto saxo eruperunt, in robore insculptae priscarum litterarum notis (Cic. de div. II 41, 85).

3) Cf. Paulus Festi p. 350 'Terentum locus in campo Martio dictus, quod eo loco ara Ditis patris terra occultaretur.'

ab eo, quod ibi cum foderentur fundamenta aedis Iovis caput humanum inventum esse dicitur (Varr. de l. l. V 41, al.), bovis et equi capita inventa cum Carthago conderetur (Serv. ad Aen. I 443), Tages Etruscus bubulco arante ex terra exsiliens (Cic. de div. II 23, 50 sq. Serv. Dan. ad Aen. I 394).

Vnum huius saturae fr. propter sermonem memorabile est:

257 'Automedo meus, quod apud Plotium rhetorem bubulcitarat, erili dolori non defuit':

ad quae recte haec adnotat Riesius: „verba illa 'erili dolori non defuit', quae Automedo ille locutus est, a Varronis dicendi genere aliena et Ciceroniano magis accomodata sunt. quae ad L. Plotium auctorem referri memoratu perquam dignum." de L. Plotio Gallo nuper egregie disseruit Marxius ind. lect. Rostoch. hib. 1889 p. 9 sq. ille anno 662/92 rhetoricam latinam primus docuit Romae: neque extant illius locutionis exempla[1]) priora anno 674/80, quo anno Cicero in orat. pr. Sex. Roscio habita dixit (36, 104): 'vide ne tibi desis'. multa apud posteriores auctores exempla inveniuntur, quorum antiquiora haec sunt: Lucret. I 43 'nec ... communi desse saluti' (sic etiam Caes. b. g. V 33, 2), Caesar in suasione rogationis Plautiae (a. 684/70) apud Gell. XIII 3, 5 'equidem mihi videor pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse'. ceterum memorabile est a Cicerone hanc locutionem in libris qui conscripti sunt de philosophia quinquies tantum adhiberi (Tusc. V 38, 112 de off. III 2, 6 de rep. III 21, 32 VI 24, 26 de legg. III 6, 14), in libris rhetoricis bis (de or. I 1, 4 in προσφωνήσει ad Q. fratrem, Brut. 70, 245), in orationibus secundum Merguetium fere tricies, in epistulis fere quadragies. sic Horatius hanc locutionem vitavit in carminibus, ter adhibuit in sermonibus. nimirum urbane dicebant non 'adero' sed 'non deero', in quo quis non quaesitae orationis circulos sentit?

Eumenides

In finem reposui eam saturam, cuius multo plurima servata sunt fragmenta: quamquam totum argumentum redintegrare mihi non magis contigit quam eis qui ante me de hac satura disputaverunt.[2])

1) Falsa coniectura Franckeni a Baehrensio recepta unum exemplum Lucilio obtrusum est (693 L XXVIII 1 M 591, 4 B).

2) Ad probabilitatem proxime accessit fragmenta ipsa secutus Buecheler mus. Rh. 20, 427: homo aliquis — fortasse Varro ipse — postquam varia insaniae genera perlustravit, cum sit solus inter insanos sanus, ipse insaniae accusatur, sed a forensibus quasi νέος Orestes absolvitur. sic erant qui Cynicos insanire dicerent cf. Dio Chrys. or. 8

Primarium argumentum hoc fuisse, ut comprobaretur Stoicorum dogma ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται inter omnes constat; quod Varro ita instituit, ut a Furiis populum instigari fingat: fr.

146 'vix vulgus confluit non Furiarum sed puerorum atque ancillarum, qui omnes me bilem atram agitare clamitantes opinionem mihi insaniae meae confirmant'

Tres ex hac multitudine eximuntur: fr.

117 sed nós simul atque in summam speculam venimus
videmus populum furiis instinctum tribus
diversum ferri exterritum formidine.

Quid quod una Furia diserte nominatur in fr.

123 tertía Poenarum
Infámia stans nixa in vulgi
pectore flutanti, intonsa coma,
sordida vestitu, ore severo.

his de Furiis sive Poenis cum a saturae interpretibus non quaesitum sit, ipse conabor quaedam disputare (apparet enim id quasi fundamentum esse totius argumenti), atque cum allegorice Furiarum fabulam a Varrone explicatam esse ex Infamiae nomine eluceat, similem interpretandi rationem investigabo, quae quo clarius appareat paulo latius exspatiandum mihi est.

Mortis metum cum ex hominum vita depellere studeret Epicurus, nihil antiquius habuit quam ut ineptas esse demonstraret poenas quas apud inferos esse vulgus superstitiosum sibi persuaserat; quod ut efficeret, 'illas inferorum poenas', ut ait Lactantius inst. div. VII 7, 13, 'in hac esse vita interpretatus est' (fr. 341 Vs). egregiae huius doctrinae singula argumenta servavit Lucretius III 978—1023: Tantalus superstitiosum hominem significat, Tityus in amore iacentem omnibusque curis exesum, Sisyphus ambitiosum, Danaides diffluentem luxuria, denique Cerberum et Furias et Tartarum homines sibi ipsi fingunt quibus in hac vita vexentur male factorum conscii facinorumque flagellis exterriti. — huius doctrinae initia iam ante Epicurum inveniri puto. Plato enim in Gorgia p. 493 A sq., ubi Philolaum secutus vetustum illud Orphicorum dogma a Pythagoreis receptum de anima in σώματι quasi in σήματι sepulta affert, allegoricam adnectit Danaidum[1]) fabulae interpretationem cum Lucretiana (v. 1003 sqq.) mire congruentem: τοῦτο τῆς

---

p. 287 R. 9 p. 290 34 p. 33 66 p. 358 79 p. 430; sic Democritum insanire populares sibi persuaserunt, cum ipsos potius esse insanos Democritus libro περὶ μανίης scripto ostenderet.

1) Danai filias ipsas intellegendas esse negat Kiesslingius ad Horat. carm. III 11, cum nota illa τῶν ἀμυήτων poena post Platonis demum aetatem ad illas translata sit: id tamen nullius momenti est ad quaestionem praepositam.

ψυχῆς, οὗ αἱ ἐπιθυμίαι εἰσί, τὸ ἀκόλαστον αὐτοῦ καὶ οὐ στεγανόν, ὡς τετρημένος εἴη πίθος, διὰ τὴν ἀπληστίαν ἀπεικάσας .... ἐνδείκνυται ὡς τῶν ἐν ᾅδου ... οὗτοι ἀθλιώτατοι ἂν εἶεν οἱ ἀμύητοι, καὶ φοροῖεν εἰς τὸν τετρημένον πίθον ὕδωρ ἑτέρῳ τοιούτῳ τετρημένῳ κοσκίνῳ. τὸ δὲ κόσκινον ἄρα λέγει ... τὴν ψυχὴν εἶναι, τὴν δὲ ψυχὴν κοσκίνῳ ἀπείκασε τὴν τῶν ἀνοήτων ὡς τετρημένην, ἅτε οὐ δυναμένην στέγειν. vides igitur, quemadmodum ab Epicuro haec aucta sint: Pythagorei[1]) Danai filiarum poenam criminibus in hac vita commissis respondere dixerunt, Epicurus ne esse quidem in inferis hanc poenam statuit. iam memorabile est, qua ratione illae Orphicorum Pythagoreorum Epicuri sententiae ab aliis philosophis coniunctae amplificatae immutatae sint. Macrobius comm. in somn. Scip. I 10, 9 sqq. res quae apud inferos esse vulgo credantur in nostris corporibus esse fuse enarrat ipsis additis huius sententiae auctoribus: c. 10, 9 'antequam studium philosophiae circa naturae inquisitionem ad tantum vigoris adolesceret, qui per diversas gentes auctores constituendis sacris caerimoniarum fuerunt aliud esse inferos negaverunt quam ipsa corpora', deinde singulis expositis § 16 'nec frustra hoc theologi suspicati sunt' et c. 11, 1 'dicendum est, quid his postea veri sollicitior inquisitor philosophiae cultus adiecerit. nam et qui primum Pythagoram et qui postea Platonem secuti sunt, duas esse mortes ... prodiderunt'. Macrobio igitur si fidem habemus, tota haec ratio iam a theologis illis, i. e. Orphicis, exculta erat: quod cum per se plane abhorreat ab Orphicorum de inferis doctrina tum falsum esse vel ea re demonstratur, quod in singulis quae enarrat Macrobius recentioris doctrinae vestigia deprehenduntur non pauca, quae legenti statim diluceant. nimirum res ita se habet: Porphyrius quem exscribit Macrobius (cf. Linkius in comm. phil. in hon. M Hertzii p. 240—256), ut suam de duplici morte doctrinam veterum philosophorum sententiis confirmaret, temporibus vetustissimis ea quoque obtrusit quae a posteris addita erant.[2])

Ceterum cum mirum quantum illis inferorum allegoriis homines delectarentur[3]), quibus regna orcina ψεῦδος et μῦθον esse exploratum esset, factum est, ut singulis poenis diversae saepe ὑπόνοιαι substituerentur. Tantalus superstitionis exemplar est cum apud

---

1) Zeller l. c. I⁴ p. 418, 5 haec interpretatio ad Pythagoreos referenda an a Platone addita sit dubitat. nuper qui Antisthenem eius auctorem esse nullis prorsus argumentis allatis coniecit Duemmler Acad. p. 86 sqq., nemini persuasit (cf. Natorpius 'philos. Monatsh.' XXVI 464, Zeller 'Arch. f. Philos.' IV 127).

2) Similem sententiam compluribus locis profert Servius in comm. ad Verg., quem ex Porphyrio pendere veri est simillimum; cf. ad Aen. VI 127 439 477 596 (cf. ad ecl. 5, 66 8, 75).

3) Nota est ex Dantii poemate theologorum de duobus infernis doctrina, qui sunt in ipsa terra h. e. in vita nostra et sub terra h. e. post vitam.

Lucretium (l. c.) tum apud Plutarchum de superst. 11 p. 170 F[1]); alii qui alteram Tantali poenam sibi eligebant avaritiam sub hac imagine intellegi voluerunt, quo in numero praesertim Cynici videntur fuisse cf. intpp. ad Hor. s. I 1, 68, Heinzius l. c. p. 20, Hensius ad Telet. epit. p. 25, 6: addo Verg. Aen. VI 602 sqq. (cf. Servius et infra p. 342), Phaedri apologum append. V 7 sqq., Philonem 'quis rer. div. her.' § 54, I p. 512 de concupisc. § 1, II p. 349 de decalogo § 28, II p. 204, Max. Tyr. diss. 4 c. 4 Apuleium de deo Socr. 22 p. 171 sq. O, cf. etiam Eustath. ad Od. λ 580.[2]) — Tityum hominem curis exesum interpretantur Lucr. III 992 sqq. Macrob. l. c. 10, 12, cf. Heracl. all. Hom. c. 18, Phaedr. app. V 13 sqq.[3]) — Ixionem intellegunt hominem Fortunae rota volutatum Macrob. l. c. 10, 14 Phaedr. app. VI sq., sed negotiatorem qui semper tempestatibus turbinibusque volvitur Serv. ad Aen. VI 596, ambitiosum Dio Chrys. IV p. 180 R.[4]) — Sisyphum ambitiosum interpretatur Lucr. III 995 sqq., aliter Macrob. l. c. 10, 15 Phaedr. app. V 3 sqq. — Danaides significant homines ἀκολάςτους et ἀνοήτους: Philolaus apud Plat. l. c., luxuriosos: Lucr. III 935 sqq. 1003 sqq. VI 17 sqq. Phaedr. app. V 10 sqq. Luc. Tim. 18 dial. mort. 11, 4 et 17, cf. Plut. conv. sept. sap. 16 p. 160 B (Porphyr. de abst. III 27 p. 227, 7 sqq. N[2]).

Iam videamus, quemadmodum Erinyes quoque per similem allegoriam acceptae sint: qua in quaestione a minoris momenti locis orsus ad eos ascendam qui ad Varronis saturam proxime accedant. Aeschines in Timarch. § 190 μὴ γὰρ οἴεςθε, ὦ ἄνδρες, τὰς τῶν ἀδικημάτων ἀρχὰς ἀπὸ θεῶν ἀλλ' οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων ἀςελγείας γίγνεςθαι, μηδὲ τοὺς ἠςεβηκότας καθάπερ ἐν τραγῳδίαις Ποινὰς ἐλαύνειν καὶ κολάζειν δᾳςὶν ἡμμέναις· ἀλλ' αἱ προπετεῖς τοῦ ςώματος ἡδοναὶ καὶ τὸ μηδὲν ἱκανὸν ἡγεῖςθαι, ταῦτα πληροῖ τὰ λη-

1) Cf. Epicureus apud Cic. de fin. I 18, 60 'accedit etiam mors quae quasi saxum Tantalo semper impendet'; omnino Ταντάλου λίθος et Ταντάλου φόβος in proverbium venerunt. — Xenopho oecon. 21, 12 τὸ δὲ ἀκόντων τυραννεῖν διδόαςιν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὓς ἂν ἡγῶνται ἀξίους εἶναι βιοτεύειν ὥςπερ ὁ Τάνταλος ἐν ᾅδου λέγεται τὸν ἀεὶ χρόνον διατρίβειν φοβούμενος μὴ δὶς ἀποθάνῃ. eodem modo Macrobius l. c. 10, 15 ambitiosi imagine Tantali poenam inlustrari dicit, quippe cui lapis semper casurus ut Dionysio ensis destrictus super cervice pendeat. sic etiam Dio Chrys. VI 216 R.

2) In Luciani Tim. 18 post Tantalum inducitur Phineus, quem Harpyiae epulis privant: eandem allegoriam habes apud Serv. ad Aen. III 209.

3) Cf. anth. lat. 636 ('de interno livore'), 21 R 'est ales Tityique vultur intus, | qui semper lacerat comestque mentem.' paulo aliter A. P. X 114 ἡ κρίςις ἐςτὶ κάτω καὶ Τάνταλος· οὐδὲν ἀπιςτῶ, | τῇ πενίῃ μελετῶν τὴν ὑπὸ γῆν κόλαςιν.

4) Lobeckius Agl. I p. 798 addit Simplic. in l. de caelo II p. 91 b; ibi tamen de hac quidem interpretatione nihil invenio: alteram quae ibi legitur consulto omitto.

cτήρια . . ., ταῦτά ἐcτιν ἑκάcτῳ Ποινή, ταῦτα παρακελεύεται cφάττειν τοὺc πολίταc. quae verba imitari videtur Cic. in Pis. 20, 46 'nolite enim putare, patres conscripti, ut in scaena videtis, homines consceleratos impulsu deorum terreri furialibus taedis ardentibus: sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat; hae sunt impiorum Furiae, hae flammae, hae faces'; cf. pro Sex. Rosc. 24, 67.[1]) Demosth. (?) adv. Aristogit. I § 52 μεθ' ὧν ζώγραφοι τοὺc ἀcεβεῖc ἐν ᾄδου γράφουcιν, μετὰ τούτων, μετ' ἀρᾶc καὶ βλαcφημίαc καὶ φθόνου καὶ cτάcεωc καὶ νείκουc περιέρχεται. Plut. de exsilio 9 p. 602 D ὁ δ' Ἀλκμαίων ἰλὺν νεοπαγῆ τοῦ Ἀχελῴου προcχωννύντοc ἐπῴκηcεν ὑποφεύγων τὰc Εὐμενίδαc, ὥc οἱ ποιηταὶ λέγουcιν· ἐγὼ δὲ κἀκεῖνον εἰκάζω φεύγοντα πολιτικὰc ἀρχὰc καὶ cτάcειc καὶ cυκοφαντίαc ἐριννυώδειc ἑλέcθαι βραχὺ χωρίον ἀπραγμόνωc ἐν ἡcυχίᾳ κατοικεῖν, cf. de garrul. 14 p. 509 F. — Max. Tyr. diss. 6 c. 8 ἕωc ἄcπονδοc καὶ ἀκήρυκτοc ὁ ἐν ψυχῇ πόλεμοc, ἄφιλοc ἡ ψυχὴ μένει, ἐχθρά, cκυθρωπή. ταῦτα αἱ Ποιναὶ, ταῦτα αἱ Ἐριννύεc, τὰ δράματα, αἱ τραγῳδίαι. id. 19 c. 8 sq. ψεύδεται μὲν ὁ Ἐλπήνωρ λέγων·

ἆcε με δαίμονοc αἶcα κακή (λ 61),

ψεύδεται δὲ ὁ Ἀγαμέμνων λέγων·

ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιόc εἰμι,
ἀλλὰ Ζεὺc καὶ Μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτιc Ἐριννύc (Τ 86).

ἔοικε δὲ καὶ ταυτὶ τὰ ὀνόματα εἶναι μοχθηρίαc ἀνθρωπίνηc εὔφημοι ἀποcτροφαὶ, ἀναθέντων αὐτῆc τὴν αἰτίαν τῷ δαιμονίῳ καὶ ταῖc Μοίραιc καὶ ταῖc Ἐριννύcιν· οἱ δὲ ἐν μὲν ταῖc τραγῳδίαιc ἐχέτωcαν χώραν . . ., ἐν δὲ τῷ βίου δράματι μήποτε ταῦτα κενά. ἡ δὲ Ἐριννὺc καὶ ἡ Αἶcα καὶ οἱ δαίμονεc καὶ ὅcα ἄλλα . . ὀνόματα ἔνδον ἐν τῇ ψυχῇ καθειργμένα . . . . .· ταῦτα καὶ τὸν Ἐλπήνορα εἰc μέθην ἄγει, ταῦτα καὶ τὸν Θυέcτην ὠθεῖ ἐπὶ τὸν τοῦ ἀδελφοῦ γάμον κτλ. cf. Iuncus περὶ γήρωc apud Stob. flor. CVII 9 (IV 92, 21 M) ἡδοναὶ καὶ ἀδικίαι . . . μάcτιξι καὶ κέντροιc ὥcπερ ἐπὶ cκηνῆc αἱ τῶν τραγῳδῶν Εὐμενίδεc τὸν νέον ἐλαύνουcιν κτλ. — Lucretius III 1011 sqq.

'Cerberus et Furiae iam vero et lucis egenus
Tartarus horriferos eructans faucibus aestus,
quid? neque sunt usquam nec possunt esse profecto,
sed metus in vita poenarum pro male factis
est insignibus insignis, scelerisque luella,

1) Hi loci laudati sunt etiam a Roepero 'Varronis Eumenidum reliquiae' part. III (1862) p. 38 et in Roscheri lex. myth. s. v. 'Furiae' (I p. 1562). — Non multum tribuo huiusmodi locis: Petr. 1 'num alio genere furiarum declamatores inquietantur . . . ?' Iuv. 6, 29 'dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?'

carcer et horribilis de saxo iactu' deorsum,
verbera carnifices robur pix lammina taedae;
quae tamen etsi absunt, at mens sibi conscia factis
praemetuens adhibet stimulos terretque flagellis.'

Cic. par. Sto. 2, 18 'te miseriae, te aerumnae premunt omnes, qui te beatum. . . putas; te lubidines torquent, tu dies noctisque cruciaris, cui nec sat est quod est et id ipsum ne non diuturnum sit futurum times; te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimant iudiciorum atque legum; quocumque aspexisti, ut Furiae sic tuae tibi occurrunt iniuriae, quae te suspirare libere non sinunt.' de legg. I 14, 40 'poenas luunt (impii) non tam iudiciis. . ., sed ut eos agitent insectenturque Furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu.' maxime memorabiles sunt Horatii versus sat. II 3, 134 sqq., ubi de Oreste sic dicit:

'an tu reris eum occisa insanisse parente
ac non ante malis dementem actum furiis quam
in matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
quin, ex quo est habitus male tutae mentis Orestes,
nil sane fecit quod tu reprendere possis:
non Pyladen ferro violare ausus ve sororem
Electram.'

denique summi momenti est Lact. inst. div. VI c. 19, 4 (dixit de Stoicorum affectibus): 'tres sunt igitur affectus, qui homines in omnia facinora praecipites agunt: ira, cupiditas, libido. propterea poetae tres Furias esse dixerunt, quae mentes hominum exagitent: ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates.'[1])

Tribus igitur Stoicorum affectibus tres Furias substituit Lactantius[2]) vel potius is quem sequitur. simile quiddam in Varronis satura latere demonstrabo; singula enim fragmenta si examinabimus, tria vitia castigari inveniemus: avaritiam ambitionem superstitionem: quorum de nexu infra disputabo.

1) Roeper l. c. p. 38 Isidorum (origg. VIII 11, 95) affert, non memor Lactantii quem ille sine dubio exscripsit; neque Lactantii meminit Arevalus.

2) Non multum tribuo locis his: Cic. Tusc. III 11, 25 'his autem perturbationibus (voluptati, libidini, timori, aegritudini), quas in vitam hominum stultitia quasi quasdam Furias immittit atque incitat, omnibus viribus ... repugnandum est.' anth. lat. 636, 21 R 'vesanos tacite movet furores | intentans animo faces Erinys.' Hippolyt. ref. haer. VI 26 qui verba Pythagorae haec: ἐκ τῆς ἰδίας ἐὰν ἀποδημῇς, μὴ ἐπιστρέφου· εἰ δὲ μή, Ἐρινύες Δίκης ἐπίκουροί σε μετελεύσονται interpretatur sic: ἰδίην καλῶν τὸ σῶμα, Ἐρινύας δὲ τὰ πάθη . . . . δύνασθαι οὖν φησί ποτε τὴν ψυχὴν καὶ θνητὴν γενέσθαι, ἐὰν ὑπὸ τῶν Ἐρινύων κρατῆται, τουτέστι τῶν παθῶν, καὶ ἀθάνατον, ἐὰν τὰς Ἐρινῦς ἐκφύγῃ, ἅ ἐστι πάθη.

De avaris cf. fr.

126 dénique qui sit avarus
sánus? cui si stet[1]) terrai traditus orbis,
furando tamen a morbo stimulatus eodem
ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.

ad avari descriptionem pertinere puto[2]) etiam haec fragmenta:

133 apage ín dierectum a domo nostra istam insanitatem
134 quin míhi caperratam tuam frontem, Strobile, omittis?[3])
135 nunc córius ulmum cum tuus depavit, pergis? heia
136 contrá cum psalte Pisia et cum Flora lurcare ac strepis?
137 tu nón insanis, quom tibi vino corpus corrumpis mero?
157 "'quia plus' inquit 'merere debet, in quo est virtus''
158 'primum iste qui meret sestertios vicenos'.

Versibus 133—135, 136—137, qui comoediae[4]) canticum, ni fallor, imitantur, dominus quidam avarus induci videtur Strobilo[5]) servo magnum malum minitatus, qui cum Pisia[6]) et Flora meretriculis ero absente diem luculentum sibi fecerat, ut e. g. servi in Plauti Persa (I 1, 29 sqq. et act. V).[7]) insanum[8]) esse servum vino gulaeque inservientem dominus dicit re vera ipse insanior. ad eandem scaenam puto pertinere fr. 158 (v. supra): Senecae quidem tempo-

1) De 'stet' v. cf. Lachmannus ad Lucr. II 181, Serv. ad Aen. I 646. de sententia cf. Epicur. apud Sen. ep. 9, 20 (fr. 474 Us) 'si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, tamen miser est.'

2) De fr. 134 135 161 idem dicit Buecheler in mus. Rh. 20, 428.

3) Sc. 'ostendere': errant qui 'frontem omittere' explicare student.

4) Comoediam scriptores diatribarum saturarumque saepissime in usum vocabant; de Diogene cf. Antonin. XI 6 (p. 145, 11 St) ἡ ἀρχαία κωμῳδία . . . παιδαγωγικὴν παῤῥηcίαν ἔχουcα καὶ τῆc ἀτυφίαc οὐκ ἀχρήcτωc δι' αὐτῆc τῆc εὐθυῤῥημοcύνηc ὑπομιμνήcκουcα· πρὸc οἷόν τι καὶ Διογένηc ταυτὶ παρελάμβανεν. de Bione cf. Hensius l. c. proll. XLVII sq. LIX adn. LXXV CIII sq. de Menippo cf. p. 270 adn. 1. luculentissimum exemplum Menandri Eunuchus est, quam comoediam amantis insaniam descripturi adhibuerunt Cic. Tusc. IV 35, 76, Horatius s. II 3, 258 sqq., Persius 5, 161 sqq.; eodem modo Epictetus diss. IV 1, 17 sqq. scaenam ex Menandri Μιcουμένῳ fabula petiit, ubi Thrasonides miles puellam deperiens inducitur: quod exemplum in hac re apud Stoicos sollemne fuisse ex Laert. D. VII 130 apparet.

5) 'Strobilus' nomen servi est in Plauti Aulularia, CIL II 3614 VI 5289; liberti CIL V 6442 cf. VI 23095.

6) Nomen admodum rarum; cf. Roeper l. c. I p. 16, II p. 2 adn. 1, Ribbeckius in mus. Rh. 14, 107.

7) Sic a Iuvenale sat. 14, 126 sq. dominus avarus 'servorum ventres modio castigat iniquo | ipse quoque esuriens.'

8) Ebrietatem a Chrysippo μικρὰν μανίαν dictam esse (Stob. flor. XVIII 24 = I 294, 30 M) adnotat Roeper l. c. II p. 25 sq. (cf. Hirzelius l. c. II 68, 3, Arnimius 'Quellenstud. z. Philo' p. 101 sqq.). quamquam hanc rem minus in locum nostrum quadrare puto.

ribus servus in mensem quinos modios quinosque denarios accipiebat (Sen. ep. 80, 7: de temporibus antiquioribus testimonia deesse videntur; cf. Marquardtius 'Privatl. d. Röm.' p. 160 adn. 3); cum fr. 158 arte coniunctum esse fr. 157 apparet.[1]) quin etiam fr.

160 'patella esurienti posita provocat Neapolitanas piscinas'[2])

ex avari mente dictum esse potest: neque enim in hac satura ullum fr. invenitur, quo luxuria vituperatur.

Venio ad alterum insaniae genus quod in satura describitur: superstitionem dico; eam enim denotari fragmentis quae ad magnae

---

1) Servos cum dominis altercantes a Cynicis Stoicisque in hoc litterarum genere saepe inductos esse puto. Epictetus in diss. IV 1, postquam solum sapientem liberum esse demonstravit, addit haec: ταῦτα ἄν τις ἀκούσῃ δισύπατος, ἂν μὲν προσθῇς ὅτι ''Ἀλλὰ σύ γε σοφὸς εἶ, οὐδὲν πρὸς σὲ ταῦτα', συγγνώσεταί σοι. ἂν δ' αὐτῷ τὰς ἀληθείας εἴπῃς ὅτι 'Τῶν τρὶς πεπραμένων οὐδὲν διαφέρεις πρὸς τὸ μὴ καὶ αὐτὸς δοῦλος εἶναι', τί ἄλλο ἢ πληγάς σε δεῖ προσδοκᾶν; quem sermonem longius enarrat. hinc, puto, iudicandum de Horatii libri alterius saturis illis, in quibus Ofellus Damasippus Davus, infimae condicionis homines, dogmata stoica explicant; nec non conferendum, quemadmodum in sat. 3 homo plebeius Agamemnonem vituperet (v. 187 sqq.).

2) Ad hoc fr. L Mueller haec adnotat: 'recte negat Havetus posse illud 'patella' h. l. de vase accipi putatque ea significatione usurpatum, qua hodie a Gallis dicitur conchyliorum quoddam genus 'patelle', quod germanice vocatur 'Napfschnecke'. sed nescio an sit magis probabile Nonii stupore omissa quaedam ante id quod est 'patella', ut puta 'vilissimis repleta eduliis'.' at neque ἡ λοπάς (seu λεπάς) apud Latinos alibi dicitur patella et inepte h. l. pretiosum ostrearum genus provocare dicitur piscinas illas item lautissimas. ei igitur qui vas h. l. intellegi non posse contendunt (inter quos etiam Oehler est), aliter rationem suam stabilire debebant. nimirum nihil impedit, quominus paulo liberius intellegatur patella non vas sed qui in eo continetur cibus, plane ut nos dicimus 'Schüssel', Graeci 'παροψίς' (cf. Athen. IX 367 B—368 C al.), Latini 'ferculum'; sic 'pingues patinas tuccetaque crassa' coniungit Persius 2, 42, et 'patina' pro eo quod in patina confit apud Apicium 3, 62 et 4, 121 sqq. legitur; sic in linguis Romanensibus 'formaggio' 'fromage' pro formellis casei dicta caseum ipsum significant, ut in quibusdam Germaniae regionibus cibi genus vocatur 'Topfen', quod alibi nominatur 'Quark'; sed errant et qui apud Iuvenalem (5, 72) artoptam intellegunt panem artopticium et qui in Batrachomyom. v. 41 χύτρας interpretantur cibum nescio quem. omnino hic usus late patet; sic Homerus dicit κρητῆρα μίσγεσθαι, ut 'camellam miscere' Petronius (64), nos 'eine Bowle machen'; nec multum distant talia: χύτραν ἕψειν ἔτνους μεστήν (Plat. Hipp. mai. 290 D), χύτραν προσκαίειν (Aristoph. Vesp. 828), cuius exempli consimile est id quod legitur in Varronis sat. fr. 219 'lucerna combusta est' h. e. 'oleum in lucerna comburitur', ut nos 'die Lampe geht aus' (cf. Buecheler mus. Rh. 20, 417). sed haec similiaque quae omitto nihil ad nostrum locum: immo illi patellam vas esse falsissime negarunt — nimirum ne potuisse quidem piscinae opponi nisi vas apparet (cf. etiam Vahlenus l. c. p. 186) —, neque opus esse censeo Muelleri supplementis, cum patella ut vetustissimum ita simplicissimum vasculum (cf. Iahnius ad Pers. 3, 26) egregie dicatur piscinas crescente luxuria inventas provocare h. e. 'herausfordern' vel 'es aufnehmen mit': provocandi enim verbum significationem illam post Augusteam demum

matris et Serapidis[1]) cultum pertinent (119—121, 149—156), constat.

Iam tertium insaniae genus ut intellegamus, maximi momenti est, recte ut interpretemur duo fragmenta metri vinculo arte coniuncta:

123 tertia Poenarum
Infámia stans nixa in vulgi
pectore flutanti, intonsa coma,
sordida vestitu, ore severo[2])

aetatem recepisse falso contendit qui Iuvenalis interpretem se esse autumat A Weidner (ad 1, 24).

1) Magnam matrem cum Serapide coniungit etiam Plut. de Pyth. or. 25 p. 407 C τὸ ἀγυρτικὸν καὶ ἀγοραῖον καὶ περὶ τὰ μητρῷα καὶ cεράπεια βωμολόχον καὶ πλανώμενον γένοc. gallos et Isidis sacerdotem iuxta ponunt in superstitione castiganda Persius 5, 186 sq. et Iuv. 6, 513 sqq. — Insania capti esse Galli etiam Senecae videntur, qui in fragmentis libri de superstitione (apud Augustin. de civ. dei VI c. 10 = fr. 34 H) turpissimam hanc superstitionem exagitat, perturbatae mentis furori illi solam insanientium turbam patrocinari dicens. κορυβαντιᾶν iam Platonis et Aristophanis comici temporibus idem significabat quod μαίνεcθαι, furere Gallos etiam Paulus Festi p. 51 et p. 95 dicit. — de Serapide cf. Serv. Dan. ad Aen. VIII 698 'Varro indignatur Alexandrinos deos Romae coli'; Varro saturam scripsit '**Pseudulus Apollo** περὶ θεῶν διαγνώcεωc', qua inscriptione significari Serapidem Buecheler vidit in mus. Rh. 14, 430. nec sine acumine haec potissimum superstitionis genera nostro loco commemorari videntur, ubi agitur de insania curanda, quod ne a matris quidem magnae cultu alienum est: in Aristophanis Vespis (v. 119 sqq.) filius patrem insanientem ut curaret αὐτὸν ἀπέλου κἀκάθαιρ', ὁ δ' οὐ μάλα. | μετὰ τοῦτ' ἐκορυβάντιζ', ὁ δ' αὐτῷ τυμπάνῳ | ᾄξαc ἐδίκαζεν ἐc τὸ καινὸν ἐμπεcών, neque plus filius profecit, cum patrem κατέκλινεν εἰc 'Αcκληπίου; ad v. 120 scholiasta adnotat κορυβαντίζειν· τὰ τῶν Κορυβάντων ποιεῖν μυcτήρια ἐπὶ καθαρμῷ τῆc μανίαc, cf. Hesychius s. κορυβαντιcμόc· κάθαρcιc μανίαc, v. Lobeckius Aglaoph. p. 1153. pro Aesculapio Varro substituit Serapim, qui dei quam artis vinculis Varronis temporibus coniuncti fuerint, ex his Ciceronis verbis apparet (de div. II 59, 123): 'qui igitur convenit aegros a coniectore somniorum potius quam a medico petere medicinam? an Aesculapius, an Serapis potest nobis praescribere per somnium curationem valetudinis?' in hac saturae parte pleraque obscura esse valde dolemus, miror autem quemadmodum in explicando fr. 138 'ín somnis venit, iubet me caepam esse et sisymbrium' errare potuerit Roeper (l. c. p. 23 sq.), qui reliqua egregie prorsus expediverit. videlicet haec sunt verba hominis cuiusdam ex somnio moniti, cui ad curandum morbum nescio quem — de caepae viribus cf. Galen. VI 658 K, de sisymbrio lectio non constat — herbae quaedam praecipiuntur ut M. Iulio Apellae (eph. arch. 1883 p. 227 v. 7) et Aristidi (or. I p. 463 D, cf. Wilamowitzius Isylli p. 118 adn. 2). ceterum ut homo noster Serapidi curationis mercedem exsolvere cogitur (fr. 128), sic M. Iulius ille ab Aesculapi sacerdote somnio monetur: τεθεράπευcαι, χρὴ δὲ ἀποδιδόναι τὰ ἴατρα (l. c. v. 20).

2) Anapaestos primus agnovit Hermannus 'elem. d. m.' p. 389, rectius distribuit Ribbeckius in mus. Rh. 14, 412. mire L Mueller (in edit. Nonii) „ad satisfaciendum rei metricae" sic 'tertia Poenarum Insania ⏑– | ⏑⏑–⏑⏑ stans fixa in vulgi', sed cf. Ribbeckius coroll. trag. p. XVII et Plaut. Bacch. 1086 et 1095[b] ex distributione Leonis.

124 proptér perterricrepis
vocíbu' volitans aureis volgi.[1])

quae fragmenta iam a veteribus rectissime intellecta a recentioribus minus recte tractata sunt. Cuiacius[2]) enim 'paratitl. in digest.' (Colon. Agr. 1595) ad dig. III 1, 2 (p. 13) haec ait: „infamis generaliter si accipias, est quem lex vel S. C. vel decretum principis vel edictum praetoris ex causa aliqua turpi notavit ut ignominiosum, quam poenam Varro ita describit eleganter: 'tertia' e. q. s." — In fr. 124 famam indicari primus dixit Palmerius in Gruteri lampad. IV p. 785 sq., nos rectius dicemus hominem ambitiosum populari aura elatum denotari (cf. si tanti est, Dion. Chrys. or. 4 p. 178 sq. R φέρε δὴ ποῖόν τι πλάττωμεν τό τε cχῆμα καὶ εἶδοc τοῦ φιλοτίμου δαίμονοc; ἢ δῆλον ὅτι πτερωτόν τε καὶ ὑπηνέμιον κατὰ τὸ ἦθοc αὐτοῦ καὶ τὴν ἐπιθυμίαν, ἅμα τοῖc πνεύμαcι φερόμενον; .... ὁ δὲ τῶν φιλοδόξων ἀνδρῶν προcτάτηc ἀεὶ μετέωροc, οὐδέποτε γῆc ἐφαπτόμενοc e. q. s. similia). tenemus igitur perspicuam Varronis sententiam: ambitionem sequitur Infamia[3]) Poena, quae rectissime et niti dicitur in vulgi pectore — populi enim hac de re erat iudicium — et esse 'intonsa coma, sordida vestitu'[4]), cf. e. g. Gell. III 4, 1 qui refert P. Scipionem Pauli filium, 'cum esset reus, neque barbam desiisse radi neque non candida veste uti neque fuisse cultu solito reorum.'[5])

Haec si probabiliter disputavi, sequitur ut tres inprimis animi morbi in satura castigati sint: avaritia ambitio superstitio: qua in re certum apparere consilium demonstrabo.

Stoici secundum accuratissimam Arii Didymi enarrationem (Stob. ecl. II 174, II p. 90, 19 W) τῆc ἐπιθυμίαc species definierunt cum alia tum φιληδονίαν καὶ φιλοπλουτίαν καὶ φιλοδοξίαν;

---

1) De metro cf. Buecheler in mus. Rh. 20, 425, 13. — 'perterricrepis' coniecit pro 'percrepis' Palmerius in Gruteri lampad. IV p. 785 sq. aliter Buecheler in adn.

2) Locum indicavit Roeper l. c. III p. 38 qui Cuiacii sententia improbata 'insania' scribit (prob. Riesius, L Mueller).

3) Hac de re omnia nota sunt, cf. e. g. Cic. de legg. III 20, 46 'noxiae poena par esto, ut in suo vitio quisque plectatur, vis capite, avaritia multa, honoris cupiditas ignominia sanciatur.'

4) Sic in Dionis Chrys. oratione supra allata (p. 166 sqq. R) vitis hominum φιληδόνων φιλοχρημάτων φιλοδόξων praeficiuntur singuli δαίμονεc, quorum habitus cultus forma respondent singulis hominum illorum ἤθεcιν.

5) Accedit, quod omnia haec bene consentiunt cum solito Erinyum habitu; sunt enim μελάγχρωτεc (Eur. Or. 321) φαιοχίτωνεc (Aesch. Cho. 1046 K) μέλαιναι ἐc τὸ πᾶν (Aesch. Eum. 52) 'atrae' Ovid. her. 11, 103 (cf. Roscheri lex. myth. s. v. 'Erinnyes' I p. 1311). cf. Koertius 'über Personificationen psycholog. Affekte i. d. spät. Vasenmal.' (Berol. 1874) p. 24 de Λύccῃ sive Μανίᾳ: „Die gerunzelte Stirn zeigt zornige Erregung . . . die Haare sind wirr und struppig gebildet." p. 27 „Ihr Haar ist wirr . . gebildet . . ., der Blick ist düster und unstät."

cf. Cleanthes hymn. in Iov. 26 sqq. αὐτοὶ δ' αὖθ' ὁρμῶcιν ἄνευ λόγου ἄλλος ἐπ' ἄλλα, | οἱ μὲν ὑπὲρ δόξης cπουδὴν δυcέριcτον ἔχοντες, | οἱ δ' ἐπὶ κερδοcύνας τετραμμένοι οὐδενὶ κόcμῳ, | ἄλλοι δ' εἰς ἄνεcιν καὶ cώματος ἡδέα ἔργα. Chrysippus apud Plut. de Stoic. rep. 33 p. 1049 E οὐδεὶς γὰρ φύεται ἀνθρώποις πόλεμος ἄνευ κακίας, ἀλλὰ τὸν μὲν φιληδονία τὸν δὲ πλεονεξία τὸν δὲ φιλοδοξία τις ἢ φιλαρχία cυῤῥήγνυcιν cf. idem apud [Plut.] de aud. poet. 13 p. 34 E sq. passim eae cupiditates apud posteriores occurrunt aut universae aut omissa una alterave, partim solae partim additis aliis vitiis. cupiditates pecuniae et honoris coniungunt Lucil. 1066 L inc. 22 M 783 B 'aurum atque ambitio specimen virtutis virique est|: tantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis.' Cic. parad. Sto. 5, 39 sq. Tusc. III 2, 4. idem in enumeratione νοcημάτων et ἀῤῥωcτημάτων Tusc. IV 11, 24 sq. 'eique morbo nomen est avaritia; similiterque ceteri morbi, ut gloriae cupiditas' e. q. s. ib. § 26 'aegrotationi autem talia quaedam subiecta sunt: avaritia, ambitio' e. q. s. IV 33, 79 'aegrotationes animi, qualis est avaritia, gloriae cupiditas' cf. V 27, 79 32, 89; cf. praesertim acerba pecuniae gloriaeque cupiditatum vituperatio in Tusc. V 32, 90—36, 105. — Lael. 23, 86 'divitiarum, honorum contemptio', de rep. I 38, 60 'iracundiam..., adde avaritiam, adde imperii (ἀρχῆς), adde gloriae cupiditatem, adde libidines.' de fin. III 15, 51 Stoicus inter προηγμένα numerat gloriam et divitias[1]), inter ἀποπροηγμένα paupertatem et ignominiam (ἀδοξίαν). cf. Hor. epist. I 6, 6 sq. (carm. I 1, 7 sqq. II 16, 9 sq.) Plin. n. h. VII praef. § 5 (fort. ex Cicerone). pecuniae et honorum cupiditates ut πάθη animi evellendas esse Philo cum aliis multis locis monet tum de gigant. § 9, I p. 267 sq. de ebriet. § 14, I p. 365 de congr. erud. quaer. grat. § 6, I p. 523 de profugis § 6, I p. 551 de decalogo § 28, II p. 205 de mercede meretr. § 1, II p. 265 de praem. et poen. § 4, II p. 412 quod omn. prob. lib. § 3, II p. 448 et § 11 p. 456 fr. apud Euseb. pr. ev. VIII 13, II p. 636 fr. apud Ioann. Damasc. II p. 649. Plutarchus de Stoic. rep. 34 p. 1050 D haec Stoicorum πάθη enarrat: φιλαργυρίαι φιληδονίαι φιλοδοξίαι alia; cf. de rat. aud. 5 p. 39 E, de prof. in virt. 13 p. 83 F de garrul. 1 p. 502 E de vitios. pud. 17 p. 535 B de ser. num. vind. 11 p. 556 D de genio Socr. 15 p. 584 E. Senecae loci plures sunt quam quos omnes enumerare opus sit, velut de ira II 10, 7 'multi avari, multi furiis ambitionis agitati' cf. ib. III 2, 2 de v. b. 19, 2 de brev. v. 7, 1 ad Helv. de cons. 2, 1 13, 2 de ben. II c. 26 sq. VII 2, 13 26, 4

1) Erat haec scilicet communis omnium sententia; sic divitias et potentiam honoremque inter bona enumerat Plato Euthyd. 279 A sq. interpositis aliis item sollemniter coniunctis (valetudine pulchritudine nobilitate); Peripatetici secundum Arium Did. Stobaei ecl. II 274 (II p. 129, 15 W) et II 290 (II p. 136, 14) in externis bonis posuerunt divitias et gloriam (cf. Aristot. pol. VII 1, 1323 a 37 rhet. I 5, 1360 b 18 sqq. al.). neque attinet alios locos enumerare.

qu. n. praef. 6 exhort. apud Lact. inst. div. III 15, 11 (fr. 18 H) ep. 7, 3 56, 9 sq. Herc. fur. 166 sqq. denique cf. Epict. apud Stob. flor. III 77 (I 86, 11 M) = fr. XIII Schw. Lucian. Pisc. 46 de merc. cond. 5—9 Hermot. 7 ter 8 22 de paras. 52 [Luc.] Cyn. 8. Dion. Chrys. or. 4 p. 165 sqq. R Galen. de animi morbis c. 3 (II p. 9 K) c. 9 (V p. 51) c. 10 (V p. 53). Themist. περὶ ἀρετῆς p. 30 (in mus. Rh. 27, 448) p. 32 (ib. 450) p. 47 (ib. p. 462) [Heracliti] ep. 4 (cf. p. 302 adn. 1). Lactantius inst. div. VI c. 4 VII c. 10 (secundum Stoicos), Boethius de cons. III 8, 4 sqq. (antiquos secutus auctores).[1])

His vitiis aliquotiens additur superstitio, quam inter affectus posuerunt Stoici (cf. Ar. Did. Stob. ecl. II 175 = II 91, 7 W, Andronic. περὶ παθῶν p. 16, 12 et quae ibi affert Kreuttner; praeterea Chrysipp. apud Plut. quomodo poet. aud. deb. adolesc. 13 p. 34 E et apud Horat. sat. II 3, 287; Philo de sacrificiis Abelis et Caini § 4 I p. 166, Plut. de virt. et vit. 2 p. 100 F, de superst. passim, maxime c. 3, de Alex. s. virt. s. fort. or. 2 c. 4 p. 337 C). sic Plutarchus de ser. num. vind. 11 p. 556 B enumerat φιλοπλουτίαν φιληδονίαν φθόνον δεισιδαιμονίαν...χαυνότητα πρὸς δόξαν. Bio in Telet. epit. p. 29, 5 H οὗτός (avarus) τε οὐκ ἂν ποθ' ἱκανωθείη, ὅταν ᾖ ἄπληττος καὶ δοξοκόπος καὶ δεισιδαίμων (fere eadem leguntur p. 31, 7) cf. Sen. de ben. VII 2, 3 'perturbatione carere et ea, quam hominum inter se rixantium ambitus concutit et ea, quae intolerabilis ex alto venit, ubi de dis famae creditum est.' cf. ep. 47, 16 'alius libidini servit, alius avaritiae, alius ambitioni, omnes timori.' ex Epicureis nomino Lucretium qui superstitionem amorem

1) Plato in rep. IX 580 E sqq. γένος φιλοχρήματον et γένος φιλότιμον distinguit. tria illa vitia supra enarrata iam Aristoteles semel tangit eth. Nic. I 3, cf. Wilamowitzius commentarioli grammatici III p. 5. Lucretius avaritiam et honorum caecam cupidinem volnera dicit vitae (III 59 sqq.); eadem vitia coniuncta sunt V 1113—1135 cf. Epicureus apud Cic. de fin. I 18, 59. — Varro saturam scripsit '**Columna Herculis** περὶ δόξης' cuius argumentum ignoramus: Cynici acerrime gloriae cupiditatem impugnabant: eam Hercules, Cynicorum patronus, exstirpare vult (cf. Dion. Chrys. or. 8 p. 286 R p. 287 R); Diogenes apud Epict. diss. I 24, 6 ait: εὐδοξία ψόφος ἐστὶ μαινομένων ἀνθρώπων cf. Laert. D. VI 72 93; Diog. apud Stob. flor. LXXXIX 4 (II 168, 20 M); Crates apud Teletem epit. p. 35, 4 sqq., Teles ipse epit. p. 8, 1 et p. 29, 6 H. contra gloriam disputat Cicero de rep. VI 20—27 ex Aristotelis protreptico (cf. Vsener in mus. Rh. 28, 392 sqq., ubi add. Antonin. IV 3 p. 32, 9 sqq. St cum Gatakeri adn.). Epicurus gloriam famamque non spernendam esse iudicavit cf. fr. 513 549 573 Us. scripserunt περὶ δόξης multi, ut Cleanthes (Laert. D. VII 175) Sphaerus (ib. VII 178) Cicero (Hieron. comm. ad Galat. VIII 6 'quantas habeat definitiones et significationes gloria, et philosophorum innumerabiles libri et Ciceronis duo volumina quae de gloria scripsit indicio sunt', cf. Cic. ad Att. XVI 6, 4 Tusc. III 2, 3 sq.), Dio Chrysost. or. 66—68. denique addo — id quod ad Eumenidas saturam, qua hominum μανία perstringitur, alicuius momenti videtur esse — a quibusdam homines φιλοδόξους appellatos esse δοξομανεῖς, ut refert Chrysippus (apud Athen. XI 464 D) auctor in hac praesertim re non spernendus.

ambitum cupiditates varias coniungit III 980 sqq., Ciceronis Epicureum (de fin. I 18, 59 sq.), qui avaritiam gloriae cupiditatem libidinem mortis metum superstitionem.[1])

Haec vitiorum genera saturarum scriptores Romani saepe coniunxerunt. Horatius epist. I 1, 33 sqq.

'fervet avaritia miseroque cupidine pectus
. . . . .
laudis amore tumes . . . .
invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit.'

ib. II 2, 205 sqq.

'non eos avarus: abi. quid cetera, iam simul isto
cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
ambitione? caret mortis formidine et ira?
somnia terrores magicos, miracula, sagas,
nocturnos lemures portentaque Thessala rides?'

sat. II 3, 77 sqq.

'audire atque togam iubeo componere, quisquis
ambitione mala aut argenti pallet amore,
quisquis luxuria tristive superstitione
aut alio mentis morbo calet: huc propius me,
dum doceo insanire omnis vos ordine, adite',

deinde singulos examinat: avaros v. 82 sqq. ambitiosos 165 sqq. luxuriosos 224 sqq. (amantes 247 sqq.) superstitiosos 281 sqq. Persius quem ad ipsa Stoicorum scripta accessisse neque ex Horatio pendere mihi constat, in sat. 5 servos esse demonstrat avaros (vv. 132 sqq.) luxuriosos (142 sqq.) amantes (161 sqq.) ambitiosos (176 sqq.) superstitiosos (179 sqq.).[2])

Ad Varronem redeo. tres furias, quibus instinctus populus in diversas partes ferri dicitur exterritus formidine, avaritiam ambitionem superstitionem esse censeo; singulis insaniae generibus sin-

---

1) Cf. etiam Aristipp. apud Laert. D. II 91 τὸν coφὸν μήτε φθονήcειν μήτε ἐραcθήcεcθαι ἢ (?) δειcιδαιμονεῖν.

2) Incertissima sunt quae de Lucilii sat. l. XV ponit OKeller in mus. Rh. 31, 143: „Die ganze Satire beschäftigt sich mit dem Thema, dafs der Weise allein frei sei, die anderen Menschen in ewiger Unruhe erhalten werden von ihrem Aberglauben, ihren sinnlichen Begierden, der Geldgier und dem Ehrgeiz.“ omnino autem monendum est tria illa vitiorum genera, avaritiam dico et ambitionem et superstitionem, aptissime elegi a scriptoribus Romanis in perstringendis popularium morbis: nimirum avaritia vitium est Romanorum quasi proprium, ambitio illis ipsis temporibus legibus de ambitu datis constringebatur, δειcιδαιμονίᾳ i. e. quod se dis minores gererent Romanos imperium obtinuisse affirmant Horatius carm. III 6, 5 sqq. et Polybius VI 56, nec non Varro superstitioso volgo cum semper restiterit a Servio ad Aen. XI 787 dicitur 'ubique expugnator religionis'.

gulae Poenae[1]) additae sunt: ambitionis Poena Infamia est, h. e. qui famae nimium studet, infamis erit[2]): reliquae duae mera coniectura investigandae sunt, qua in re certa proponere non possum. Vergilius utinam ne obscurissime locutus esset in νεκυΐᾳ, cuius qui fuerint auctores graeci cum ab antiquis interpretibus (cf. Serv. praef. ad l. VI) tum a recentioribus studiosissime quaesitum est sed ita ut certi effectum sit nihil. is igitur de Tantalo dicit (v. 602 sqq.)

'quo super atra silex iam iam lapsura cadentique
imminet adsimilis; lucent genialibus altis
aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
regifico luxu; Furiarum maxima iuxta
accubat et manibus prohibet contingere mensas
exsurgitque facem attollens atque intonat ore':

Serv. ad v. 605 'Furiarum maxima, id est Fames', ad v. 607 'facem attollens: iniciens ignem avaritiae, ut abstineant', ad Aen. III 209 'ipsae (sc. Harpyiae: v. pag. 332, 2) Furiae esse dicuntur: unde etiam epulas perhibentur abripere, quod est Furiarum, ut ⟨VI 606⟩ "et manibus prohibent contingere mensas". unde et avari finguntur Furias pati, quia abstinent partis. item ipsas Furias esse paulo post ipse testatur dicens ⟨252⟩ "vobis Furiarum ego maxima pando".' (cf. addenda). hinc forsitan liceat conicere etiam in Varronis satura Poenam avari fuisse Famem[3]), quam inter infernos tenebriones vocant Vergilius Aen. VI 276 et Seneca Herc. fur. 691; persona est apud Ovidium met. VIII 784 sqq. aut — quod nescio quomodo magis placet — Egestatem.[4]) haec enim sollemnis avari descriptio est, ut egere dicatur quamvis abundet copiis cf. maxime Telet. epit. p. 24 sqq. H, Plut. περὶ φιλοπλουτίας c. 2—4. Heinzius l. c. p. 18 sq. cf. Hor. epist. I 2, 56 'semper avarus eget', Iuv. 14, 135 sq.:

'sed quo divitias haec per tormenta coactas,
cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
ut locuples moriaris, egentis vivere fato.'

cf. etiam Varronis fr. 126 supra ascriptum.

Haec igitur Poena si non sine omni probabilitatis specie recuperari potest, in tertia plane haereo. 'superstitio' vocabuli notionem pristinam ne vetustissimi quidem scriptores servaverunt (cf. Buecheler

1) De hoc Erinyum nomine cf. Wilamowitzius 'Eurip. Herakl.' II p. 220 sqq. (adn. 889).

2) Cf. Plut. de vitioso pud. 9 p. 532 D τῶν δὲ χρησίμων ἐπιλογισμῶν πρῶτός ἐστιν ὁ διδάσκων . ., ὅτι πᾶσι μὲν τοῖς πάθεσιν ἀκολουθεῖ καὶ τοῖς νοσήμασιν, ἃ φεύγειν δι' αὐτῶν δοκοῦμεν, ἀδοξία φιλοδοξίαις καὶ λῦπαι φιληδονίαις καὶ πόνοι μαλακίαις καὶ φιλονεικίαις ἧτται καὶ καταδίκαι.

3) Adnotandum est in eandem coniecturam incidisse Kayserum in ann. Heidelberg. vol. LIII (1860) p. 247 Servii locis non commemoratis et omnino prorsus alia disputationis ratione instituta.

4) Personae figurarum ea induit apud Verg. Aen. VI 276, Claudian. in Ruf. I 36.

Vmbric. p. 70); superstitiosi harioli sunt Ennio (tr. 42 272 sqq. cf. inc. 19) et Plauto (Amph. 322 Curc. 397 Rud. 1139; non constat de Pacuv. 216); quae significatio postquam obsolevit, superstitio dicta est et superstantium rerum metus (cf. Lucr. I 66, Serv. ad Aen. VIII 187) et falsa religio (Varro apud Augustin. de civ. dei VI 9 cf. Lact. inst. div. IV 28, 11 Cic. de nat. deor. II 28, 71 sq.). illam vim verbi quam postremam posui in Varronis satura, ubi castigantur cultus peregrini, subesse invenimus; potuit Poena perversae huius religionis dici Superstitio illa quae timore imbuit homines deorum rerumque caelestium vel omnino Metus. verum enim vero haec perquam esse incerta apparet.[1])

Praeter tres Furias quas indagare conatus sum, etiam alias in satura extitisse ex fr. 146 apparet, ubi volgus furiarum commemoratur. quaenam illae fuerint incertum est[2]), nisi quod philosophorum quoque insania compluribus fragmentis aperte irridetur: fr.

122 postrémo nemo aegrotus quicquam somniat
tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus

cf. Pers. 3, 83, ubi homines rudes indoctique philosophos nominant 'aegroti veteris meditantes somnia', et simillime loquuntur Velleius Epicureus apud Cic. de nat. deor. I 8, 18 15, 38 16, 42, Lactantius de ira dei 10. — fr.

164 'ubi dicatur primus Zenon novam haeresim novo paxillo suspendisse'

quod non sine cavillatione dictum est; Varro enim Zenonis disciplinam 'correctionem veteris Academiae potius quam novam aliquam disciplinam putandam esse' dicit ex Antiochi sententia apud Cic. ac. post. I 9, 35. — Maxime ad philosophorum irrisionem pertinent fragmenta 127 et 163.

---

1) Omnino nunc, cum supra scripta iam prelo mandata essent, mutata sententia sic iudico: quamvis sit certum superstitionem denotari eis fragmentis quae ad Serapidis et magnae matris religionem pertinent, tamen haec ipsa sine dubio ad totius saturae argumentum enarrandum potius quam ad unum illud vitium perstringendum pertinebant, cf. enim quae scripsi p. 337 adn. 1 de insania κορυβαντιϲμῷ curanda; quod cui veri similius videbitur esse, tertium vitium luxuriam ponet: eam enim etiam arctiore vinculo quam superstitionem cohaerere cum avaritia et ambitione supra exposui. neu quis de luxuria ideo dubitet, quia ad eam castigandam unum tantum pertinet fragmentum (160) ne ipsum quidem dubitationi exemptum (cf. supra p. 336): sic etiam ex eis fragmentis quibus in satura ambitio castigabatur ne unum quidem hodie extat: quod sive casui sive saturae argumento parum perspicuo tribuendum est. — Cf. etiam quae scripsi in addendis ad p. 337, 1.

2) Fortasse cetera quoque πάθη ut species insaniae inducta erant. conferri potest Lucian. Char. 15, ubi Mercurius Charonti, quocum ex summa specula hominum studia contemplatur, interroganti: ὁ δὲ περιπετόμενος αὐτοὺϲ ἐκ τάφανοῦϲ οὗτοϲ ὄχλοϲ τίνεϲ εἰϲίν; respondet: ἐλπίδεϲ, ὦ Χάρων, καὶ δείματα καὶ ἄνοιαι καὶ ἡδοναὶ καὶ φιλαργυρίαι καὶ ὀργαὶ καὶ μίϲη καὶ τὰ τοιαῦτα κτλ.

Denique addere placet quaedam de prosopopoeiarum copia, quae non in hac solum satura sed in aliis quoque crebro inveniuntur: quod genus qui propria cura per singulas species accurate excutiet — de artificum allegoriis optime disseruit Baumeisterus in monumentis suis p. 1292—1304 s. v. 'Personificationen in der alten Kunst' —, operae mehercule pretium faciet: ego ut in re proposita artissimos nunc fines mihi circumscribo. — Ex comoedia maxime allegoriae usus in philosophorum scripta fluxit, inter quos praecipue nominandi sunt Cynici, cf. EWeber 'de Dione Chrys.' 161 sqq. (et quae addit Crusius 'Woch. f. kl. Ph.' 1889 p. 1056), Praechter 'Cebetis tabula' p. 90 sqq. addo Φύϲιν in Epicuri fr. 469 (cf. Sen. ep. 22, 15 Epictet. diss. I 16, 11). [Plut.] an vitios. ad infel. suff. 3 p. 498 F προϲιέναι τῇ ἐργολαβίᾳ τὴν Τύχην καὶ τὴν Κακίαν διαφερομένας κτλ.: hunc libellum Cynicorum vestigiis scatere recte monuit Hensius l. c. p. LXXXXIX adn., cf. Telet ep. p. 5, 11 H. — Lucianum in vit. auct. philosophorum Βίουϲ non ipsos philosophos induxisse sagaciter exposuit Brunsius in mus. Rh. 43, 88 sq. — Φιλοϲοφία et in Luciani Reviviscentibus et apud Philon. de congr. quaer. erud. grat. § 27, I p. 541. — Ὀρθὸϲ λόγοϲ apud Philonem de posteritate Caini § 43, I p. 253, Cκέψιϲ de profugis § 10, I p. 554, Εὐγένεια de nobilitate § 2, II p. 438. — Τέχνη Max. Tyr. diss. 17, 2, Βίοϲ πρακτικὸϲ cum Βίῳ θεωρητικῷ certans: ibid. 21, 3 sqq. Λόγοϲ 38, 4 (p. 227 R: ἀποκρινεῖται δὲ ὁ λόγοϲ αὐτὸϲ αὐτῷ, ὡϲ ἀνὴρ ἀνδρί, ἀπαυθαδιζόμενοϲ κτλ. cf. Lucian. de domo 14). — Ἀνδρία et Δειλία apud Demetrium quendam Stob. flor. VIII 20. — Stoici etiam affectus in allegoriam traxerunt cf. Clem. Al. protr. 2 § 26 p. 22 P (deorum genera enarrantur) φιλοϲόφων δὲ ἤδη τινὲϲ καὶ αὐτοὶ μετὰ τοὺϲ ποιητικοὺϲ (dixerat de dis fictis a poetis) τῶν ἐν ἡμῖν παθῶν ἀνειδωλοποιοῦϲι τύπουϲ, τὸν Φόβον καὶ τὸν Ἔρωτα καὶ τὴν Χαρὰν καὶ τὴν Ἐλπίδα, ὥϲπερ ἀμέλει καὶ Ἐπιμενίδηϲ ὁ παλαιὸϲ Ὕβρεωϲ καὶ Ἀναιδείαϲ Ἀθήνηϲιν ἀναϲτήϲαϲ βωμούϲ (cf. Wendlandius 'Arch. f. Gesch. d. Philos.' I 201 sqq.). — Singularis cuiusdam artificii exempla addo, quod inter philosophos[1]) primum occurrit apud Plat. Prot. p. 361 A καί μοι δοκεῖ ἡμῶν ἡ ἄρτι ἔξοδοϲ τῶν λόγων ὥϲπερ ἄνθρωποϲ κατηγορεῖν τε καὶ καταγελᾶν καὶ εἰ φωνὴν λάβοι, εἰπεῖν ἂν ὅτι ἄτοποί γ' ἐϲτέ, ὦ Cώκρατέϲ τε καὶ Πρωταγόρα κτλ. Antisth. apud Laert. D. VI 9 (fr. XXXVI p. 63 W) εἰπέ μοι, φηϲὶν, εἰ φωνὴν λάβοι ὁ χαλκὸϲ, ἐπὶ τίνι ἂν οἴει ϲεμνυθῆναι; Bio in Telet. epit. p. 3, 15 H εἰ λάβοι, φηϲὶν ὁ Βίων, φωνὴν τὰ πράγματα: Bionis imitationem extare apud Lucr. III 929 sqq. 'denique si vocem rerum natura repente | mittat et hoc alicui nostrum sic

1) Poetae hac figura iam antea usi sunt, ut Aesch. Ag. 37 οἶκοϲ δ' αὐτόϲ, εἰ φθογγὴν λάβοι, ϲαφέϲτατ' ἂν λέξειεν. Eurip. Hipp. I fr. 439 N² φεῦ φεῦ, τὸ μὴ τὰ πράγματ' ἀνθρώποιϲ ἔχειν | φωνήν, ἵν' ἦϲαν μηδὲν οἱ δεινοὶ λέγειν.

increpet ipsa: „. . . . . .“ | quid respondemus, nisi iustam intendere litem | naturam et veram nobis exponere causam?' eodem tempore monuerunt Marxius ind. lect. Rostoch. hib. 1889 p. 11 et Hensius ind. Bionei p. 91; sane color quidem Bioneus dici potest: neque enim parvi est momenti, quod etiam Eratosthenes qui Bionem admirabatur et Aristonem Chium, cum Bione arte coniunctum (cf. Heinzius in mus. Rh. 45, 497 sqq.), Athenis audiebat, idem artificium adhibet his verbis quae nondum in hac quidem quaestione allata sunt a viris doctis apud Athen. X 418 A ἐκ τούτων εἰκός ἐστι καὶ Ἐρατοσθένη ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς (p. 199 B) Πρεπέλαον φῆσαι ἐρωτηθέντα τί αὐτῷ δοκοῦσιν εἶναι Βοιωτοὶ εἰπεῖν· "τί γὰρ ἄλλο ἢ τοιαῦτα ἐλάλουν, οἷα ἂν καὶ τὰ ἀγγεῖα φωνὴν λαβόντα, ὁπόσον ἕκαστος χωρεῖ." ex posterioribus scriptoribus nonnullos composuit locos Nauckius 'mél. gr.-r.' IV (1880) p. 663 adn. 61. cf. etiam Cic. de fin. IV 15, 41 'ipsa hominis institutio, si loqueretur, hoc diceret' e. q. s. Plut. de Stoic. rep. 31 p. 1048 F ὥστ', εἰ λάβοι φωνὴν (sc. ὁ βίος), εἰπεῖν ἂν αὐτὸν τὰ τοῦ Ἡρακλέους κτλ. cf. etiam Philo de Cherubim § 11, I p. 145 αἱ δὲ (sc. ἡ γεωργία, ἡ ἐμπορία, αἱ ἄλλαι ἐπιτηδεύσεις, αἷς πρὸς ἀργυρισμὸν ἠξίου χρῆσθαι), καίτοι φωνητηρίων ὀργάνων ἀμοιροῦσαι, τὴν δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ῥήξουσι φωνὴν ἐναργεστέραν οὖσαν τῆς διὰ γλώσσης· "ἆρά γε, ὦ συκοφάντα", κτλ. neque multum distant talia: Demosth. ol. I 2 ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς . . . μόνον οὐχὶ λέγει φωνὴν ἀφιείς, ὅτι κτλ. Philo de mundi opif. § 26, I p. 19 (p. 29, 1 C) μόνον οὐκ ἀντικρὺ βοώσης τῆς Φύσεως, ὅτι κτλ. Procl. comm. in Plat. reip. l. X p. 104, 17 Sch μόνον οὐχὶ βοᾶν οἰητέον τὸν παρόντα μῦθον κτλ.: quam locutionem omnino frequentant posteriores.

In Varronis saturis hae inveniuntur prosopopoeiae: Infamia **123** (v. supra p. 330 sqq.) Veritas **141** (cf. Babr. 128 E, Phaedr. app. 4, 2 et 18, Cebet. tab. 18, Menand. fr. 545, III p. 165 K aliisque locis a Kockio laudatis, Lucian. Pisc. 16 sqq., ver. hist. II 33, calumniae non tem. cred. 5 ex Apellis pictura, Iulian. or. 6, 188 B sq. epist. Hippocr. 15 § 6. — cf. Mart. X 72, 10; parum dilucida est prosopopoeia in Platonis πεδίῳ ἀληθείας [Phaedr. 248 B], in iure iurando μὰ τὴν ἀλήθειαν apud Dem. de eloc. § 228, in similibus quae omittere malo) cf. addenda, Existimatio **147**, Metamelos Inconstantiae filius **239** (cf. Μετάνοια in Cebet. tab. 10, 4, ex qua Lucian. de merc. cond. 42 et Themist. or. 22 p. 282 C; picta erat in Apellis tabula, quam describit Lucian. calumn. non tem. cred. 5. eadem ficta est in lapide expresso in 'arch. Zeit.' 1875 tab. 1, descripta ab Ausonio (epigr. 12, 11 sqq.). — Μεταμέλεια Cebet. tab. 35) cf. addenda, Φωνασκία **348** (cf. p. 281).[1]) adde **fr. 291** 'cui celer Dienoslemmatoslogos[2]), Anti-

---

1) In fr. 1 Curam intellegi Buecheler dubitanter coniecit m. Rh. 20, 403 cf. etiam Wilamowitzius 'Isyllos von Epidauros' p. 49 adn. 10.

2) De Λόγοις certantibus cf. Crusius 'Gött. gel. Anz.' 1889, 180, 1 et 'Wochenschr. f. kl. Phil.' 1889 p. 1057.

patri Stoici filius, rutro caput displanat': quae verba pessum dedit Madvicus adv. cr. II p. 654 (quem sequitur L Mueller) sic scribens: 'cui celer D., ⟨ut⟩ λόγος Antipatri Stoici, filius rutro caput displanat', quae ipse sic enarrat: „filius patris caput rutro celeriter displanans comparatur cum syllogismo Antipatri δι' ἑνὸς λήμματος adversarium prosternente." verum non solum Varro sic locutus est **fr. 397**: 'patris[1]) huius nascuntur pueri rhythmus et melos'[2]) et fr. **542** de libris saturarum suarum 'e mea Φιλοφθονίᾳ natis[3]), quos Menippea haeresis nutricata est', sed hoc loquendi genus adeo pervulgatum est apud omnes omnis aetatis scriptores — antiquissimum exemplum est notum illud de Ὕβρει et Κόρῳ invicem se gignentibus, proverbium —, singulos locos ut enumerare ridiculum sit; cf. e. g. Rutil. Lup. II 6 προσωποποιΐα. hoc fit, cum personas in rebus constituimus quae sine personis sunt. . . id est huiusmodi: „nam crudelitatis mater est avaritia et pater furor: haec facinori coniuncta parit odium, inde autem nascitur exitium"', Cornif. ad Herenn. II 21, 34, Quintil. inst. or. IX 3, 89, auctor libelli de sublimitate 44, 7 sq. (attulit Ruhnkenius ad Rutilii locum). Afran. 289 sq. 'Vsús me genuit, mater peperit Memoria: | Sophiam vocant me Grai, vos Sapientiam'. Varro ipse fr. 271 de ventis 'phrenetici septentrionum filii' ut Pindarus (ol. 11, 12) de undis caelestibus: ὄμβριοι παῖδες νεφέλας. cf. Gatakeri opera critica (ed. 1698) p. 1072 sq.

1) Haec certa est coniectura Ribbeckii (mus. Rh. 14, 129), 'paci in huius' codd. ('patri' praeivit Popma).

2) 'Patrem' intellego 'numerum'; cf. comm. ad Hephaest. manuale in anecd. var. ed. Studemundus-Schoellius I p. 33: πατὴρ δὲ καὶ γένεσις τῶν μέτρων ἐστὶν ὁ ῥυθμός. Rhythmonius pater rhythmi fingitur more sollemni a Nicostrato quodam in libro quem composuit de Musio (i. e. Μουσείῳ), ut refert secundum Varronem Censorinus fr. p. 87, 7 sqq.; inventor πατήρ dicitur a Platone Phaedr. 274 E, ut Mercurius lyrae parens ab Horatio carm. I 10, 6: mihi tamen illa ratio magis placet.

3) Cf. quae de hac metaphora scribit Bernaysius 'über die unter Philon's Werken stehende Schrift „Ueber die Unzerstörbark. d. Weltalls"' p. 44 adn. 1. v. etiam Plin. n. h. praef. 1.

Conspectus

I. Saturarum.[1])

1) De titulis quos cancellis inclusi obiter egi.

II. Fragmentorum.

III. Rerum.[1])

1) Quae ad linguam spectant, asterisco notavi.

Addenda.

Ad p. 274 (**Modius**). 'Celsus' vocabuli in re equestri sollemnis exemplis adde incerti poetae versum choriambicum apud Mallium Theodorum (VI 597 K):

'celsus equo Phoenicia veste nitens ibat Arion.'

nec non diserte Horatius (de a. p. 341 sq.)

'centuriae seniorum agitant expertia frugis,
celsi praetereunt austera poemata Ramnes',

ante Servium Tullium enim inter tres equitum centurias fuisse Ramnes notum est.

Ad p. 288 sqq. (***Ὄνος λύρας***). Inter testimonia de Achille cantu luctum mulciente afferre oblitus sum Plat. rep. X 606 C sq. οἱ γάρ που βέλτιστοι ἡμῶν ἀκροώμενοι Ὁμήρου ἢ ἄλλου τινὸς τῶν τραγῳδοποιῶν μιμουμένου τινὰ τῶν ἡρώων ἐν πένθει ὄντα καὶ μακρὰν ῥῆσιν ἀποτείνοντα ἐν τοῖς ὀδυρμοῖς, ἢ καὶ ᾄδοντάς τε καὶ κοπτομένους κτλ.: in his quin denotetur Achilles dubitari non potest, cum praesertim similes eius calumniae saepius inde a Platone inveniantur: de nimio luctu (Σ 22 sqq. Ω 3 sqq.) cf. Plat. rep. III 388 sq. Zoilus in schol. ad Σ 22 Epict. diss. IV 10, 31 sqq. Sen. de tranq. 2, 12, defenditur apud Plut. de aud. poet. 12 p. 33 A et a Zenodoro in schol. l. c.; de ira cf. Dionysius Heracleotes apud Cic. Tusc. III 9, 18 Plut. de coh. ira 4 p. 455 A Max. Tyr. diss. 32 tota, maxime p. 126 R, defenditur apud Porphyr. quaest. Hom. p. 311 Schr; de meri potu (I 206) cf. Aristot. art. poet. 25. 1461 a 14 Zoilus apud Plut. quaest. conv. V 4, 677 C sqq. aliique multi. fraudis arguitur a Socrate in Plat. Hipp. min. 369 C sqq.; denique lege criminum congeriem apud Plat. rep. III 390 E sqq. et Themist. or. 24, 308 d.

Ad p. 293 (***ἀλλ' οὐ μένει σε***). Sententiam esse interrogativam demonstrari non posse video. fortasse haec supplementa propius ad verum accedunt: ἀλλ' οὐ μένει σε ⟨ὁ θάνατος, ἕως ἂν δήποτε τῶν σεσωρευμένων χρημάτων ἀπολαύειν θέλῃς, ἐξ ἀπροσδοκήτου δὲ παρεισέρχεται⟩: in quibus substantivi ellipsis et proverbio et rei aptissima est. ita servatur argumentum in hac quaestione sollemne, quod supra (p. 293) enarravi: vituperatur senex avarus qui spe annorum venientium elatus partis parcit usumque differt.

Ad p. 307 (***Ἕως πότε; περὶ ὡρῶν***). de altera inscriptione cf. etiam proverbium Zenob. III 72, Diogen. IV 51 ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις· ἐπὶ τῶν μὴ καθ' ὥραν τοῖς ἀναγκαίοις χρωμένων, quod ad vitae humanae tempora applicat Metrodorus Epicureus apud Stob. ecl. 31, 67 p. 213 W (fr. 55 Koertii in ann. phil. suppl. XVII p. 563) νέος ἐν πολυτελέσι βρώμασι καὶ ποτοῖς ἔτι δὲ ἀφροδισίοις ἀναστρεφόμενος λέληθεν ἑαυτὸν ἐν τῷ θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβων.

Ad p. 308 adn. (***Τοὐπὶ τῇ φακῇ μύρον, περὶ εὐκαιρίας***). de orationis καιρῷ et εὐκαιρίᾳ quos collegi locis adde Dionys. Hal. de compos. verb. 12 p. 67 sq. R: ἀλλ' ἐπὶ πάντων οἴομαι δεῖν τὸν καιρὸν ὁρᾶν·

οὗτος γὰρ ἡδονῆς καὶ ἀηδίας κράτιστον μέτρον. καιροῦ δ' οὔτε ῥήτωρ οὐδεὶς οὔτε φιλόσοφος εἰς τόδε χρόνου τέχνην ὥρισεν· οὐδ' ὅσπερ πρῶτος ἐπεχείρησε περὶ αὐτοῦ γράφειν Γοργίας ὁ Λεοντῖνος, οὐδέν τι λόγου ἄξιον ἔγραψεν· οὐδ' ἔχει φύσιν τὸ πρᾶγμα εἰς καθολικὴν καὶ ἔντεχνόν τινα περίληψιν πεσεῖν· οὐδ' ὅλως ἐπιστήμη θηρατός ἐστιν ὁ καιρὸς ἀλλὰ δόξῃ. porro cf. Alcidamas de sophist. §§ 3, 22, 33.

Ad p. 310 adn. 3 (***Λογομαχία***). errore factum est, ut C. Cassi afferrem verba, quasi is non fuisset Epicureus.

Ad p. 313 (***Περίπλους***). testimoniis de Cynicorum via compendiaria allatis addendum est Galen. περὶ ψυχῆς ἁμαρτημάτων c. 3 (vol. V p. 71 Kuehnii): οὗτοι (sc. οἱ Κυνικοί) σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδὸν εἶναί φασι τὸ σφέτερον ἐπιτήδευμα. τινὲς δ' αὐτῶν ἐλέγχοντες οὐκ ἐπ' ἀρετήν, ἀλλὰ δι' ἀρετῆς ἐπ' εὐδαιμονίαν ὁδὸν εἶναι φάσκουσι τὴν κυνικὴν φιλοσοφίαν.

Ad p. 337, 1 (**Eumenides**) κορυβαντιᾶν — μαίνεσθαι: Strab. X 473 τῶν δὲ Κορυβάντων ὀρχηστικῶν καὶ ἐνθουσιαστικῶν ὄντων καὶ τοὺς μανικῶς κινουμένους κορυβαντιᾶν φαμεν. Timaei lex. Plat. p. 88 R³ κορυβαντιᾶν· παρεμμαίνεσθαι καὶ ἐνθουσιαστικῶς κινεῖσθαι. schol. Plat. Conv. 215 E κορυβαντιώντων· ἐνθουσιώντων, ἢ τινα ὄρχησιν ἐμμανῆ ὀρχουμένων.

ibidem. de insania κορυβαντισμῷ curanda cf. Schoemannus 'gr. Alt.' II³ 375 'Zu der gleichen Gattung von Leuten (dicit Ὀρφεοτελεστάς, μητραγύρτας, Σαβαζίου θεράποντας) gehören auch diejenigen, welche vermittelst sogenannter korybantischer Katharmen und Mysterien den Wahnsinn kurierten, der, wie sie behaupteten, von den Korybanten verursacht würde (cf. Lobeck Agl. 640). Zu ihrer Kurmethode gehörten namentlich ekstatische Tänze mit Musik von Cymbeln und Handpauken.' Voigtius in Roscheri lex. myth. I 1085 'Die Verbindung des Dionysos mit Kybele knüpft an deren Macht an, Wahnsinn zu verhängen wie zu entfernen. Zur Befreiung von Gemütsverwirrung wurde die Weihe der Korybanten gesucht; so sollte auch Kybele den von Hera in Wahnsinn versetzten Dionysos in ihren heiligen Felsgrotten gereinigt und die Weihen gelehrt haben (schol. Il. Z 131).' insaniae curationem num spectent monumenta illa in Piraeo inventa (C. I. A. III 1, 134 [135] 136 137 cf. Wachsmuthius 'die Stadt Athen im Altertum' II 1 [1890] p. 158 sqq.), quibus aegroti vota solverunt Μητρὶ θεῶν εὐαντήτῳ ἰατρίνῃ dubium est. — Ad p. 342 (**Eumenides**). de Furiis quibus avari instigantur cf. etiam Prudent. psychom. 464 sqq.

'Cura Fames Metus Anxietas Periuria Pallor
Corruptela Dolus Commenta Insomnia Sordes
Eumenides variae monstri (sc. Avaritiae) comitatus aguntur.'

Ad p. 345 Ἀληθείας prosopopoeiarum exemplis adde Pind. ol. 10, 5 sq., fr. 220 B, Plut. qu. Rom. 11 Gell. XII 11, 7, Philostr. imagg. I 27. — De Μεταμελείᾳ v. etiam Philod. περὶ εὐσεβείας p. 37 G (tab. 64, papyri 433 IX) τὴν Μεταμέλειαν ἐν Ἄργει . . . (sc. coli; sequitur Φόβος); porro adde Sen. Herc. f. 692 'Pudor serus'. ex hoc Senecae loco fortasse explicandum est pro Μεταμελείᾳ vel Μετανοίᾳ a Varrone substitui Μετάμελον, vocabulum si antiqua spectamus tempora ab uno Thucydide nec ab eo sine certo, ut puto, consilio adhibitum (VII 55, 1 ὁ παράλογος αὐτοῖς μέγας ἦν, πολὺ δὲ μείζων ἔτι τῆς στρατείας ὁ μετάμελος): itaque 'poenitentia' vocabulum si Varronis temporibus extitisset, Μεταμέλειαν h. l. sine dubio legeremus: at prisca paenitendi significatio Livii demum aetate ita evanuit, ut fingi potuerit 'paenitentia' substantivum, quod a Cicerone alienum esse miratur Ausonius epigr. 12, 10 sqq.; diversam plane notionem apud Pacuvium 313 R 'paenitudo' vocabulum obtinet.

HOMINUM LITTERATORUM GRAECORUM

ANTE TIBERII MORTEM

IN URBE ROMA COMMORATORUM

HISTORIA CRITICA

SCRIPSIT

ALFREDUS HILLSCHER.

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio.

Versum Horatianum inscripsi opusculo, quoniam viros tractaturus sum Graecos doctos, qui intulerunt artes Romae urbi et commorantes ibi colendas eas augendasque curaverunt. Quamquam enim ipsam petere Graeciam, e fontibus ut haurirent litterarum Graecarum scientiam, nunquam desierunt Romani adulescentuli viri senes Athenis Rhodi alibi claros audientes philosophiae rhetoricae grammaticae artis professores, tamen mox Roma urbs muris recipere coepit Graeculorum greges in dies maiores e bellis contra Antiochum et Mithridatem gestis, deinde in Caesaris Pompei Octaviani expeditionibus undique concurrentes. Permulti captivi facti expugnatis oppidis atque a nobili aliquo Romano in Italiam deducti postea παιδείας ἕνεκα manumittuntur [1]. Alii alio modo arcessiti voluntarii Romam migraverunt ibique artem quam quisque noverat (nec paucae saepe erant in uno) [2] docebant. Quin immo anno iam a. C. 166 Polybius dicere potuit Scipioni duodeviginti annorum adulescentulo eiusque fratri haec: περὶ μὲν γὰρ τὰ μαθήματα, περὶ ἃ νῦν ὁρῶ σπουδάζοντας ὑμᾶς καὶ φιλοτιμουμένους οὐκ ἀπορήσετε τῶν συνεργησόντων ὑμῖν ἑτοίμως καὶ σοὶ κἀκείνῳ· πολὺ γὰρ δή τι φῦλον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπιρρέον ὁρῶ κατὰ τὸ παρὸν τῶν τοιούτων ἀνθρώπων [3]): quinque annis post senatusconsultum illud

---

1) Quos contulit Hermippus Berytius in libro περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων, unde nonnulla excerpta confusa corrupta per Hesychium Milesium in Suidam pervenerunt, v. Wachsmuth de fontibus, e quibus Suidas in scriptorum Graecorum vitis hauserit, Symb. philol. Bonn. p. 140 sqq. Praeterea eidem Hesychio, ut videtur, ante oculos fuit libellus περὶ τῶν ἕως Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος ἐν Ῥώμῃ παιδευσάντων (v. Suid. s. v. Ἀρχίβιος), cuius scriptorem fuisse Philonem Byblium Traiani aequalem et alii ostenderunt et Daubius de Suidae Biographicorum origine et fide, Annal. phil. Suppl. XI. (Lips. 1880) p. 431 sqq.

2) Iuvenal. III, 74 sqq.

Ede quid illum
Esse putes? quemvis hominem secum attulit ad nos:
Grammaticus rhetor geometres pictor aliptes
Augur schoenobates medicus magus: omnia novit
Graeculus esuriens: in caelum, iusseris, ibit.

3) Polyb. XXXII, 10. V. de hoc loco etiam infra p. 357 sq.

factum est de philosophis et rhetoribus *„uti Romae ne essent"* [1]), cum iam antea a. C. 173 Epicurei duo, Alcius (sive Alcaeus) et Philiscus ex urbe essent eiecti [2]): irrita tamen haec omnia, nam longius latiusque urbem inundabat flumen illud non iam sola e Graecia, sed etiam totius ex Asiae oppidis ita confluens, ut Strabo [3]) de Tarso dicere posset: . . μάλιστα δ' ἡ Ῥώμη δύναται διδάσκειν τὸ πλῆθος τῶν ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως φιλολόγων· Ταρσέων γὰρ καὶ Ἀλεξανδρέων ἐστὶ μεστή. Nolo alia afferre testimonia, quoniam satis res constat: omnes enim fere viri nobiles Romani suam quisque Graeculorum catervam secum habebant servorum libertorum amicorum.

Quos omnes philosophos rhetores grammaticos poetas alios scriptores conlectos posse inveniri, nonnullos tenebris occultatos perpetuaque paene obrutos oblivione ad lucem retrahi cum frustra adhuc desideraretur, exercere vires in his campis vastis admodum et amplis hortantibus praeceptoribus sum conatus. Seligi tamen posse ita videbantur philosophi (quippe qui nacti sint sospitatorem Zellerum in historiae philosophiae Graecae parte ea, qua describit apud Romanos versantem) [4]), ut insererentur tamen nomina eorum indici, quem in fine addam. Conlegi igitur grammaticos rhetores poetas scriptores ceteros usque ad Tiberii mortem Romae commoratos et percensui: sed nominare satis erit suo loco viros notissimos, velut Polybium, de quibus quae habemus multorum virorum doctorum cura et labore comperta, repetere nolo. Ordinem temporum ratione datum sequar. Atque iam ab initio discernere et separare rhetores grammaticos alios scriptores propter nominum paucitatem non opus est neque commendatur. Crescente demum silva post tempora Sullana distinguere inter artes, quam quisque professus est, aptius erit. Finem facient poetae.

I.

De primo, qui Romam venisse dicitur, hominum Graecorum inlustrium **Hermodoro Ephesio** [5]) Heracliti amico nuper denuo disputavit Steinhausenius [6]), cuius sententiam sagaciter explicatam

1) V. testimonia veterum apud Brunsium Font. ant. iur. Rom. [5] p. 157.

2) V. Zeller Gesch. d. gr. Phil. III [3], 1. p. 372. n. 1 et quae infra de Alcaeo Messenio poeta disseram.

3) XIV. p. 675.

4) III [3], 1 inde a pagina 531 in adnotationibus potissimum de singulis quae sciuntur congerens.

5) Strabo XIV. p. 642. Plin. H. N. XXXIV. §. 21. Pompon. Dig. I, 2, 4.

6) De legum XII tabularum patria, diss. Gryph. 1887. p. 10—12. 15—18. Deest inter testimonia Epistula Pseudo-Heraclitea 8 (aevi christiani, ut ostendit Bernaysius in ed. p. 85. 112). Praeterea de Varrone a Plinio exscripto conferendus etiam est Urlichs Die Quellenregister zu Plin. letzten Büchern, Virceb. 1878. p. 10. Ipsi Steinhausenii argumentationi unum addo: 'novisse Ciceronem statuam Hermodori' minime

meam facio: dico fabulis adscribendum esse Hermodorum legum XII tabularum auctorem.

Plana iam in luce versatur **Cineas** ille, qui Pyrrhi regis legatus a. C. 280 Romam missus est[1]). Summus inter aequales orator Demosthenis imaginem audientibus revocare videbatur[2]) pluresque civitates Cineam orando quam ipsum bellando sibi subiecisse praedicabat Pyrrhus. Cum ipsum Demosthenem ab eo auditum esse Plutarchus expressis dicat verbis Δημοcθένουc δὲ τοῦ ῥήτοροc ἀκηκοώc, circa annum 340 natus sexagesimum fere annum egit Cineas legatus. Tum primam patres audiverunt orationem Graeca arte compositam et expolitam: movisse Cineam audientium animos ac paene flexisse ostendere videntur, quae de Appio Claudio narrantur.

Post bellum Punicum secundum, quo

„Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram"[3]),

iam domi apud nobiles Romanos versantes videmus Graeculos: etiam M. Porcius Cato, quamquam ipse filium γράμματα docebat, χαρίεντα δοῦλον εἶχε γραμματιcτὴν ὄνομα *Χίλωνα* πολλοὺc διδάcκοντα παῖδαc[4]). Clarissime vero in historia Graecarum litterarum Romae florentium elucet nomen L. Aemilii Paulli viri maxime φιλέλληνοc, cuius circa filios iam ante bellum Macedonicum Romae versabantur οὐ μόνον γραμματικοὶ καὶ ῥήτορεc ἀλλὰ καὶ πλάcται καὶ ζωγράφοι καὶ πώλων καὶ cκυλάκων ἐπιcτάται καὶ διδάcκαλοι θήραc[5]) Ἕλληνεc[6]). Iam bello confecto de praeda nihil nisi bibliothecam Persae regis sibi sumpsit filiisque donatam[7]) primam in urbem attulit[8]), et in eius triumpho prid. Kal. Dec. a. C. 167 ἤγοντο τὰ τέκνα τοῦ βαcιλέωc δοῦλα καὶ cὺν αὐτοῖc τροφέων καὶ διδαcκάλων καὶ παιδαγωγῶν ὄχλοc[9]). Haud dubie alios quoque tunc ultro sequentes Romam transduxit Graecos homines litteratos, quamquam unus tantum nominatur, **Metrodorus** philosophus idem et pictor[10]). Ad haec omnia spectant verba supra iam allata, quae anno post quam

---

necesse est, cum scribat Plinius (Varro): *„fuit et statua Hermodori"*: periisse videtur iam ante Varronis tempora.

1) Cf. Mommsen Röm. Gesch. I⁶. p. 398.

2) Plut. Pyrrh. 14, unde sua habet Dio fr. 40, 5 (I. p. 58 Dind.) et fr. 40. 41 (I. p. 66 D.).

3) Porcius Licinus apud Gellium XVII, 21, 45.

4) Plut. Cat. mai. 20.

5) Scipio adulescens venationis erat amantissimus, v. Mommsen R. G. II⁶. p. 82.

6) Plut. Aemil. P. 6.

7) Plut. l. l. 28.

8) Suet. de vir. ill. 103. p. 130 Reiff.

9) Plut. l. l. 33.

10) Cf. Zeller. l. l. III³, 1. p. 525 et 533.

ipse cum popularibus obses Romam venerat Polybius dixit Scipioni adulescentulo: πολὺ γὰρ δή τι φῦλον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπιρρέον ὁρῶ κατὰ τὸ παρόν.. Nec minus patre φιλέλληνα filius: testes surgunt **Polybius Panaetius Terentius,** suavissimi Scipionis συμβιωταί.

Tredecim iam annis ante clarissimam illam trium philosophorum legationem a. C. 156[1]) Romam venit et ipse legatus grammaticae artis in urbe conditor **Crates Mallota** Pergamenus[2]), de quo ad egregiam Wachsmuthii dissertationem[3]) lectores ablego, unum additurus. Admodum enim dubia est Bergkii coniectura in Anecd. Paris.[4]) *„Varguntcius"* reponentis pro corrupto *„Varros"*[5]) (u supra o), qua utitur vir doctissimus[6]), ut demonstret nos etiam videre posse, quomodo Cratetis exemplum teste Suetonio imitati sint grammatici Latini. Praeterea ibidem Probus confertur cum Aristarcho, et toto loco de Aristophanis Aristarchi Alexandrinorum notis criticis, nusquam de Pergamenorum fit sermo. Attamen cognosci posse vestigia Crateteae doctrinae apud istos grammaticos Romanos puto. Scimus enim e Suida[7]) fecisse Cratetem διόρθωσιν Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας ἐν βιβλίοις θ′. Quae de commentario, non de editione intellegi cum aliis vult Wachsmuthius, numerumque θ′ compendio non novem, sed octo significari inde suspicatur, quod Musarum numerum respexisse Cratetem atque octo tantum eas esse ex illius sententia existimat. Leguntur enim apud Arnobium[8]) haec: *„Ephorus has igitur (Musas) tris effert, Mnaseas quattuor, Myrtilus inducit septem, octo adseverat Crates, ad extremum Hesiodus novem cum nominibus prodit"*[9]). Sed quoniam decem novimus Cratetes e Diogene Laertio IV, 6, fragmentum auctoris est prorsus incerti[10]), et quaeritur, fue-

1) De qua v. Zeller II³, 2. p. 928. n. 1.
2) Suet. gr. 2.
3) De Cratete Mallota, Lipsiae 1860.
4) Sueton. ed. Reifferscheid p. 138.
5) Haud dubie de vetustiore aliquo grammatico cogitandum est. Sed certi quicquam ad sananda verba: '*Varros hennius*' (u supra o) praestari vix posse monuit Marxius.
6) L. l. p. 6.
7) S. v. Κράτης Τιμοκράτους.
8) Adv. nat. III, 37.
9) Myrtilum esse Lesbium paradoxographum docet fragmentum apud Clementem Alexandrinum (Protr. 19 D = fr. 4 Mueller F. H. G. IV, 457: idem extat in Crameri Anecdot. Oxon. I. p. 285). De Mnasea (Patrensi) discrepat Arnobius a Schol. Il. B 671 in Crameri Anecd. Ox. I. p. 277, ubi ille tres numerat Musas.
10) Si verum est, quod coniecit Orellius (ad Arnob. p. 168) ortam esse hanc Cratetis de Musis opinionem e Platonis de harmonia sphaerarum sententia (de rep. X. p. 616), fortasse hic Crates Platonicus potius fuit ille philosophus, Polemonis successor, Crantoris condiscipulus. Idem fortasse est, a quo Heracliti librum in Graeciam translatum esse narrat Seleucus ap. Diog. Laert. IX, 12, nisi ibi Κράτυλον restituendum est,

rintne octo an novem libri. Διόρθωϲιϲ est recensio[1]), verba autem sicut leguntur διορθ. Ἰλιάδοϲ καὶ Ὀδυϲϲείαϲ ἐν βιβλίοιϲ θ', numerus ut de totius Homeri recensione intellegatur, flagitant: quapropter aptius de octo libris cogitatur, ut quaterni fuerint Iliadis et Odysseae. Sed cum nimis ampli sic esse videantur singuli libri, parum accuratam esse puto lexicographi relationem, cum bis adiecto signo θ' scribere debuerit: δίορθωϲιν Ἰλιάδοϲ ἐν βιβλίοιϲ θ' καὶ διόρθωϲιν Ὀδυϲϲείαϲ ἐν βιβλίοιϲ θ', i. e. divisam esse et Iliadem et Odysseam a Cratete in libros novenos; quae sententia quo magis respiciuntur aliorum scriptorum opera similiter secundum Musarum numerum divisa nominibusque earum inscripta[2]), eo magis probanda videtur. Utut haec se habent, certe respuit Crates dividendi rationem ab Alexandrinis adhibitam, quam quin cognoverit vix est dubitandum. Iam iterum legas verba Suetonii[3]): *„ac nostris exemplo fuit Crates ad imitandum: hactenus tamen, ut carmina parum adhuc divolgata ... diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent: ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros, ut postea etc.“*. Hanc Naeviani carminis partitionem, quam Santra quoque[4]) testatur, factam esse puto e Cratetis Homerum dividentis imitatione. Quod septem sunt, non novem libri, noli obvertere, quoniam ipsa divisio est, qua imitatur Romanus grammaticus Pergamenum, diversus autem numerus facile explicatur ex hebdomadum illa ratione, quae his temporibus in deliciis haberi coepta floruit apud Varronem. Nec minus apte huc referri puto, quod de Aurelio Opillo idem tradit Suetonius[5]): *„composuit variae eruditionis*[6]) *aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis: qui*[7]), *quia scriptores ac poetas sub clientela Musarum iudicaret*[8]), *non absurde et fecisse et inscripsisse*

---

quem primum novimus in ipsa Graecia Heracliteum philosophum, Platonis magistrum.

1) Quae alibi laudantur a scholiastis (locos vide apud Wachsmuthium l. l.) Cratetis Διορθωτικά vel Ὁμηρικά seiungenda esse puto ab ipsa recensione. Etiam Aristarchum non in editionibus parandis substitisse, sed praeterea commentationes Homericas scripsisse omnibus notum est.

2) De quibus v. p. 360. n. 1.

3) Loco in p. 358. n. 2 laudato.

4) Apud Nonium p. 170, 21. Quem etiam Suetonii hac in re auctorem fuisse crediderim: nominatur ab eo (§. 1. p. 3 R.) inter Varronem et Cornelium Nepotem, cf. infra p. 374.

5) Gr. 6.

6) De voce *„indutiae“* 'Musarum' eius liber primus laudatur a Gellio I, 25, 17.

7) Hoc *„qui“*, quod praebent libri, male omittitur a Reifferscheidio Ernestium secuto.

8) *„Esse“* supplendum est, neque intellegi posse verba puto sicuti intellexit Usener (Dionys. Halic. de imit. p. 135), qui de amplissima rerum copia exhaurienda nobilibus grammaticis Alexandrinis locutus haec dicit: „neque mirum, quod Aurelio Opillo libri, quibus *„scriptores ac*

se ait ex numero divarum et appellatione". Ultima haec sunt verba excusantis quodammodo novam rem et inusitatam[1]).

A Pergamenis igitur primam acceperunt Romani artis grammaticae notitiam acceptamque diu tenebant[2]), cum saeculo fere demum post primos videamus Alexandrinos grammaticos in Urbem venire. Etenim **Dionysium Thracem** Romae docuisse male olim credebatur Suidae haec exhibenti: Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς, Θρᾷξ δὲ ⟨καὶ⟩ ἀπὸ τοῦ πατρὸς Τήρου Τῆρος τοὔνομα κληθείς[3]), Ἀριστάρχου μαθητὴς γραμματικός, ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου καὶ ἐξηγήσατο Τυραννίωνι τῷ προτέρῳ· συνέταξε δὲ κ. τ. λ. Iure offenderunt viri docti in temporis nota[4]). Quamquam enim incerta sane sunt apud Suidam indicia temporum inde a Ptolemaeo Euergeta II (146—117) usque ad Augustum, cum συγχρονισμός solummodo significetur Sullae Pompei Ciceronis Antonii[5]), et quamquam nonnullos quidem ultimos vitae Dionysii annos credere possumus concidere cum primis Pompei, tamen non ferendus est συγχρονισμὸς ἐπὶ Πομπηίου τ. μ. in homine, cuius ἀκμή incidit iam in regnum

---

poetas sub clientela Musarum iudicabat" in Musarum numerum excrevisse", et sic Latinum hunc grammaticum aemulum quodam modo facit Aristophanis Byzantii.

1) Prorsus est ignotum, quis fuerit et quando vixerit, cuius Marxius me commonefecit, Bianor iste ῥητορικός, οὗ φέρεται ἐννέα βιβλία Μουσῶν ἐπιγραφόμενα (Diog. Laert. IV, 58). Herodoti quoque opus Musarum nominibus inscriptum esse a grammaticis notum est. Pergamenos Herodoto operam navasse lapis testis est nuper inventus, in quo legitur Herodoti nomen subscriptum olim imagini historici in bibliotheca positae (v. Conze Sitz.-Ber. d. Berl. Akad. 1884. p. 1261 et in Jahrb. d. königl. preufs. Kunstsammi. III. p. 87): quae suppeditavit mihi Maassius. Alia similia attulit Vossius de hist. gr. I, 3. Quibus addo τὴν ἐννεάδα Σαπφοῦς in epigrammate Tulli Laureae, Ciceronis liberti A. P. VII, 17 et Heracliti librum a quibusdam Μοῦσαι inscriptum (Diog. Laert. IX, 12) divisumque in partes tres (ibid. 5).

2) Quamquam per Stilonem, qui eam Rhodi, fortasse a Dionysio Thrace (vel Romae a Panaetio secundum sententiam Susemihlii) accepit, iam circa annum a. C. 100 Aristarchi quoque cognoverunt doctrinam et notas (cf. Marx in indice lectt. Rostoch. 1888/89. p. 10).

3) Verba, quae corrupta putat Maur. Schmidtius (Philol. VII. p. 36) sana sunt, modo inseras cum Marxio ⟨καὶ⟩ ante ἀπὸ et conferas, quae de aliis viris e patris nomine cognominatis monuit Dielesius, Doxogr. Gr. p. 86. Dionysius Ἀλεξανδρεύς vocatur ut Aristarchi (qui ipse oriundus erat e Samothrace insula) discipulus, Θρᾷξ autem cognominatus est (τοὔνομα κληθείς = „*cognomento Thrax*": Serg. in Donat. G. L. IV. p. 529 K.) e patria, Τῆρος e patre, qui nomen habuit Thracum regis illius fabulosi Τήρης (Herod. IV, 80 — Thucyd. II, 29, ubi genetivus legitur Τήρεω, Xenoph. Anab. VII, 5, 1, ubi genetivus Τήρους). Nomen est barbarum, quare non miramur variantem eius apud Graecos scriptores formam.

4) Reinesius scripsit Ῥόδῳ pro Ῥώμῃ allatis testimoniis ipsius Suidae s. v. Τυραννίων et Athenaei XI. p. 489 a, quibus addendum est illud (fort. Varronis) apud Sergium in Donat. G. L. IV. p. 529 K.: at non sufficit haec mutatio.

5) Cf. Rohde Mus. Rh. XXXIII. p. 168. n. 6.

Ptolemaei illius Euergetae, quo lexicographus ad tempora definienda utitur. Quapropter probanda est mutatio Clintonis, qui enuntiatum relativum ὃς ἐσοφίστευσεν — μεγάλου transponit post Τυραννίωνι τ. π. Sed desideratur necessaria temporis, quando Dionysius ipse floruerit, locique, ubi docuerit, mentio. Quare excidisse utrumque inter verba γραμματικός et καὶ et sic fere scribendum esse opinor: Ἀριστάρχου μαθητής, γραμματικός (ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥόδῳ ἐπὶ Πτολεμαίου Ζ') καὶ ἐξηγήσατο Τυραννίωνι τ. πρ., ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Πομπηίου τ. μεγάλου[1]).

Praetereo grammaticum **Isocratem**, qui a. C. 160 una cum Leptine Cn. Octavii interfectore a Demetrii Syriae regis legatis senatui traditus est, quia caedem illam publice laudaverat, et qui neglecto prorsus corporis habitu capta mente horribile praebuit Romanis spectaculum hominis ad bestiae naturam delapsi[2]). Praetereo **Eudemum**, qui a. C. 133 Attali testamentum Romam attulit[3]), quoad video, aliunde non notum.

Iam ad tempora Grachorum descendimus. Horum de magistris quae scimus Ciceroni debentur et Plutarcho. Dicit ille[4]): *„fuit* (*Ti.*) *Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus et Graecis litteris eruditus. Nam semper habuit exquisitos e Graecia magistros, in eis iam adolescens Diophanem Mytilenaeum, Graeciae illis temporibus disertissimum"*. Tiberius natus est 163, certe igitur 145 iam Romae docuit **Diophanes**, et cum eum una cum discipulo periisse sciamus[5]), plus duodecim annos ibi versatus est. Φυγὰς ἦν Μυτιληναῖος, rerum publicarum ut videtur commutatione patria expulsus[6]). Hic una cum Blossio Cumano philosopho, Antipatri Tarsensis stoici amico[7]), Gracchum impellebant haesitantem, unde haud exiguum valuisse apud discipulum utriusque praeceptoris auctoritatem cogno-

---

1) Facile scribentis oculus aberrare potuit a priore ὃς ad alterum. Apud Isidorum (Origg. I, 16): *„Dionysius Lintius* (sic codd.) *syllabarum omnium singulas formas aptissimas fecit et ob id statua honoratus est"* de Thrace agi ego quoque censeo, cum spectare mihi haec videantur prosodias, quas *„tres tradidit* (Dionysius Thrax), *quibus nunc omnes utuntur* βαρεῖαν ὀξεῖαν περισπωμένην". (Serg. in Donat. G. L. IV. p. 528 sq. K.). Quid autem sibi velit *„Lintius"*, diiudicare nequeo. *„Lindius"* restituendum esse putat editor Arevalius, *„Olynthius"* coniecit Schmidtius l. l. p. 302. Et illud quidem non displicet, quoniam cogitari potest ipsum Dionysium non natum esse in Thracia, sed alibi, quo pater emigraverit, — Rhodi si vis, in oppido Lindo. Vocatur enim alibi Rhodius (cf. Strab. XIV. p. 655), hic Lindius. Bene sic intellegimus, cur Rhodum potissimum petiverit Dionysius Alexandria scholam translaturus.

2) Polyb. XXXII, 6, 4, unde pendet Diod. XXXI, 29.

3) Plut. Ti. Gracch. 14.

4) Brut. 27, 104.

5) Plut. l. l. 20.

6) Plut. l. l. 8. Cf. Cichorius Rom und Mytilene p. 4.

7) De quo v. Zeller III[3], 1. p. 534.

scere licet[1]). Alter, qui nominatur, est **Menelaus Marathenus**[2]); de hoc legimus apud Ciceronem[3]): *„nec de Persio reticuisset Gracchus, cum ei Fannius de Menelao et ceteris obiecisset* (scil. *orationes eius ab his esse factas*)". Alibi non commemoratur. Cornelia ipsa etiam post filiorum necem vitam degit litteris datam, ἀεὶ Ἑλλήνων καὶ φιλολόγων περὶ αὐτὴν ὄντων[4]).

Huic aetati suppares fuerunt **Artemidorus Ephesius** geographus et **Daphnis** grammaticus. Artemidorum[5]) quondam a civibus suis Romam missum esse ad agendam causam de Dianae templo narrat qui saepe eo utitur Strabo[6]): rhetor igitur videtur idem fuisse. Floruit circa annum a. C. 100 teste Marciano Heracleota[7]). Quando Romam venerit, non dicitur neque veri simile est, ut diu ibi manserit. Daphnis servus, *„quem † Levius*[8]) *Melissus per cavillationem nominis* Πανὸς ἀγάπημα *dicit"*, a Q. Lutatio Catulo septingentis milibus nummum emptus et brevi manumissus est[9]). Teste Plinio[10]) ab initio fuerat servus ac discipulus Acci, qui eum M. Scauro *„principi civitatis"* (erat a. C. 115 consul et princeps senatus) vendidit. Temporum rationes recte computavit Detlefsenus[11]).

---

1) Plut. l. l. 8. Verum quae homo Neo-graecus Marcus Renieris sibi finxit in libello περὶ Βλοσσίου καὶ Διοφάνους ἔρευναι καὶ εἰκασίαι, usos esse Graeculos istos praesertim philosophum Graccho ad efficiendam civitatis imaginem, qualem ipsi perfectissimam mente complectebantur, nimias esse εἰκασίας recte iudicarunt Zeller l. l. et Heinzeus in Bursiani Annal. I. 1873. p. 192 sqq.

2) In Maratheni cognomine haesit Blassius (Gesch. d. gr. Beredsamk. von Alex. bis Aug. p. 88. n. 2) quia Marathus Syriae oppidum Strabonis aetate esset diruta (XVI. p. 753), Phocidis autem ὁμώνυμον oppidulum obscurum fuisset. Utraque causa nulla est. Etenim et ex vico obscuro nasci possunt viri clarissimi (quamquam ego quoque Syrum fuisse puto Menelaum) et Syriae Marathus nonne potest deleta esse post Menelai et ante Strabonis aetatem ut alia Syriae oppida (Gadaram commemoro) bello Mithridatico altero?

3) Brut. 26, 100.

4) Plut. C. Gracch. 19, 2.

5) De quo egit Stiehle in Philol. XI. p. 193 sqq.

6) XIV. p. 642. cf. Stiehle l. l. et Niese Mus. Rhen. XXXII. p. 282—300.

7) Geogr. Gr. min. ed. Mueller I. p. 566.

8) H. e. Laevius, Erotopaignion poeta, si credere vis Buechelero Mus. Rh. XLI. p. 11; at quominus ei adsentiar prohibet Melissi nomen. Nec magis placet Gaius praenomen, quod proposuit Vahlenus (ind. lectt. Berol. 1877/78. p. 8. not.) de Maecenatis hoc scribere opinatus Suetonium liberto iocoso (de quo v. Iahn. Prolegg. in Pers. p. CXLIII, 2). Ipse restituere velim *„Aelius Melissus"*, quem grammaticum novimus e Gellio XVIII, 6 aequalem fere Suetonii, unde fortasse melius explicatur praesens „dicit".

9) Suet. gr. 3.

10) H. N. VII. §. 128. Quem locum egregie sanavit Detlefsen Mus. Rh. XVIII. p. 236.

6) L. l.

H. Peter[1]) num unius sint Lutatii consularis opera eius nomine tradita dubitans *Communium historiarum* libros apud Vergilii demum commentatores laudatos liberto huic tribuendos esse censuit eorumque fragmenta Daphnidis nomine inscripta postea edidit[2]). Res tamen admodum est incerta necessitatemque, qua coacti eos consulari abiudicemus, nullam video. Vixit enim Lutatius post consulatum quindecim annos[3]) et quod ab aequalibus vel paullo posterioribus non laudantur, ne librorum quidem *„de consulatu eius“* fragmenta inveniri ante Plutarchum reputes.

Adcrescit iam numerus hominum Graecorum, quos Romae degisse etiam nos scimus, aetate Sullana et ipsius dictatoris duos novimus libertos doctos, alterum notissimum **Alexandrum Polyhistorem**, alterum **Epicadum**. De Alexandro nova quae addam rebus adhuc exploratis inde a Muellero[4]) non habeo[5]). Alexandrum peripateticum Crassi triumviri comitem esse Polyhistorem neque ego credo[6]): nam si peripateticus philosophus fuisset Sullae libertus, vix Tyrannio demum novos Aristotelis et Theophrasti libros in bibliotheca Apellicontea a Sulla a. 84 Romam Athenis translatos[7]) curae habuisset.

Alter est Epicadus[8]) .. *„L. Cornelii Sullae libertus calatorque in sacerdotio augurali filio quoque eius Fausto gratissimus fuit. Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis edidit, ipse supplevit*[9]).

---

1) Hist. Rom. rell. I. p. CCLXXV.

2) In editione minore Teubneriana, p. 125.

3) V. Drumann Geschichte Roms II. p. 587. n. 61.

4) F. H. G. III. p. 206 sqq.

5) Disseruerunt de eo Freudenthalius Hellenist. Stud. I. p. 16 sqq., de aetate accuratius Unger (Philol. XLIII. p. 528 sqq. et XLVII. p. 177 sqq., ubi p. 181 haud recte Dionysium Thracem Romae docuisse Suidae credidit). Maxime lectitatus postea et exscriptus esse videtur Alexandri liber περὶ Ῥώμης, quo Livius usus est de ordine regum Albanorum (v. Niebuhr Röm. Gesch. I. p. 207) et de aliis rebus Romanis (v. Maass Herm. XVIII. p. 321—339). Alexander porro is erat, qui Homerum (Υ, 307 sq.) vaticinantem fecit de imperio populi Romani (v. Maass l. l. p. 330. Robert ibid. XXII. p. 457): quod initium et causa fuisse videtur ineptiarum, quas excogitaverunt grammatici de accurata Homeri Romanorum morum et linguae notitia, quin immo de Romana eius origine (cf. infra Epimetrum nostrum). Ignota adhuc Alexandri scripta detexit Maassius, commentarium Corinnae, quo usus est Pausanias (Deutsch. Litt.-Ztg. 1887. p. 55) et π. τοῦ ἐν Δελφοῖς χρηστηρίου (v. de Sibyllarum indicib. p. 18).

6) Plut. Crass. 8. Credit Christius Griech. Littgesch.[2] p. 520. n. 4.

7) Strabo XIII. p. 609. Plut. Sulla 26. v. Zeller II[3], 2. p. 139. III[3], 1. 621.

8) De quo egit Osannius (Beitr. z. griech. u. röm. Littgesch. II. 359). Hic Epicadus Sullae nomen e „Sibylla“ ortum esse contendit (Maass de Sibyll. indicib. p. 32) atque hic fuerit ὁ ἐπὶ βιβλιοθήκης (Sullanae) quem teste Strabone l. l. adiit Tyrannio. Nullam enim aliam esse nisi ipsam Apelliconteam puto bibliothecam illam Fausti amplissimam, qua *„pascebatur“* Cicero Puteolis (ad Att. IV, 10), cum alibi vel publice eam positam esse a dictatore nusquam tradatur.

9) Suet. gr. 12.

Recte igitur H. Peter[1]) fragmentum (21) Sullae ὑπομνημάτων, in quo ipsius dictatoris mors narratur, Epicado tribuit. Prorsus vero abicienda mihi videtur eiusdem viri docti coniectura, quâ[2]) Plinii locum N. H. XVII. §. 243 tentavit, ubi tradita sunt haec: *„qualibus ostentis Aristandri apud Graecos volumen scatet, ne in infinitum abeamus, apud nos vero C. Epidii commentarii, in quibus arbores locutae quoque reperiuntur"*. Coniecit vir doctissimus *Epicadi* pro *Epidii:* certe idem etiam in indice huius libri facere debuit. Sed hic *C.* Epidius cum *L.* Cornelio Epicado nihil habet commune, nisi quod commentarios alter scripsit, alter continuavit. Immo, si genus et indolem Epidii scriptorum respexeris a Plinio indicata, facile mecum putabis eundem hunc esse atque rhetorem Epidium[3]), qui non minus miranda de proavo suo narravit[4]).

Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus, Lucilii interpretes, Graeci non fuerunt[5]), cum *„nostri"* i. e. Romani vocentur a Suetonio[6]): ... *„ac nostris exemplo fuit (Crates) ...; ut C. Octavius Lampadio ...... ut postea Q. Vargunteius .... ut Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus etc."*. Neque in nominibus offendendum est, quoniam Graeca cognomina a Romanis iam ante haec tempora adsumebantur[7]).

Haud prorsus quidem certis, sed his fere temporibus adscribendus est **Sevius**[8]) **Nicanor**[9]). E satura, quam scripsit, duos affert Suetonius versus, quibus libertum se ac duplici cognomine ornatum esse indicat:

Seviu' Nicanor Marci libertu' negabit:
Seviu' Postumus idem ABC Marcu' docebit[10]).

Erat igitur libertus M. Sevii cuiusdam, Nicanoris nomen servile habuit vel pristinum vel a domino inditum. Non iam igitur M. Sevius Nicanor M. libertus alius etiam Romani libertus fieri potuit, a quo Postumi cognomen accepisset. Itaque ipse se transnominavit, ut L. Crassitius Pasicles postea Pansam se appellavit[11]).

Inde quod s littera in versu non auditur, apparet antiquorum iam poetarum temporibus vixisse Nicanorem, certe ante Catullum

1) Hist. Rom. rel. I. p. CCLXXVII.
2) In Mus. Rhen. XXII. p. 153.
3) Suet. rh. 4. „M." addidit Rothius; unde? anne ex *M.* Antonio discipulo.
4) Suet. l. l.
5) Quamquam putat hoc Teuffelius R. L.-G. I. §. 148.
6) Gr. 2.
7) Mommsen R. G. I[6]. p. 452.
8) Sic scribendum esse pro tradito *„Saevius"* ex inscriptionibus probavit Hertzius in Fleck. Annal. CVII. p. 370.
9) Suet. gr. 5.
10) Alterum versum egregie emendavit Bergkius.
11) Suet. gr. 18.

aliosque, qui vocabantur οἱ νεώτεροι. Recentior est **Ateius Praetextatus Philologus** libertinus Atheniensis *„quem Capito Ateius iuris consultus inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse ait"* [1]). Amplam de hoc homine scripsit dissertationem Graffius [2]), qui Bryani coniectura Plut. Sull. 14 Μάρκον Ἀτήιον pro tradito Μ. Τήιον usus probabiliter tempora computavit. Minus recte disputasse videtur de cognomine Praetextati, quod primus testatur Asinius Pollio apud Suetonium [3]). Haec enim vir doctus: „Ut Ateius hoc cognomine (Praetextati) vocaretur, fieri potuit aut quod puero id cognomen inditum est aut ex priore nomine, quod, antequam manumissus esset, habuit. Saepissime enim factum est, ut liberti praeter nomen a patrono sive manumissore acceptum pristinum retinerent". Haec ultima vera quidem sunt, sed nomen illud pristinum pueri Atheniensis quomodo esse potuit Praetextatus? Ac ne ab initio quidem puero hoc cognomen inditum esse (a domino vel alio homine Romano) recte dictum est. Pueri enim nominabantur, quia erant praetextati, non cognominabantur ingenui [4]). Hoc tenendum est, neque exemplum attulit Graffius, quo aliam alicubi rationem probaret. Praetextatus igitur nullo modo nec nominari nec cognominari potuit puer servulus Graecus [5]). Res satis probabili via expediri posse videtur. Cognomina patronorum accepisse libertos pro nominibus gentiliciis quamquam nondum demonstratum est [6]), tamen praeter nomen gentile patroni etiam cognomen assumere potuisse libertos constat [7]). Novimus Crassitium Pansam et Sevium Postumum. Accedit tertius Ateius Praetextatus [8]).

Staberius Eros *„†nametra* [9]) *emptus de catasta et propter litterarum studium manumissus docuit inter ceteros Brutum et Cassium. Sunt qui tradant, ut temporibus Sullae proscriptorum liberos gratis et sine mercede ulla in disciplinam receperit"* [10]). Certe igitur annis 81/80

---

1) Suet. gr. 10.

2) Bulletin de l'acad. imp. des sciences de St. Pétersbourg 1861. (III.) p. 112—138. 145—153.

3) L. l. Non debuit hinc exscribere Graffius ineptam codicum lectionem „quidam", sed recipienda fuit Iahnii emendatio „quidem".

4) V. Marquardt Privatleben d. Römer I. p. 124.

5) Nihil facere apparet ad nostram rem servorum nomina Latine formata, velut Auctus, Optatus, Fortunatus (cf. Marquardt l. l. p. 20. n. 5).

6) V. Marquardt l. l. p. 21. n. 5: qua re recte prohibetur Peter l. s. l. p. CCLXXVII, quominus libros quoque de antiquitate Lutatio consulari esse abiudicandos, Daphnidi tribuendos censeat.

7) V. Marquardt l. l. p. 22.

8) Praetextati cognomen testantur praeter ea, quae attulit Graffius p. 119, lapides apud Mommsenum I. R. N. 3595. 6034. (cf. Wilmanns Ex. 733. 1236. 2856).

9) Corruptelam sanari posse despero, cum nomen latere putem: aut cognomen aliud grammatici aut nomen hominis, a quo emptus et manumissus est.

10) Suet. gr. 13.

iam Romae docuit grammaticus. Accedit Plinii[1]) testimonium: „*talemque* (cretatis pedibus ut venalem) *Publilium Antiochium, mimicae scaenae conditorem et astrologiae eius consobrinum Manilium Antiochium* (vulgo *Antiochum*) *item grammaticae Staberium Erotem eadem nave advectos videre proavi*". Causam, cur fictum esse hunc cυγχρονιcμόν cum Teuffelio[2]) putemus, non video. Duos consobrinos affines simul servos captos e patria Antiochia Syriae deductos eadem nave advehi nihil miri habet. Factum esse hoc ante annum 81/80 ex Suetonio colligitur. Certior etiam terminus facile se praebet quaerenti: annus 83, quo una cum Sulla ex Asia redeunte denuo πολύ τι φῦλον in Urbem adfluxit.

Publilium Syrum puerum ad patronum domini adductum esse tradit Macrobius[3]); natus igitur est fere a. C. 93, quocum egregie congruit, quod Hieronymus Publilii ἀκμήν ponit in anno 43, quinquagesimum aetatis annum agentis. Sapit hoc Hieronymi computandi rationem, cuius nonnulla exempla ostendit Ritschelius[4]).

Aequalis fere est Publilii consobrinus **Manilius** astrologus, quem auctorem Astronomicorum, quae scripta sunt certe post annum p. C. 9[5]), esse non posse hinc iam apparet.

Staberius Eros aetate superior fuerit utroque necesse est, cum biennio vel triennio post iam floruisse eum grammaticae artis magisterio audiamus. Antiochius et ipse videtur fuisse et nescio quo vinculo cum pueris istis coniunctus. Vixisse eum etiam annis a. C. 75—70 inde concluditur, quod fuit Bruti magister nati a. 85. Laudatur Staberii liber de proportione i. e. περὶ ἀναλογίας[6]) a Prisciano[7]), atque nominantur a Frontone[8]) inter grammaticos, a quibus tractati veterum scriptorum poetarumve libri optatiores videntur, primi Lampadio et Staberius.

M. Pompilius Andronicus „*natione Syrus, studio Epicureae sectae*[9]) *desidiosior in professione grammatica habebatur minusque idoneus ad tuendam scholam. Itaque cum se in urbe non solum Antonio Gniphoni*[10]), *sed ceteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas*

---

1) XXXV. §. 199.
2) R. L.-G. §. 159, 10.
3) Sat. II, 7, 6.
4) Parerga I. p. 624—628. Cf. infra p. 393. n. 7 et p. 397. n. 4.
5) V. I, 897. Alia etiam posterioris temporis indicia enucleavit Freier „De Manilii quae feruntur astronomicon aetate". p. 29.
6) V. Lersch Sprachphilosophie der Alten I. p. 157.
7) II. p. 385. Ubi v. adnotationem Hertzii. Tradit Priscianus Staberium calumniandi verbum passive usurpasse in isto libello.
8) VII. p. 20.
9) V. Zeller. III[3], 1. p. 375. Pompilii studiorum Epicureorum quaedam superesse in voll. Hercul. suspicatur Gomperzius (Wiener Stud. II. p. 139).
10) Qui Romae docuit Caesarem puerum, deinde etiam Ateium Praetextatum (Suet. gr. 7. 10), annis fere a. C. 90—80.

transiit ibique in otio vixit et multa composuit; verum adeo inops atque egens, ut coactus sit praecipuum illud †[1]) *opusculum suum annalium Enni elenchorum sedecim milibus nummum cuidam vendere, quos libros Orbilius suppressos redemisse se dicit volgandosque curasse nomine auctoris*"[2]). Qualis hic sit verbi „*elenchus*" notio, e sententiarum conexu cognosci posse videtur. Quid enim? Pauperie coactus vendidit opusculum istud Pompilius. Emit quidam haud exiguo pretio atque — suppressit, Orbilius redemit nomineque auctoris volgandum curavit. Commentarii si fuissent atque indices, non satis intellegeretur, cur essent suppressi atque mortuo demum auctore (ut videtur) editi. Itaque criminationes refutationesque continuisse puto elenchorum libellum neque casu factum esse, ut Orbilius homo acerbissimi ingenii lacerandi insectandique homines amantissimus[3]) huic opusculo volgando curam impenderet.

Iam venimus (etenim nominari tantum potest **Sarpedon**, Catonis minoris παιδαγωγός[4]) alioqui prorsus ignotus) ad ultima liberae reipublicae tempora et ad initium principatus; quod aetatis spatium uno decursu ut tractetur res postulat. Tamen secernere abhinc lubet inter grammaticos aliosque scriptores et rhetores.

II. De grammaticis historicis aliis scriptoribus.

De Didymo Theone Archibio quaestiones haud ita faciles ut recte expediamus, antea de grammatici his posterioris **Apionis** vita disserere opus est, praesertim cum nec Lehrsius[5]) nec Sperlingius[6]) grammaticorum una cum eo apud Suidam nominatorum rationem satis habuerint. Recte tamen Plinii[7]) nisi testimoniis bis eum Romae fuisse statuerunt[8]), Tiberio regnante et anno p. C. 40, cum legationes Alexandrinorum et Iudaeorum Romae essent apud Caligulam. Et provectiorem quidem aetate eum tunc iam fuisse inde concludere licet, quod princeps legationis a civibus Alexandrinis creatus est. Accedit autem alius Plinii locus[9]) dignus qui respiciatur: „*Apion cognominatus Plistonices* p a u l l o a n t e s c r i p t u m r e l i q u i t *esse etiamnunc etc.*". Haec verba nihil aliud significare possunt nisi paullo

1) Corruptelae signum posuit Reifferscheidius neque ego huius structurae exemplum inveni. Iahnii coniecturae „*cui titulum*" refragatur tituli vocis usus, in inscriptionibus tantum neutrius generis usurpatae. Omissum puto a librario post „*elenchorum*" „*librum*" vel „*libros*".

2) Suet. gr. 8.

3) Suet. gr. 9. Ceterum cf. Sotionis minoris XII libros Διοκλείων ἐλέγχων contra Dioclem Magnetem scriptos (Diog. Laert. X, 4). V. Zeller II[3], 2. p. 931. n. 3.

4) Plut. Cat. min. 1, 4.

5) Quaestt. ep. p. 1 sqq.

6) Apion d. Grammat. u. sein Verhältnis zum Judentum, Dresd. 1886.

7) Praef. §. 25 et XXX. §. 18.

8) V. Lehrs. l. l. p. 3. adn. Sperling p. VIII sqq.

9) XXXVII. §. 75.

ante quam haec scripserit Plinius mortuum esse Apionem[1]). Dolemus nunc, quod, quando scripti sint singuli Historiae Naturalis libri, nescimus, sed cum anno p. C. 77 Tito traditum esse totum opus constet[2]) atque in ultima parte legantur illa verba, obiisse Apionem non ante annum p. C. 60 statuimus. Nunc adire licet Suidae glossam: Ἀπίων ὁ Πλειστονίκου ὁ ἐπικληθεὶς Μόχθος[3]) Αἰγύπτιος, κατὰ δὲ Ἑλικώνιον Κρής, γραμματικός, μαθητὴς Ἀπολλωνίου τοῦ Ἀρχιβίου· ἠκηκόει δὲ καὶ Εὐφράνορος γηραιοῦ καὶ ὑπὲρ ἑκατὸν ἔτη γεγονότος, Διδύμου δὲ τοῦ μεγάλου θρεπτός· ἐπαίδευσε δὲ ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος καὶ Κλαυδίου ἐν Ῥώμῃ· ἦν δὲ διάδοχος Θέωνος τοῦ γραμματικοῦ καὶ σύγχρονος Διονυσίου τοῦ Ἁλικαρνασσέως ἔγραψε κ. τ. λ. Offendimus in fine. Dionysius enim Halicarnassensis maior cum a. C. 30 Romam venisset et a. C. 8 Archaeologiam iam confecisset, non erat Apionis aequalis; neque de altero minore Hadriani aequali sermo esse potest. Ergo coniectura facienda: Theonis aetatem puto indicare voluisse lexicographum Dionysii synchronismo. Varia excogitari possunt, quae vera videantur[4]): certe qui antecessit in schola Apionem, revera erat aequalis Dionysii Halicarnassensis. Sic **Theonis** quoque aetas accuratiore firmatur temporis nota[5]). Alexandriae fuisse hunc grammaticum nusquam traditur. Romae igitur ab eo Tiberio regnante Apioni scholam esse relictam e Suidae verborum ordine videtur colligi posse[6]). Porro scimus in interiore Aegypto natum esse Apionem[7]), et vocatur Ἀλεξανδρεύς, ergo, quod per se consentaneum est, puer in capite Aegypti primis imbutus est litteris[8]). Atqui appellatur θρεπτός

---

1) Mirum sane est scribendi genus, quo usus Plinius, cum post verba §. 74 sq. *„Theophrastus tradit — duorum, se autem scribente esse — transfigurato"* pergat: *„Apion — paullo ante scriptum reliquit"*, a lectoribus postulat, ut contra verborum conexum illud *„paullo ante"* non ad Theophrastum, quoniam hoc vetat temporum ratio, sed ad ipsum Plinium referant: quapropter dubitanter conicit Susemihlius corruptum forsitan esse vel lacunosum hunc locum. At neglegenti hoc scriptoris orationi ac stilo videtur esse tribuendum.

2) Praef. 3.

3) De nominibus Apionis v. Sperlingium l. l. p. V—VI.

4) Vel συγχρόνου pro σύγχρονος vel ὅς ante καὶ addendum, nisi excidit enuntiatum relativum post τοῦ γραμματικοῦ.

5) Totam de Theonis aetate quaestionem iam tractavit Gieseus (De Theone grammatico, Monast. 1867. p. 24 sqq.) — non recte me iudice. Credit Suidae Apionem fuisse aequalem Dionysii Halicarnassensis Didymumque natum esse existimat Antonio Cicerone coss. (a. C. 63) propter eiusdem Suidae verba s. v. Διδ: γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος, sed secuntur καὶ ἕως Αὐγούστου. Itaque γεγονώς non esse potest „natus est" (cf. Rohde in Mus. Rhen. XXXIII. p. 218. n. 2, ubi tamen non satis accurate discipulus vocatur Didymi Apion, cum legatur apud Suidam θρεπτός. v. p. 369. n. 1).

6) Errasse igitur videntur M. Schmidtius Didym. p. 6 et Schoenemannus De lexicogr. antiqu. (Hannov. 1886). p. 48. n. 4 et p. 72.

7) Ioseph. c. Apion. 2, 3; Sperling p. VII in Thebaïdos oasi natum esse Apionem probat.

8) Sperling p. VIII.

i. e. alumnus Magni **Didymi**[1]); hunc igitur puero Apione Alexandriae docuisse necesse est. Natum esse Apionem ex eis, quae supra computavimus, colligendum est primo fere ante Christum decennio. Primo igitur p. C. decennio Alexandriae versabatur Didymus. Extremam eum tunc egisse vitae partem idem perhibet Suidas s. v. Δίδυμος Διδύμου ... Ἀλεξανδρεὺς γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Αὐγούστου, de quibus non est quod dubitemus. Porro antea quoque Alexandriae esse commoratum Didymum ex his verbis apparere mihi videtur. Etenim si libera etiam republica Romae ἐσοφίστευσε Didymus, cur non legitur συγχρονισμὸς ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου sicut ubique de Graeculis tunc Romae docentibus, sed ἐπὶ Ἀντωνίου? Causam, illud cur non factum sit, non video, hoc cur sit factum, nosci posse puto. Ut enim Pergami Attalidae, Romae Sulla Pompeius Augustus, ita Alexandriae Ptolemaei et post eos qui succedebat in regno Aegypti Antonius nominantur, ut aetas hominis ἀξιολόγου τινός significetur in illius aula vel regni capite florentis. Sic Didymus Alexandriae versatus sub Antonio vixisse dicitur[2]). Accedit denique quod Susemihlius mihi suppeditavit, testimonium Suidae s. v. Ἡρακλείδης Ποντικός: ὅστις Διδύμῳ τῷ πάνυ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρέων ἐφοίτησεν[3]). Quare et quia nullum invenitur vestigium, quo Romam ducimur, non mihi probatur Schmidtii[4]) mutatio, qui in Suidae glossis de variis Didymis[5]) verba (gl. 2) Δίδυμος νέος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός ita transposuit, ut proxime sequentia ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ad Didymum maiorem pertineant. Immo cum recte se habere glossae insequentes de tribus

1) Alumnus, non discipulus: quod ideo urgendum censeo, quia maiorem intercessisse annorum differentiam facilius cogitari potest inter alumnum et nutritorem (cf. quae de Gniphone narrat Suetonius gr. 7) quam discipulum inter et magistrum. De Didymo nunc v. Wilamowitzium Eurip. Heracl. I. p. 157 sqq.

2) Additum etiam Ciceronis aequalis nomen inde explicari puto, quod novit lexicographus Didymi contra Ciceronem de republica scriptum.

3) Quamquam offendunt me quoque verba Διδύμῳ — Ἀλεξανδρέων, quippe pro quibus expectes πρὸς Δίδυμον τὸν πάνυ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ vel simile quid, et nescio quid sibi velit illud κατὰ τήν. Lacunosa videntur.

4) Didym. p. 2.

5) Quae exscribantur necesse est:

a. Δίδυμος Διδύμου ταριχοπώλου γραμματικὸς Ἀριστάρχειος Ἀλεξανδρεὺς γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Αὐγούστου. Χαλκέντερος κληθεὶς διὰ τὴν περὶ τὰ βιβλία ἐπιμονήν· φασὶ γὰρ αὐτὸν συγγεγραφέναι ὑπὲρ τὰ τρισχίλια καὶ πεντακόσια βιβλία.

b. Δ. νέος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός, ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ· ἔγραψε Πιθανά· περὶ ὀρθογραφίας καὶ ἄλλα πλεῖστα καὶ ἄριστα.

c. Δ. ὁ Κλαύδιος χρηματίσας γραμματικός· περὶ τῶν ἡμαρτημένων παρὰ τὴν ἀναλογίαν Θουκυδίδῃ· περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας, Ἐπιτομὴν τῶν Ἡρακλέωνος καὶ ἄλλα τινά.

d. Δ. ὁ Ἡρακλείδου γραμματικός· ὃς διέτριψε παρὰ Νέρωνι καὶ ἐχρηματίσατο· μουσικὸς ἦν λίαν καὶ πρὸς μέλη ἐπιτήδειος.

e. Δ. Ἀλεξανδρεύς· γεωργικὰ ἐν βιβλίοις ιε΄.

aliis Didymis mihi quoque non videantur, eundem esse puto hunc νέον Δίδυμον atque Claudium Didymum, quem, cum uni grammaticae arti operam dedisse et Magni vestigia pressisse videatur, νέον vocari bene intellegimus, quemque Romae vixisse et nomen et scripta (περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας) indicant.

Deinde vocatur Apion discipulus **Apollonii τοῦ Ἀρχιβίου**, qui teste Suida (s. v. Ἀπολλ. Ἀρχεβούλου ἢ Ἀρχιβίου) scripsit περὶ λέξεων Ὁμηρικῶν κατὰ στοιχεῖον. Falsum esse Suidam statuit Lachmannus[1]), quia lexici auctor Apollonius ὁ Ἀρχιβίου neminem saepius exscripsit Apione; alium esse lexici auctorem nunc putant[2]). At fortasse inveniri potest ratio, qua concilientur, quae inter se obstare videantur. Novimus enim praeter Apollonium Ἀρχιβίου etiam **Archibium Ἀπολλωνίου** (Suid. s. v.) qui scripsit Καλλιμάχου ἐπιγραμμάτων ἐξήγησιν. Videtur igitur, ut solebant Graeci, pater filium ex ipsius patre nominasse, nepos avi nomine vocatus esse. Quid, si Archibius Callimachi interpres filius est Apollonii Apionis magistri? Aequalis tunc erat Apionis et studiorum socius, eiusque filius ex avo appellatus Apollonius Ἀρχιβίου, lexici Homerici auctor, glossis Apionis, patris amici, usus est frequentissime[3]).

Sed unde exiimus, ad Apionem reversi comprehendamus, quae de vita eius disputavimus. Natus primo a. C. decennio puer Alexandriae fuit alumnus Didymi, deinde (mortuo interea, ut videtur, educatore, qui vixit ἕως Αὐγούστου) discipulus factus est Apollonii τοῦ Ἀρχιβίου annis Augusti principatus ultimis, Tiberii primis. Magisterium ut ipse exerceat, Romam migrat (fortasse una cum praeceptoris filio Archibio), susceptaque schola a Theone relicta mox innotescit ipsi principi. Reversus tamen nescio qua de causa Alexandriam in republica versari coepit, ut p. C. 40 a civibus legationi illi praeficeretur. Obiit intra annos p. C. 60 et 70.

Adiungantur ilico ei, qui quando fuerint Romae incerta coniectura nanciscimur. Sic aliunde prorsus ignotus est **Matreas** iste, cuius

---

1) Babrii fab. p. XI.

2) V. Christ. l. l. p. 635. n. 2 Obscura sunt Villoisoni verba mihi ex Meieri tantum Commentationibus Andocid. (Opusc. II. p. 53) nota, quibus referendum esse lexicon illud „ad Apollonium eum, qui sub Augusto floruit, Archibii filium, Apollonii nepotem, Dionysii Thracis aequalem“ significat.

3) Nescio an in unum coniungendi sint, quos duos profert Suidas (s. v.):

1) Ἀρχίβιος Ἀπολλωνίου γραμματικός· τῶν Καλλιμάχου ἐπιγραμμάτων ἐξήγησιν.

2) Ἀρχίβιος Πτολεμαίου Λευκάδιος ἢ Ἀλεξανδρεύς· γραμματικὸς τῶν ἕως Τραιανοῦ τοῦ Καίσαρος ἐν Ῥώμῃ παιδευσάντων.

Suppletur enim alter altero: desideratur in priore loci et temporis mentio, facta in altero, in hoc autem scripti alicuius facta in priore, et bene quadraret in ea, quae de Archibio Apionis aequali statuimus, temporum nota τῶν ἕως Τραιανοῦ τ. Καίσαρος κ. τ. λ. At obstat in altera glossa Ptolemaei nomen, nec, nisi id nescio unde huc erepsisse putas, suspicioni nostrae adsentiri potes.

meminit Athenaeus[1]): ἐθαυμάζετο δὲ παρ' Ἕλλησι καὶ Ῥωμαίοις Ματρέας ὁ πλάνος Ἀλεξανδρεύς, ὃς ἔλεγε καὶ θηρίον τρέφειν, ὃ αὐτὸ ἑαυτὸ κατεσθίει· ὡς καὶ ζητεῖσθαι μέχρι νῦν τὸ „Ματρέου θηρίον τί ἐστιν;“ ἐποίησε δ' οὗτος καὶ παρὰ τὰς Ἀριστοτέλους ἀπορίας καὶ ἀνεγίνωσκε δημοσίᾳ, διὰ τί ὁ ἥλιος δύνει μέν, κολυμβᾷ δ' οὔ[2]). Erat igitur philosophus migrans τῶν περιπολιζόντων, quales duos nominat Strabo[3]), Tarsenses Plutiadem et Diogenem, quorum alter carmina etiam tragica ἀπεφοίβαζε τεθείσης ὑποθέσεως.

Philoxenum Alexandrinum grammaticum Romae docuisse refert Suidas s. v., omissa vero omni temporis nota. Certum est eum vixisse ante Nicanorem et Herodianum, a quibus laudatur; alia nescimus[4]).

Similiter de **Ptolemaeo Ascalonita** nihil constat nisi vixisse eum inter Aristarchum et Nicanorem Herodianumque[5]); neque aliter se res habet de **Heracleone Aegyptio**[6]), qui tamen inter Aristarchi discipulos et Epaphroditum degisse videtur[7]). Finem faciat incertorum grammaticus, cuius ne nomen quidem sanum traditum est apud Suidam s. v. Ἡρακλείδης Ποντικός[8]): οὗτος (Heracl.) ἐπειδὴ ἤκουσεν † *Ἄπερος* (Ἀπέρως codd. nonnulli) τοῦ Ἀριστάρχου μαθητοῦ εὐδοκιμοῦντος κατὰ τὴν Ῥώμην πολλά τε τὸν Δίδυμον διασύροντος, ἔγραψε .... εἰς Ῥώμην δὲ κομίσας (Heracl.) καὶ τοῦ Ἄπερος (eadem codicum variatio) καταφανεὶς κατέμεινε σχολαρχῶν ἐν αὐτῇ ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Νέρωνος. Enodare haec nequeo. Quae protulerunt viri docti[9]), non placent, nec tamen melius quicquam habeo.

Iam fugiamus tenebras lucemque petamus. Apud Ciceronem Pompeium Caesarem videmus Graeculos libertos et familiares viventes docentes scribentes. Ciceronis in epistulis occurrunt Chrysippus et Dionysius docti liberti, Nicias et Tyrannio grammatici.

1) I. p. 19 d.

2) Hinc sua habet Suidas s. v.

3) XIV. p. 675.

4) Vixerit necesse esse post editos Varronis de lingua Latina libros contendit Kleistius (De Philoxeni studiis etymologicis, Gryph. 1865. p. 8), quia περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου scripserit Ph. neque cogitari ullo modo possit talem librum ante Varronis editum esse. Sed quale putandum est opus Hypsicratis laudati ab ipso Varrone V, 88 de etymologia vocis „cohors“ = χόρτος? *„cuius libri sane nobiles super his, quae a Graecis accepta sunt“* fons erant Cloatio Vero in libris „verborum a Graecis tractorum“, Gell. XVI, 12, 6. Tollitur igitur Kleistii argumentum.

5) Cf. Baege De Ptolem. Ascal., Hal. 1882. p. 2. Blau De Aristarchi discipulis, Ien. 1883. p. 25.

6) V. Suid. s. v.

7) V. M. Schmidt Didym. p. 47 sq. n. 1. Meier Commentt. Andocid. VI, 2. p. 100 (Opusc. II. p. 27). n. 100. Schimberg Analecta Aristarchea, Gryph. 1878. p. 15 sq. Diels Doxogr. p. 91. n. 2. Susemihl Gesch. der griech. Litt. in d. Alexandrinerzeit II. p. 20 sqq.

8) De hoc Heraclide Lescharum poeta v. Meinekeum Anal. Alex. p. 377 et Maassium de biogr. Gr. (Philol. Unters. III). p. 29 sq.

9) V. Blau. l. l. p. 3.

Chrysippus, Ciceronis libertus, Marci filii magister, patronum in Ciliciam provinciam secutus in reditu profugit[1]). Primum commemoratur ad Quint. fr. III, 4, 5 (a. C. 54): fratri, qui de bibliotheca sua Graeca supplenda Ciceronem adierat, hic respondet: „*valde velim ista confici, praesertim cum ad meum quoque usum spectent: sed ego, mihi ipsi per quem ista agam, non habeo; neque enim venalia sunt, quae quidem placeant, et confici nisi per hominem et peritum et diligentem non possunt. Chrysippo tamen imperabo et cum Tyrannione loquar*". Quinque igitur annos certe scimus apud Ciceronem degisse Chrysippum et erudivisse Marcum puerum ab anno eius undecimo usque ad quintum decimum[2]).

De **Dionysio,** doctissimo Attici liberto, egit Drumannus[3]), recte inter ὁμωνύμους in epistulis nominatos discernens. Homo fuit singulari praeditus ingenio et eruditione, cum summam Ciceronis admirationem sui habere nec minus odium in se excitare potuerit non obsecutus eius precibus. Duae potissimum de hoc inspiciendae sunt epistulae: ad Att. IV, 11 (in Cumano a. 55) et IX, 12. In illa legimus: „*Nos hic voramus litteras cum homine mirifico* (*ita enim mehercle sentio*) *Dionysio, qui te omnesque salutat.* οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι". Sex annis post scribit (ad Att. IX, 12, 2): „*De Dionysio sum miratus, qui apud me honoratior fuit quam apud Scipionem Panaetius; a quo impurissime haec nostra fortuna despecta est. Odi hominem et odero: utinam ulcisci possem!*" Attici cum esset libertus, nominare se potuit Atticum Dionysium. Eundem tamen esse eum atque Dionysium Atticum rhetorem Apollodori Pergameni discipulum[4]) non puto, quamquam non obstat temporum ratio, cum Apollodorus a. C. 45 iam grandis fuerit natu[5]). Sed primum nihil apud Ciceronem de Dionysii studiis rhetoricis legimus[6]). Deinde Attici cognomen Apollodori discipulo inditum esse videtur ex oratorum Atticorum potissimum studio et imitatione. Denique grammaticum fuisse Attici libertum epistula docet ad Att. VI, 2, 3[7]).

---

1) Ad Att. VII, 2, 8 (a. C. 50).

2) Cf. praeterea ep. ad Qu. fr. III, 5, 6. Rediisse etiam postea hominem ad Ciceronem et in gratiam esse receptum Drumannus (G. R. VI. p. 403) colligit ex epistula ad Att. XI, 2, 3 (a. 48). Equidem ibi intellegendum esse Chrysippum puto architectum, qui nominatur etiam ibid. XIII, 29, 2. XIV, 9, 1. Vettius Chrysippus, Cyri libertus vocatur ad fam. VII, 14, 1.

3) Geschichte Roms VI, 403.

4) Strabo XIII. p. 625. Quintil. III, 1, 18.

5) Sueton. Octav. 89.

6) Quamquam filius eius nominatur a Seneca (controv. I, 4, 11) inter rhetores „*elegans magis declamator quam vehemens*".

7) Cicero geographica conscripturus Dicaearchi tabulis crediderat „*Peloponnesias civitates omnes maritimas esse*", adiit tamen Dionysium, qui nonnullas esse νεοκτίςτας confirmabat navium catalogo Homerico,

Nicias Cous [1]) primum nominatur in epistula anni a. C. 50 (ad Att. VII, 3, 10) addita hic tantum hominis patria, unde suspiceris paullo ante eum cognitum fuisse Ciceroni. Agitur quaestio grammatica, sitne scribendum *„in Piraeea"*, id quod fecit Cicero, vituperasse videtur Atticus: *„Non .. hoc (in) ut oppido proposui, sed ut loco: et tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, et Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piraeea"*. Quinque annis post (nam tunc demum iterum occurrit) iam vocatur *„Nicias noster et suavissimus* ϲυμβιωτήϲ" (ad fam. IX, 10). Sed iam ante annum 50 eum Romae fuisse demonstrari potest e Suetonio, qui [2]) haec tradit: *„Curtius* [3]) *Nicia adhaesit Cn. Pompeio et C. Memmio; sed cum codicillos Memmi ad Pompei uxorem de stupro pertulisset, proditus ab ea Pompeio offendit domoque ei interdictum est; fuit et M. Ciceronis familiaris"*; secuntur testimonia ex epp. ad fam. IX, 10 et ad Att. XII, 26 atque in fine: *huius de Lucilio libros etiam Santra comprobat"*. Apparet adhaesisse Niciam Pompeio et Memmio, antequam ad Ciceronem veniret. C. Memmius est *„Paris"* Romanus [4]), amicus erat et assecla Pompei certe usque ad annum 58. Tunc enim vehementissime invectus est in Caesarem [5]), cuius ad partes postea transiit. Nam a. 54 consul designatus, sed de ambitu accusatus *„sperat se adventu Caesaris consulem futurum"* [6]). Intra hos annos factum est Memmii et Pompei discidium, itaque ante annum 54 iam Romae versabatur Nicias. Memmium damnatum et Athenas in exilium proficiscentem [7]) non secutus est, sed alium quaesivit patronum et invenit. Imprimis anno 45 frequentasse videtur Ciceronem [8]), eodem autem iam anno *„invito Cicerone, sed eodem auctore"* ad Dolabellam, generum Ciceronis, discedit *„magnopere ab eo arcessitus"*, atque abhinc, quamdiu de eo audimus, cum Dolabella est [9]). Familiarissime et cum Cicerone et cum Dolabella vixisse Niciam ex epistulis apparet. Discipulus eius nominari videtur Thalna quidam [10]). De scriptis Niciae e Cicerone nihil cognoscitur, grammaticum tamen eum fuisse videmus. Sed

---

ubi earum mentio facta non esset. *„Itaque"*, sic pergit, *„istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli"*. Habes „ἀπόγραφα" scripta Ciceronis.

1) Attigerunt hunc Beccard „De scholiis in Hom. Il. Ven. A" p. 75 et La Roche Homerische Textkritik p. 110.

2) Gr. 14.

3) Cuius Curtii fuerit libertus, non liquet.

4) Cic. ad Att. I, 18, 3.

5) Suet. Caes. 23. 73. Schol. Bob. in or. p. Sest. p. 2970 O.

6) Cic. ad Qu. fr. III, 2, 3. Cf. ibid. 8, 3. Suet. Caes. 73.

7) A. Ch. 51 Cicero eum ibi visere vult (ad fam. XIII, 1. ad Att. V, 11, 6).

8) Ad fam. IX, 10. ad Att. XII, 26, 2. 51, 1. 53, 1. XIII, 1, 9, 2.

9) Ad Att. XIII, 28, 3. 52, 2. XIV, 9. XV, 20 (anni 44).

10) Ad Att. XIII, 29, 1. E gente, ut videtur, Iuventiorum. Cicero de hoc certiorem se facturus Niciam adiit eiusque iudicium exploravit: *„Ille (N.) de ingenio (Thalnae) nihil nimis: modestum et frugi"*.

Nicias grammaticus occurrit in scholiis Homericis, atque sequitur e fragmentis[1]) scripsisse eum prosodiam Homericam et fuisse Aristarcheum[2]). Hunc esse Ciceronis familiarem, quamquam dubitat La Rocheus, probat epistula ad fam. IX, 10 (ad Dolabellam): „*Nihil enim Romae geritur, quod te putem scire curare, nisi forte scire vis me inter Niciam nostrum et Vidium iudicem esse: profert alter (ut opinor) duobus versiculis expensum Niciae, alter Aristarchus hos* ὀβελίζει. *Ego tamquam criticus antiquus iudicaturus sum, utrum sint* τοῦ ποιητοῦ *an* παρεμβεβλημένοι". Nam sine dubio verba recte demum intelleguntur, si ad ipsam, quam professus est Nicias, artem grammaticam alludere Ciceronem existimamus[3]). Eodem fere tempore Tyrannio quoque Romae scripsit prosodiam Homericam. Etiam Latinis litteris operam dedisse Niciam e Suetonii loco laudato comperimus. Librum de Lucilio condidit, quem Santra (in opere haud dubie '*de viris illustribus*' s. v. *Lucilius*) comprobavit. Vixisse Santram inter Varronem et Cornelium Nepotem ex ordine nominum apud Suetonium[4]) sequi videtur: aequalis igitur iunior Niciae fuerit. Sospitator Lucilii tunc erat Valerius Cato[5]), et si recte suspicor Valerium illum, qui una cum Tirone et Nicia apud Ciceronem versatur in Tusculano (ad Att. XII, 51—53) esse ipsum hunc grammaticum, dilucide licet cognoscere, unde ad Lucilii studia impulsus sit Graecus.

Tyrannionem grammaticum in Ciceronis epistulis commemoratum non esse 'minorem', quem Suidas s. v. perhibet Ciceronis uxori Terentiae ab Octaviani liberto donatum, sed maiorem Amisenum Dionysii Thracis discipulum demonstravit Planerus[6]). „Intercessisse" vero „ei cum Cicerone necessitudinem quandam et studiorum et sententiarum"[7]) epistulae non testantur: Tyrannio Ciceroni, qui ut erudiat filium grammaticus optaverit[8]), non obsecutus est, et hic illum prosodiae scriptorem naso suspendit adunco ad Att. XII, 6, 2: (petit librum Tyrannionis ab Attico, cui erat dedicatus) „*etsi me non magis liber ipse delectabit quam tua admiratio delectavit . . . teque istam tam tenuem* θεωρίαν *tam valde admiratum esse gaudeo. Etsi*

1) Unum est in scholl. in Od. α 109 (schol. ψ 218 iam Buttmannus recte rettulit ad Niciam Mallotam, cf. Mueller F. H. G. IV. p. 463). Cetera e scholiis in Iliad. collecta invenis a Lentzio in indice Herodianeo.

2) Hoc apparet cum e grammaticis una laudatis, ipso Aristarcho Ptolemaeo Ascalonita Tyrannione Heracleone Pamphilo Aristonico tum ex ipso libello, qui sapit scholam Aristarcheam.

3) Niciam in scholiis laudatum Ascalonitam vocari Schol. Il. Δ, 212 falso legitur in Benseleri Onomastico. Extitit error e verbis Νικίας δὲ καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης (h. e. notissimus Ptolemaeus Ascal.).

4) Praef. 1. p. 3 R.

5) V. Suet. gr. 2 et initium Horat. Sat. I, 10.

6) De Tyrannione grammatico, Berol. 1852 (Progr. gymn. Ioach.).

7) Sunt verba Planeri p. 10.

8) Docuit enim Tyrannio Ciceronem puerum, quamdiu bibliothecam apud patrem disposuit, v. Cic. ad Att. IV, 4b, 1. 8a. ad Qu. fr. II, 4, 2.

tua quidem sunt eiusmodi omnia . . . Sed, quaeso, quid ex ista acuta et gravi refertur ad τέλος? Alia haec sunt quam quae de Graeculis doctis necessitudine sibi coniunctis Diodoto Dionysio Nicia loquentem audire consuevimus Ciceronem. De scriptis recte docuit Planerus[1]), in eo haerens, quod apud Suidam maiori Tyrannioni nullum, minori sexaginta et octo tribuuntur, demendos esse minori et vindicandos maiori libros περὶ προσῳδίας et περὶ σκολίου μέτρου.

Plura addenda sunt de **Tyrannione minore**, cuius vitam enarrat Suidas his verbis: Τυραννίων ὁ νεώτερος Φοῖνιξ πατρὸς Ἀρτεμιδώρου, μαθητὴς Τυραννίωνος τοῦ πρεσβυτέρου· διὸ καὶ ὠνομάσθη Τυραννίων, πρότερον καλούμενος Διοκλῆς· αἰχμάλωτος δὲ γενόμενος καὶ αὐτὸς ἐπὶ τοῦ πολέμου Ἀντωνίου καὶ Καίσαρος ὑπό τινος Δύμαντος ὠνήθη τοῦ Καίσαρος ὄντος ἀπελευθέρου, εἶτα ἐδωρήθη Τερεντίᾳ τῇ τοῦ Κικέρωνος γυναικί· ἐλευθερωθεὶς δὲ ὑπ' αὐτῆς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ καὶ ἔγραψε κ. τ. λ. Bellum, cuius hoc loco fit mentio, haud dubie est illud inter Antonium et Octavianum gestum; anno igitur a. C. 29 captivus cum Octaviano Romam venisse videtur Diocles. Iam quae ansam dedit ad confundendum hunc grammaticum cum Ciceronis aequali, „Ciceronis uxor“ Terentia eicienda esse mihi videtur. Eam nondum mortuam esse illo tempore sequitur quidem e Plinio[2]), sed fuit anicula septuaginta fere annorum, cui donavisse libertum Octaviani puerum litteris eruditum persuadere mihi non possum. Itaque Terentiam hic nominatam Maecenatis esse uxorem[3]) puto litterarum artiumque amantissimam et male aut addita verba τῇ τοῦ Κικέρωνος γυναικί, si solum legebatur Terentiae nomen, aut, si recte adiecta erant τῇ τοῦ Μαικήνα γυναικί, pessime haec mutata esse ab homine, qui doctrinae suae testimonium afferre voluerit, cum noverit Tyrannionem e Ciceronis epistulis. — Transeo ad aliam huius glossae partem. Tyrannio enim ὁ νεώτερος vocatur a lexicographo, sed huius distinctionis

---

1) Aliquid addere velim de titulo libelli περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου. Traditur: π. τῆς Ῥωμ. διαλ. ὅτι ἐστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς ἐκ τοῦ Ἀντιγένους ὅτι Ἀντιγένης (Ἀντιγένους: E) ἡ Ῥωμαϊκὴ διάλεκτος. Delevit Planerus (p. 29) verba ἐκ τοῦ Ἀντιγένους et pro ὅτι Ἀντιγένης coniecit οὐκ (melius fortasse κοὐκ vel καὶ οὐκ, ut monet Susemihlius) αὐθιγενής, atque hoc αὐθιγενής certam esse puto emendationem. Sed quae nunc leguntur: π. τῆς Ῥωμ. διαλ. ὅτι ἐστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς (καὶ) οὐκ αὐθιγενὴς ἡ Ῥωμαϊκὴ διάλεκτος nonne videntur nimis copiose dicta? Recipiamus Planeri coniecturam αὐθιγενής et retineamus cetera: π. τῆς Ῥωμ. διαλ. „ὅτι ἐστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς“ ἐκ τοῦ Ἀντιγένους „ὅτι αὐθιγενὴς ἡ Ῥωμαϊκὴ διάλεκτος“. Indicat distinguendi ratio, quid velimus, agi dico de altero auctore Antigene, qui e contrario scripserat indigenam esse linguam Latinam. Doleo, quod grammaticum horum temporum Antigenem laudatum nusquam inveni. Occurrit I u l i u s A n t i g e n e s libertus in epigrammate apud Kaibelium 629 (Romae, I. saec.).

2) N. H. VII. §. 158.

3) Qua ipse arsit Octavianus (Dio LIV, 19, 3. Suet. Octav. 66), cuius laudes canit Horatius C. II, 12.

nullum aliud invenitur vestigium, atque iure hac in re offendere videmur. Quid enim? Strabonem, qui eodem anno[1]), eadem fortasse nave Romam advectus novisse debuit docentem ibi et inclarescentem Tyrannionem 'minorem', praesertim cum maiorem ipse quoque habuisset magistrum[2]), nonne distinxisse hos inter duos expectamus nec solum de Tyrannione grammatico esse locutum? Nec minus Plutarchus, qui non ipsum quidem, scripta tamen et nomen nosse debuit, ubi loquitur de Tyrannionis vita[3]), nihil addit, unde discernendum esse Amisenum ab altero noscatur. Neque alia res in scholiis: semper et ubique Τυραννίων solummodo laudatur. Sed haud difficilis res est explicatu: antequam Tyrannionis minoris cognomen accepit, **Diocles** appellatus est. Dioclis grammatici mentionem facit Artemidorus[4]), Dioclem scholia testantur Homeri carminibus operam navasse, ita tamen, ut rem magis et sensum quam formam spectasse videatur[5]). Attamen unum eius exstat fragmentum ad prosodiam pertineus: schol. A Il. N, 103: θώων] τὸ δὲ θώων ἔνιοι[6]) περισπῶσιν, ἵν' ὁμοτονῇ τῷ θηρῶν καὶ κυνῶν· οὕτως δὲ καὶ Ἀρίσταρχος προφέρεται καὶ Διοκλῆς καὶ ὁ Θρᾷξ Διονύσιος ὡς βαρύνοντες τὴν λέξιν. Dioclem hunc esse puto Tyrannionis discipulum, qui ut scripsit ἐξήγησιν τοῦ Τυραννίωνος μερισμοῦ ita alia quoque magistri opera commentariis et additamentis illustrasse ac perpolivisse videtur, quapropter Τυραννίων ὁ νεώτερος cognominatus est[7]). Ipse vero cum scripta sua haud dubie non hoc cognomine, sed vero nomine usus ediderit, non est mirum, quod non nisi apud Suidam apparent tum ὁ πρότερος tum ὁ νεώτερος Τυραννίων, apud ceteros ubique aut Tyrannio aut Diocles. Iunxit fortasse hic consuetudinem cum illo apud Murenam, Terentiae fratrem, filium eius Murenae, cui donatus et a quo manumissus erat Tyrannio Amisenus[8]).

Inter Pompei Graecos familiares[9]) notissimus est, qui patroni

---

1) V. Niese Herm. XIII. 1878. p. 43.

2) XII. p. 548. γραμματικὸς δὲ Τυραννίων οὗ ἡμεῖς ἠκροασάμεθα. XIII. p. 609.

3) Lucull. 19, 10. Sull. 26.

4) De somn. IV, 70.

5) Schol. Od. ξ, 132. τ, 457. Schol. B Il. X, 208.

6) H. e. Pamphilus, ut ex antecedentibus apparet.

7) Ex magistri cognomine cognominatus esse dicitur Diodorus Κρόνος (v. Strab. XVIII. p. 838, cuius loci me commonefecit Marxius). Cf. etiam supra p. 360. n. 3.

8) Plut. Lucull. 19, 10.

9) Demetrio Gadarensi, famoso illi Pompei liberto, locus hic non est, quia in litteris aliquid praestitisse eum non traditur. Falsus est Forcellinius, qui in Onomastico (s. v. XXXVII) scribit: *„D. Pompei lib. aliquo litterarum honore commendatus teste Plinio H. N. XXXV. §. 200"*. Locum ex parte supra iam exscripsi: *„talemque (cretatum) Publilium . . . Manilium . . . Staberium Erotem . . . videre proavi. Sed quid hos referat aliquis litterarum honore commendatos? Talem in catasta videre Chrysogonum Sullae, Amphionem Q. Catuli, Hectorem L. Luculli,*

res gestas descripsit, **Theophanes Mytilenaeus**, de quo rebus, quae iam enucleatae sunt a viris doctis[1]), addenda non habeo.

Lenaeus „*Magni Pompei libertus et paene omnium expeditionum comes defuncto eo filiisque eius schola se sustentavit docuitque in Carinis ad Telluris, in qua regione Pompeiorum domus fuerat, ac tanto amore erga patroni memoriam extitit, ut Sallustium historicum, quod eum oris probi animo inverecundo scripsisset, acerbissima satura laceraverit ... traditur autem puer adhuc Athenis subreptus refugisse in patriam perceptisque liberalibus disciplinis pretium suum retulisse, verum ob ingenium atque doctrinam gratis manumissus*“[2]). Unicum hoc est de vita eius testimonium[3]). Quando Athenis subreptus sit, non dicitur; sed vix errabimus, si eum ut alios multos expugnatis Athenis a. C. 86 servum factum Romamque deductum esse suspicabimur. Puer cum tunc fuerit, anno fere 96 natus est, atque erat, cum Pompeium bello Mithridatico in Asiam sequeretur, vir triginta fere annorum. Superstes denique cum teste Suetonio fuerit Sexto quoque Pompeio, qui obiit a. C. 35[4]), ultra annum aetatis sexagesimum vixit. Sallustii liber, quo edito in historicum invectus est Lenaeus, procul dubio sunt Historiae. De harum originis tempore nihil constat nisi scriptas eas esse post Catilinam, primum Sallustii opus, editum 43/42. E Suetonii autem verbis maximeque illis: „*appellans et vita scriptisque monstrosum*“ sequi videtur mortuum lacerasse Lenaeum. Nec vero minus res postulat, ut saturam istam non conditam esse cogitemus intermisso longiore post editum Sallustii librum temporis spatio, sed quam celerrime subsecutam. Itaque fortasse hic sublucet vestigium, quo ducti post demum mortem scriptoris prodiisse historias conicere possimus.

Liberti Pompei non fuerunt qui in domo eius docebant **Aristodemi Nysaei**, de quibus Strabo[5]) memorabiles enumerans viros e Nysa Cariae oppido oriundos haec refert: ... καὶ Μενεκράτης Ἀρι-

---

Demetrium Pompei ... Hipparchum M. Antonii, Menam et Menecratem Sexti Pompei aliosque deinceps, quos enumerare iam non est sanguine Quiritium et proscriptionum licentia ditatos?“ — Apparet enuntiatum illud maximeque verbum „*hos*“ falso relatum esse a Forcellinio ad insequentes, cum respiciat antecedentes. Hos autem tractare alienum a nobis et historici est.

1) V. Mueller F. H. G. III. p. 312. Lapidum Mytilenaeorum testimonium addidit Cichorius Rom u. Mytilene p. 6 sq. Nuper de eodem viro egit W. Fabricius Theophanes u. Dellius als Quellen Strabos, Argentor. 1888.

2) Suet. gr. 15.

3) Plinii et Gellii locos, ubi extant eius fragmenta e translatis iussu Pompei in Latinum sermonem scriptis Mithridatis de venenis invenis apud Drumannum (G. R. IV. p. 556) Deest Plin. XXV. §. 63. Scriptum „*de herbis*“, quod teste eodem XXV. §. 5 ante C. Valgium solus condidit Lenaeus, fuisse puto inter translatos illos libros, cum pergat Plinius: „*Namque Mithridates etc.*“.

4) Cf. Drumann l. l. IV. p. 558. n. 71.

5) XIV. p. 650.

στάρχου μαθητὴς καὶ Ἀριστόδημος ἐκείνου υἱὸς, οὗ διηκούσαμεν ἡμεῖς ἐσχατογήρω νέοι παντελῶς ἐν τῇ Νύσῃ καὶ Σώστρατος δὲ ὁ ἀδελφὸς τοῦ Ἀριστοδήμου καὶ ἄλλος Ἀριστόδημος ἀνέψιος αὐτοῦ ὁ παιδεύσας Μάγνον Πομπήιον ἀξιόλογοι γεγόνασι γραμματικοί· ὁ δ' ἡμέτερος καὶ ἐρρητόρευε καὶ ἐν τῇ Ῥόδῳ καὶ ἐν τῇ πατρίδι δύο σχολὰς συνεῖχε, πρωὶ μὲν τὴν ῥητορικήν, δείλης δὲ τὴν γραμματικὴν σχολήν· ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ τῶν Μάγνου παίδων ἐπιστατῶν ἠρκεῖτο τῇ γραμματικῇ σχολῇ. Distinguendi igitur duo sunt huius nominis grammatici affines: alter Pompei magister (maior haud dubie natu), alter Menecratis filius, Pompei filiorum praeceptor, quem etiam Strabo Nysae audivit. Quo tempore Aristodemus maior Romae docuerit, adumbrare tantum possumus: inter annos a. C. 100 et 90, cum Pompeium adulescentulum septendecim annorum prima stipendia fecisse constet[1]). Menecratis filium ibi docuisse inter annos 60 et 50[2]) inde collegit Clinton[3]), quod Strabo Aristodemum audivit, qui tertius fuit, si hominum genera spectas, inde ab Aristarcho. Nobis certum iacet argumentationis fundamentum, cum Nieseus[4]) a. C. 63 natum esse Strabonem demonstraverit. Atqui erant Pompeio filii duo et filia[5]), et Sextum quidem fratrum minorem natum esse 75 constat, Gnaeus maior in lucem editus est inter annos 78 et 76, grammatico igitur praeceptore uti potuerunt annis 65—60, intra quos Romam venisse videtur Aristodemus. Multifariam enim traditum est[6]) Pompeium et in ipso bello piratico et confecto bello Mithridatico a. C. 62 Rhodum adiisse omnesque ibi sophistas audivisse[7]), testatur autem Strabo Rhodi quoque scholam habuisse Aristodemum. Ibi Pompeium arbitror cognovisse grammaticum et affinem ipsius magistri secum Romam duxisse ad erudiendos filios, quorum minor Sextus decimum tunc tertium agebat annum. Quoniam vero Strabo νέος παντελῶς illum senem Nysae audivit, reliquerat interea Romam Aristodemus, neque cur reliquerit, causa difficilis inventu: annis 50/49 turbata est urbs tumultu interno paulloque post flagrabant Italia et Graecia civilis belli incendio. Tunc Romam domumque Pompei deseruit patriamque petivit, ubi discipulus eius factus est Strabo admodum adulescentulus inter annos 49 et 45; atque Aristodemus cum ἐσχατογήρως iam fuerit, natus est anno fere 130. — Nomine addito quae extant eius fragmenta, invenis apud Muellerum[8]). Unum tamen, quod maioris est ambitus ex

---

1) Drumann IV. p. 325.
2) Falsus legitur apud Muellerum (F. H. G. III. 307) numerus 60—40.
3) Fast. Hellen. III. p. 554. Strabonem natum esse putat a. C. 60
4) Herm. XIII. p. 37 sqq. Mus. Rhen. XXXVIII. p. 567 sqq.
5) Drumann IV. p. 558.
6) Videas locos apud Drumannum IV. p. 411. n. 70.
7) Notissima est de Posidonio narratiuncula.
8) L. l. Aristodemum laudatum in Ioannis Doxopatri prolegg. ad Hermog. (Walz Rhett. gr. VI. p. 25): πέμπτη δὲ (ῥητορικὴ τέχνη) ἡ κο-

Historiis a Parthenio[1]) servatum, utri tribuendum sit Aristodemo, non liquet. De interpretatione huius grammatici Homerica agemus in epimetro.

Ut Pompeius debellato Mithridate a. 62 circumiens Asiae insularumque civitates poenaque vel praemio afficiens liberavit Mytilenaeos in unius Theophanis gratiam[2]), prorsus ita quattuordecim annos post debellato Pompeio Caesar libertate donavit Cnidios Graeci caussa familiaris, Θεοπόμπῳ τῷ cυναγαγόντι τοὺc μύθουc χαριζόμενοc[3]). Multum valuisse apud Caesarem **Theopompum Cnidium** Strabo[4]) quoque testatur: καθ' ἡμᾶc δὲ Θεόπομποc ὁ Καίcαροc τοῦ Θεοῦ φίλοc τῶν μεγάλα δυναμένων καὶ υἱὸc Ἀρτεμίδωροc. Hunc Theopompi filium esse **Artemidorum** illum, qui auctore Plutarcho[5]) Ἑλληνικῶν λόγων cοφιcτὴc καὶ διὰ τοῦτο γεγονὼc ἐνίοιc cυνήθηc τῶν περὶ Βροῦτον, ὥcτε καὶ γνῶναι τὰ πλεῖcτα τῶν πραττομένων Caesari Idibus Martiis in senatum eunti tradidit libellum, in quo patefacta erant omnia, colligendum esset et credendum, etiamsi non diserte hoc referret Appianus[6]): Ὁ δὲ ἐν Κνίδῳ γεγονὼc αὐτῷ ξένοc Ἀρτεμίδωροc ἐc τὸ βουλευτήριον ἐcδραμὼν εὗρεν ἄρτι ἀναιρούμενον (Caesarem). Filius igitur una cum patre Caesaris consuetudine et familiaritate Romae fruebatur. Vixisse enim tunc etiam Theopompum scimus e Cicerone[7]): *„Sextius apud me fuit et Theopompus pridie. Venisse a Caesare narrabat litteras* (scil. ex Hispania, ubi Pompei filios ille debellavit) *hoc scribere sibi certum esse Romae manere"* (scil. *me,* sicut apparet ex insequentibus). Per Theopompum igitur cum Cicerone egisse quodammodo videtur absens Caesar. Post mortem patroni quae ei acciderint, idem docet Cicero[8]): *„Theopompum nudum expulsum a Trebonio confugere Alexandream neglexistis"* (crimini hoc

---

λακευτική, ἡγήcατο Δημάδηc καὶ Ἀριcτόδημοc non esse puto hunc rhetorem et grammaticum. Intellegere malim historicum, cuius fragmentum satis amplum adulatione Atheniensium refertissimum e codice Parisino excussum legitur apud Muellerum F. H. G. V. p. 1, de quo valde dissentiunt viri docti (cf. Wachsmuth. in Mus. Rhen. XXIII. p. 303 sqq. et Matthias Das Fragment d. Aristodem, Gothae 1874). At ne lectio quidem certa est, immo Ἀριcτόβουλοc traditur Rhett. gr. III. p. 610, quam scripturam Mueller (Scriptt. Alex. M. p. 94) cum probet, Aristobulum Cassandrensem temere adnumerat Alexandri Magni adulatoribus. Omnino autem de historico sermo esse non videtur, sed de oratore et de alio quidem demagogo, qui similis erat vel certe videri poterat Demadi, quapropter nescio an utraque scriptura falsa et cum Susemihlio l. l. I. p. 540. n. 58 (cf. p. 904) restituendum sit Εὔβουλοc.

1) C. 8.
2) Plut. Pomp. 42. Vell. Pat. II, 18.
3) Plut. Caes. 48.
4) XIV. p. 656.
5) Caes. 65.
6) B. C. II, 116.
7) Ad Att. XIII, 7, 1 (a. 45).
8) Phil. XIII, 33.

inter alia senatui et optimatibus a Caesarianis datum). *„Magnum crimen senatus! De Theopompo summo homine neglegimus, qui ubi terrarum sit, quid agat vivat denique an mortuus sit, quis aut scit aut curat?"* Esse hunc Caesaris hospitem et familiarem confirmant antecedentia: *„Securi percussos Petrum et Menedemum*[1]) *civitate donatos et hospites Caesaris laudastis"*, quibus adiungitur Theopompus. Inde quod Alexandream confugit, suspicari fortasse licet eum, antequam Romam venerit, ibi degisse.

Plutarchus vocat Theopompum cυναγαγόντα τοὺc μύθουc, unde et titulus libri „Cυναγωγὴ μύθων" elici potest et notissimum atque lectitatum eum fuisse Plutarchi temporibus colligendum est. Nec tamen certa huius scripti vestigia detegere contigit[2]).

---

1) *„Nequissimos Graeculos"* increpat Cicero. De quibus aliunde nihil compertum habemus.

2) De fragmentis enim Theopompi nomine traditis 339. 340. 342 M., quae mythographo Theopompo tribuit Welcker Ep. Cycl. I^1. p. 29 sq. (I^2. p. 27 sq.) n. 33, res admodum incerta est. Verum tamen ex parte quidem vidit vir clarissimus, cum diceret: „Auch setzt vielleicht Tzetzes zu Lycophr. 174, wo er die Teilung der Länder unter die Sonnensöhne Aeetes und Aloeus aus Eumelos anführt, irrtümlich Χῖοc zu dem Namen (Theopomp): der des Pindar Ol. XIII, 74, der dieselben Verse anführt . . . hat es nicht". Aliter tamen se habet res: hoc quidem Theopompi fragmentum sicut legitur apud Muellerum (fr. 340) desumptum a Tzetze ad Lycophr. l. l. omnino non est Theopompi neque Chii neque alius, sed aliud Theopompi (sine Chii cognomine) fragmentum in illo Pindari scholio (veteriorum quod est) extat hoc: τὴν δὲ Μήδειαν ἐραcθῆναι Cιcύφου φηcὶ Θεόπομποc· ἄλλωc κ. τ. λ. Pessime enim erravit Tzetzes vel auctor eius, qui hinc sua sumpsit, referens illud ἄλλωc etiam ad antecedens Θεόπομποc, addito insuper suo arbitratu ὁ Χῖοc. Iam haec de Medea narrata, quae singularia sunt neque alibi inveniuntur, possunt esse Chii historici, qui quamquam teste Diodoro IV, 1 ἀπέcτη τῶν παλαιῶν μύθων, propriam igitur archaeologiam nec praemisit nec innexuit operi, tamen hic illic in enarrandis rebus etiam ad antiquissima fabulosaque tempora reduxisse videtur legentes; possunt igitur eius esse, praesertim cum, ut me monuit Maassius, et Medea et Sisyphus numina sint a Corinthiis culta antiquissima. Attamen suborta mihi est dubitatio anne sit haec de Medea fabulae forma falsa interpretatio versus Euripidei (Med. 400sqq.)

ἀλλ' εἶα φείδου μηδὲν ὧν ἐπίcταcαι
Μήδεια βουλεύουcα καὶ τεχνωμένη·
ἕρπ' εἰc τὸ δεινόν· νῦν ἀγὼν εὐψυχίαc·
ὁρᾷc ἃ πάcχειc; οὐ γέλωτα δεῖ c' ὀφλεῖν
τοῖc Cιcυφείοιc τοῖc τ' Ἰάcονοc γάμοιc
γεγῶcαν ἐcθλοῦ πατρὸc Ἡλίου τ' ἄπο,

ita quidem orta, ut Cιcύφειοι γάμοι iuxta Ἰάcονοc male sint intellecti de ipsa Medea, non ut debent, de nuptiis Glauces et Iasonis. Erroris autem huius ineptissimi arguere Chium historicum nefas est, arguere eius mythographum, qui quattuor fere saeculis post ad componendam μύθων cυναγωγήν e veteribus poetis et pedestris orationis scriptoribus nova inprimis atque exquisita, ut doctrinam ostenderet, expiscari studuit, si probabiliter illud coniecisse videor, nemo, opinor, dubitabit. Itaque nescio

Adiuvisse Caesarem in fastis corrigendis (a. 45) **Sosigenem mathematicum** testis est Plinius[1]): „*his* (tribus sectis Chaldaeae Aegyptiae Graecae) *addidit quartam apud nos Caesar dictator annos ad solis cursum redigens singulos Sosigene perito scientiae eius adhibito . . . Et Sosigenes ipse trinis commentationibus, quamquam diligentior ceteris, non cessavit tamen addubitare ipse semet corrigendo*"[2]). Laudatur praeterea semel[3]) de Mercurii sidere.

Docuit Romae etiam **Asclepiades Myrleanus**. Testis est Suidas, cuius in glossa multos labores multamque operam consumpsere viri docti[4]): Ἀσκληπιάδης Διοτίμου Μυρλεανός· πόλις δέ ἐστι Βιθυνίας ἡ νῦν Ἀπάμεια καλουμένη· τὸ δὲ ἀνέκαθεν ἦν Νικαεύς· γραμματικὸς μαθητὴς Ἀπολλωνίου· γέγονε δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀττάλου καὶ Εὐμενοῦς τῶν ἐν Περγάμῳ βασιλέων· ἔγραψε φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά· ἐπαίδευσε δὲ καὶ εἰς Ῥώμην ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ τοῦ δ´ Πτολεμαίου νέος διέτριψε· ἔγραψε πολλά. Duos hoc loco confusos esse homines iamdudum intellectum est, et eorum natu quidem maiorem non et ipsum fuisse Myrleanum[5]) demonstravit Lehrsius; ad hunc autem referenda esse verba μαθητὴς — διορθωτικά et si δ´ numerus recte traditus est, etiam καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ — διέτριψε patet. Sin pro δ´ cum Reinesio θ´ restituere malimus, tamen non tam Alexandrinorum quam Pergamenorum rationem secutus est Myrleanus, quapropter incertissima est, quamvis facillima sit, haec mutatio[6]). Sed utut haec se habent, certe maior Asclepiades ille a proposito nostro alienus est; minor hic Myrlea urbe patria relicta Romae tempore Pompei artem grammaticam docuit et, si quid video, inde demum profectus etiam, id quod narrat Strabo[7]), in Turdetania: nam artissime haec provincia coniuncta erat cum populo Romano plenaque Roma-

---

an hic pateat illius operis vestigium. Iam fabularum compendium, quo Diodorus usus sit in libro quarto, scriptum inter annos fere a. C. 100 et 44 a viris doctis (v. Bethe Quaestt. Diodor. mythogr. diss. Gotting. 1887. p. 94 sqq.) exploratum est: en habemus eiusmodi librum a Caesaris familiari conditum.

1) H. N. XVIII. §. 211.

2) Cf. praeterea Plut. Caes. 59. Macrob. Sat. I, 14, 2. 15, 9.

3) Plin. II. §. 39.

4) Lehrs Herodian. p. 428. Mueller F. H. G. III. p. 298. Rohde Mus. Rhen. XXXIII. p. 173. (n. 4). XXXIV. p. 571. n. 1. Daub Ann. phil. Suppl. XI. p. 457 sq. Susemihl l. l. II. p. 15 sqq.

5) Vel certe nullum nobis mansisse vestigium rei tam singularis, qualis sunt duo grammatici eiusdem nominis ex eadem urbe oriundi. Duos Aristodemos Nysaeos accurate, ut vidimus, distinguit Strabo, de uno tantum Myrleano loquitur Asclepiade (v. n. 7), non novit alterum.

6) Ergo num recte Bernhardyus ante ἐπαίδευσε posuerit lacunae signum, dubium est: verbis solis ἔγραψε πολλά post antecedentia ἔγραψε — διορθωτικά haec coniectura quadamtenus commendatur.

7) III. p. 157.

norum colonorum [1]). In scriptis eius nosci posse, sicut dixi, aliquotiens Crateteae disciplinae asseclam contra Lehrsii dubitationes recte contendit Wachsmuthius [2]), in eo tamen falsus, quod discipulum vocat Myrleanum Cratetis, id quod longe abhorret a temporum ratione [3]).

L. Crassitius „*genere Tarentinus ordinis libertini Pasicles mox Pansam se transnominavit. Hic initio circa scaenam versatus est, dum mimographos adiuvat; deinde in pergula docuit, donec commentario Zmyrnae edito adeo inclaruit, ut haec de eo scriberentur:*

Uni Crassitio se credere Zmyrna probavit,
desinite indocti coniugium hoc petere!
soli Crassitio se dixit nubere velle,
intima cui soli nota sua exstiterint.

*Sed cum * * [4]) et doceret iam multos et nobiles, in his Iulum Antonium triumviri filium, ut Verrio quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola transiit ad Q. Sexti philosophi sectam*“ [5]).

E verbis ultimis certiorem temporis notam non lucramur [6]), verum inde, quod magister nominatur grammaticus Iuli Antonii, qui natus a. C. 44 Romae ab Octavia educabatur [7]); itaque in domo Octaviae anno fere 30 iam docuit Crassitius. Commentarium illum, quo innotuit, antea eum scripsisse et edidisse apparet: quando (utrum vivo Cinna an iam mortuo) [8]), diiudicari nequit, cum Philargyrii [9]) verba „*ut nonnulli eius aetatis grammatici in eam* (*Zmyrnam*) *scripserint*“ nimis sint in universum dicta. Quem mimographorum adiuverit, otiosum est quaerere. Sed contra omnem temporum rationem arcessiverunt [10]) Philistionem, qui teste Hieronymo floruit p. C. 8. Rectius, si quem volumus nominare, licet Publilium, qui „*a. C. 43 Romae scaenam tenet*“ (Hieronym.) vel, qui paullo ante floruit, Labe-

---

1) Strab. III. p. 141 sqq.

2) De Cratete Mallota p. 6. n. 4.

3) Quis fuerit Asclepiades, qui περὶ ἀξόνων τῶν Σόλωνος scripsit, vituperatus a Didymo (Plut. Sol. 1), nescio. Eundem tamen esse censeo Asclepiadem laudatum schol. Pind. Nem. II, 19 περὶ κατακληρουμένων τὴν Σαλαμῖνα, praesertim cum mox adiciatur Didymi sententia diversa.

4) Lacunam statuit editor. Supplendum fortasse ex antecedentibus: „inclaruisset“.

5) Suet. gr. 18.

6) De Sexti aetate v. Zeller III^3, 1. p. 677. Delendum vero quod accidit viro doctissimo de Crassitio (n. 2) dicenti: ein Grammatiker, der sich bereits als Lehrer, besonders in Smyrna einen bedeutenden Namen erworben hatte.

7) Cf. Kiessling Prolegg. ad Horat. C. IV, 2.

8) Obiisse Cinnam a. 44 probavit Kiesslingius in Comment. Mommsen. p. 353.

9) Ad Vergil. Ecl. IX, 35.

10) Teuffel R. L.-G. §. 254, 6.

rium, vel utrumque, quoniam „mimographos“ adiuvisse dicitur Crassitius.

De **Timagene** historico disputavit Muellerus[1]). Quando mortuus sit, nescitur; tamen ante Asinium Pollionem[2]) eum vita decessisse crediderim, quia *„consenuisse in contubernio Pollionis“*[3]) atque in eius Albano[4]) perhibetur obiisse. Scholam eius suscepit

Asinius Pollio Trallianus, de quo confusam, ut solet, exhibet Suidas glossam: quae quomodo in ordinem redigi posse videatur, indicabo:

Πωλίων ὁ Ἀσίνιος χρηματίσας Τραλλιανὸς σοφιστὴς [καὶ φιλόσοφος] σοφιστεύσας ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου καὶ διαδεξάμενος τὴν σχολὴν Τιμαγένους· ἔγραψε Ἐπιτομὴν τῆς Φιλοχόρου Ἀτθίδος, [Ἀπομνημονεύματα Μουσωνίου τοῦ φιλοσόφου, Ἐπιτομὴν τῶν Διοφάνους γεωργικῶν . . . πρὸς Ἀριστοτέλην] περὶ τοῦ ἐμφυλίου τῆς Ῥώμης πολέμου, ὃν ἐπολέμησαν Καῖσάρ τε καὶ Πομπήιος. Iam sequitur alius Pollio Alexandrinus philosophus, quem subindicatum esse puto in initio prioris glossae verbis καὶ φιλόσοφος, Hadriani aequalis, cuius sunt scripta philosophica uncis inclusa. Praeterea offendere potes in synchronismo ἐπὶ Πομπηίου τ. μ., quoniam qui Timagenis scholam continuavit, floruit sub Augusto. Sed videtur sumpta esse haec temporis nota e titulo libri de bello civili inter Caesarem et Pompeium gesto[5]).

Augusteam attigimus aetatem. Primo loco nominandi sunt viri illi notissimi, quorum ex parte quidem scripta adhuc extant, **Diodorus Dionysius Halicarnassensis Caecilius Hyginus Strabo**: de quibus quae explorata habemus augere nequeo, repetere nolo. De Strabone unum adiungam. Quamquam enim assentior Niesei de aetate geographi disputationibus[6]), tamen Romae scripta esse geographica, quamvis per se sit probabile, revera adhuc probatum esse recte Haeblerus negavit[7]). Eis, quae ab hoc didicimus, extemplo utendum est ad corrigendam Muelleri de **Nicolai Damasceni** vita et scriptis disputationem[8]). Etenim si ex ipsius Nicolai verbis de

---

1) F. H. G. III. p. 317. Timagene usum esse Pompeium Trogum probare studet Gutschmidius in Mus. Rhen. XXXVII. p. 548 sqq.

2) I. e. ante annum p. C. 5: falsus enim extat numerus 755 pro 758 apud Muellerum p. 319 (not.).

3) Sen. de ir. III, 23.

4) Certa haec est Hemsterhusii emendatio traditae codicum scripturae Δαβάνῳ.

5) Ipsum sane librum sine dubio consulari esse vindicandum constat. Graecam historiam, quam Ῥωμαϊκῶς primus condidisse hic dicitur a Suida s. v., revera libertum conscripsisse in usum patroni cum H. Petero (Annal. phil. CXIX. p. 421 sqq.) veri duco simile. Praeterea eidem concedo epistulam Πωλίωνος πρὸς Σωτηρίδαν (Pamphilae doctae mulieris patrem) tribuendam videri liberto. De Historiis dubito.

6) Locis laudatis supra p. 378. n. 4.

7) V. quae contra Nieseum monuit Herm. XIX. 1884. p. 235.

8) F. H. G. III. p. 343 sqq. De philosopho Nicolao v. Zeller III[3], 1. p. 629.

Octaviano studiorum causa Apolloniam profecto: ὁ νέος Καῖσαρ ἐνταυθοῖ ἐπεδήμει collegit vir doctissimus Apolloniae, non Romae ultimam vitae partem degisse historicum, certe „Vitam Augusti" ibi scripsisse, obvertemus, quod Nieseo obvertit Haeblerus, nihil eiusmodi his temporibus demonstrari harum particularum usu[1]). Certi igitur quicquam de ultimis Nicolai annis, ubi degerit historiam scripserit obierit (utrum Romae an alibi), stabiliri nequit.

Nec minus incerta est res de **Iuba** Mauretaniae rege[2]), quonam mortuus sit anno, atque manebit incerta, donec sciatur, quando Strabonis liber septimus decimus scriptus sit, ubi leguntur verba: Ἰούβας μὲν νεωστὶ ἐτελεύτα τὸν βίον. Conditam esse alteram geographicorum partem p. C. 19 demonstrare studet Nieseus[3]), ut ante hunc annum vita decesserit Iuba: id quod respuere videntur nummum testimonia, quibus nisus Ruehlius p. C. 23 demum obiisse hunc regem contendit[4]) probante H. Petero[5]). Itaque nobis res in medio relinquenda est.

Scribonius Aphrodisius *„Orbili servus atque discipulus mox a Scribonia Libonis filia, quae prior Augusti uxor fuerat, redemptus et manumissus docuit quo Verrius tempore, cuius etiam libris de orthographia rescripsit non sine insectatione studiorum morumque eius"*[6]). Habes mordax Orbilii genus! Verba sicut leguntur: *„Scribonia, quae prior Augusti fuerat uxor"* indicare videntur divortio facto emptum esse a Scribonia Aphrodisium post annum a. C. 39, quo repudiavit Octavianus anno ante ductam[7]). Alius ni fallor fuit, quamquam tempora conveniunt, mathematicus Scribonius, qui de infante Tiberio spopondit *„etiam regnaturum quandoque sed sine regio insigni — ignota scilicet tum adhuc Caesarum potestate"*[8]).

Sphaerus Augusti erat paedagogus teste Dione[9]): ταῦτά τε οὖν ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ (a. C. 40) ἐπράχθη καὶ Σφαῖρον ὁ Καῖσαρ παιδαγωγόν τε καὶ ἐξελεύθερον αὐτοῦ γενόμενον δημοσίᾳ ἔθαψε. Octavianus cum 63 natus sit, annis fere 57/55 iam Romae fuit Sphaerus atque haud exiguam sibi paravisse videtur apud discipulum gratiam et amorem.

Iulius Marathus, Augusti libertus, de patrono librum edidisse

---

1) Similiter et nos vernaculo sermone particulam „hier" usurpamus.

2) Mueller F. H. G. III. p. 465 sqq. H. Peter Über den Wert der histor. Schriftstellerei von König Iuba II. v. Mauret. in programmate scholae Misniensis anni 1879 p. 1—14.

3) Herm. XIII. p. 35. Ipse v. d. longiore in adnotatione de hac re disputans se verum nondum videre tunc fassus est.

4) Das Todesjahr Iuba's II., Annal. philol. CXVII (1878). p. 542 sqq.

5) L. l. p. 1.

6) Suet. gr. 19.

7) Dio Cass. XLVIII, 34.

8) Suet. Ti. 14.

9) XLVIII, 33.

dicitur a Suetonio[1]): *„staturam (habuit Augustus) brevem, quam tamen Iulius Marathus libertus † etiam memoriam eius quinque pedum et dodrantis fuisse tradit"*. Priusquam hunc locum expediam, alter adiciatur[2]): *„auctor est Iulius Marathus ante paucos quam nasceretur (Augustus) menses prodigium Romae factum publice quo denuntiabatur regem populo Romano naturam parturire, senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur, eos qui gravidas uxores haberent, quod ad se quisque spem traheret, curasse ne senatusconsultum ad aerarium deferretur"*. Iam sequitur de Atiae cum dracone concubitu narratio ex Asclepiadis Mendetis Θεολογουμένων libro, de quo infra dicemus. Loco priore traditam scripturam: *„Iulius Marathus libertus etiam memoriam eius ... tradit"* corruptam esse apparet. Coniecit Lipsius: *„libertus et a memoria eius"*, quod Rothius in textum recepit. Sed quamvis arrideat coniectura, num vera sit, dubito. Primum enim huius „a memoria" officii testimonia Caracallae demum temporibus inveniri statuit Friedlaenderus[3]), deinde desiderari puto scriptore nominato etiam libelli commemorationem: quapropter in verbo: *„memoriam"* hunc latere existimo libellum (ὑπόμνημα) et accipio, quia quod flagito praebet, lectionem editionis Panckouckianae: *I. M. libertus in „Memoria" eius ... tradit*[4]). Scripta esse talia de statura principis post eius obitum manifestum est[5]).

Similia miracula de Augusto narravit in Θεολογουμένων libro **Asclepiades Mendesius,** quem Romae fuisse etsi diserte traditum non est, tamen ex fragmento, quod servavit Suetonius[6]), concludimus. Narratum ab eo hoc loco legimus de Atiae cum dracone in templo Apollinis concubitu, de eius patrisque Octavii somniis, unde et quia decimo mense natus est, Apollinis filius putabatur Augustus[7]). Talia certo quodam conscripta consilio, ad efferendum evehendumque Divum Augustum, cuius in domo omnia fierent divinitus[8]), edita

---

1) Aug. 79, cf. 94.
2) Ibid. 94. Cf. Usener Religionsgeschichtl. Unters. I. p. 73 et 78.
3) Sittengeschichte Roms I⁵. p. 169.
4) Mos memorias conscribendi tunc videtur fuisse usitatior. Ipse Augustus *„etiam vitae memoriam (Drusi) prosa oratione composuit"* (Suet. Claud. 1). Porro idem de vita sua ipse quaedam scripsit Cantabrico tenus bello (Suet. Octav. 85), quae laudata Serv. Verg. Buc. IX. 46 (*Augustus in libro II de memoria vitae suae*) et Aen. VIII, 696 (*„Augustus in commemoratione vitae suae"*) continuata forsitan sint a liberto, ut Sullae ὑπομνήματα continuavit Epicadus. Denique etiam Agrippina, Neronis mater *„vitam suam et casus suorum posteris memoravit"* (Tac. Annal. IV, 53).
5) Cf. Suet. Aug. 89. 6) Ibid. 94.
7) Idem esse videtur Asclepiades apud Steph. Byz. s. v. Νάξος, qui tradidit Iunonem feminis Naxiis dono dedisse ὀκτόμηνα τίκτειν: nam haec sapiunt eundem librum.
8) Quam aliter alii senserint, indicat versus iste de Livia per Urbem decantatus τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία (Suet. Claud. 1).

esse aut vivo adhuc principe prodigiorum ostentorum miraculorum amantissimo[1]) aut paullo post eius obitum consentaneum est: quapropter aequalis fere Marathi hic Asclepiades est censendus.

Pro Dionysio Characeno, qui a Plinio[2]) vocatur *„terrarum orbis situs recentissimus auctor . . . quem ad commentanda omnia in orientem praemisit Divus Augustus ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res maiore filio“* scribendum esse **Isidorum** Characenum iamdudum inter omnes constabat accuratiusque demonstravit Muellerus[3]). Maior filius est Tiberius, qui a. C. 20 ab Augusto in Armeniam cum exercitu missus est[4]). Ante hunc igitur annum iam Romae versabatur Isidorus.

Vipsanii libertus erat **Philargyrus**, qui notis Tironianis alias addidit teste Suetonio[5]): *„post eum (Tironem) Vipsanius Philargyrus et Aquila libertus Maecenatis alias addiderunt; denique Seneca etc.“* Inter Tironem igitur et Senecam vixisse et aequalis Aquilae fuisse videtur Philargyrus, quare aptissime M. Vipsanius Agrippa, Augusti gener et amicus, eius existimatur patronus. Aquilam tradit Dio[6]) edidisse notas, quas invenerit Maecenas ipse. Sed hoc non credendum est, quia in eo iam fallitur scriptor, quod πρῶτον ἐξευρεῖν σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος Maecenatem dicit.

Habro grammaticus his temporibus adscribendus est. De quo haec legimus apud Suidam: Ἄβρων[7]) Φρὺξ ἢ Ῥόδιος γραμματικὸς μαθητὴς Τρύφωνος ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ· γεγονὼς δὲ ἐκ δούλων ὥς φησιν Ἕρμιππος. Trypho cum floruerit auctore eodem Suida s. v. κατὰ τοὺς Αὐγούστου χρόνους καὶ πρότερον, Augusti et Tiberii aequalis putandus est Habro. Duplex significatio Φρὺξ ἢ Ῥόδιος ita explicatur, ut natione Phryx Rhodi studiis vacaverit ibique innotuerit, atque cum de loco, ubi Trypho artem professus sit, nihil tradatur, hinc Rhodi eum docuisse colligo, quo fortasse secutus est Dionysium Thracem Alexandria emigrantem[8]). Praeceptoris vestigia

---

1) Suet. Aug. 92.

2) H. N. VI. §. 141.

3) Geogr. gr. min. I. p. LXXXI sqq.

4) Suet. Ti. 9. Dio LIV, 9.

5) De vir. illustr. 106. p. 136 R. Falso distinguere editorem puto verba: *„Vipsanius, Philargyrus et Aquila“*, quoniam per *„et“* tertium non additur.

6) LV, 7.

7) Praestare Ἅβρων pro Ἄβρων recte adnotat Bernhardyus, cum ab ἁβρός derivatum esse nomen appareat (Fick Gr. Personennamen p. 3); saepe falso scriptum esse Ἄμβρων (Et. M. 624, 57) observavit Velsenius Tryph. p. 2. n. 3.

8) Iuniorem enim Dionysio fuisse Tryphonem testantur temporum notae traditae, neque obstat, quod in Dionysii arte grammatica (p. 29, 1 Uhlig) Thryphonis nomen exempli gratia invenitur, unde abiudicandam Dionysio τέχνην Lehrsius (Herodian. p. 438), ante Dionysium vixisse Tryphonem conclusit Velsenus (l. l. p. 5); recte oblocutus est M. Schmidtius (Philol. VIII. p. 510) probante novissimo τέχνης editore (p. LXXXVI), qui a posteriore manu prò alio nomine substitutum esse Τρύφωνα suspicatur.

haud aegre ex Habronis fragmentis cognosci posse iudicavit Velsenus[1]). Scripsit enim Habro Tryphonem secutus περὶ παρωνύμων, cuius libelli septem extant fragmenta apud Stephanum Byzantium, octavum in Schol. A Ε, 69; praeterea una cum Tryphone laudatur in Schol. Hes. Theog. 389 (fr. 92 V.) et dialectorum quoque studiis operam eum navasse secundum Tryphonis exemplum videre licet e Crameri Anecdotis Oxon. IV. p. 418, 20.

Inter Tiberii aequales et convictores Graeculos primus est nominandus **Thrasyllus**, mathematicus, quo familiarissime usus est princeps ita, ut solus exciperetur ille facto p. C. 16 senatusconsulto de mathematicis magisque Italia pellendis[2]). Et Platonis et Democriti opera ab eo in tetralogias esse dispertitas, omnibus notum est. Prolixe de eo disputaverunt C. F. Hermannus[3]) et Suckovius[4]).

Seleucum grammaticum apud Tiberium versantem[5]) eundem esse atque notum huius nominis Homericum τὸν λυτικόν probavit Maassius[6]), nec minus **Xenonem** Tiberii convictorem ibidem nominatum esse mutandum in Zenonem atque habendum pro Zenone Myndio veri reddidit simile[7]).

De **Diogene** quodam grammatico lepidam legimus apud Suetonium[8]) narratiunculam: „*disputare sabbatis Rhodi solitus* (*Diogenes*) *venientem eum* (*Tiberium*), *ut se extra ordinem audiret, non admiserat ac per servulum suum in septimum diem distulerat; hunc Romae salutandi sui causa pro foris adstantem nihil amplius quam ut post septimum annum rediret, admonuit*“. Factum hoc esse Romae necesse est inter annum p. C. alterum, quo octavo Tiberius postquam voluntario exilio Rhodum petivit, Romam rediit, et annum p. C. 26, quo ex Urbe Capreas secessit. Aliunde homo non notus, nisi idem est qui laudatur Schol. Θ, 296 et 441 εἰρωνευόμενον faciens Homerum Diogenes.

Tiberio regnante Romae vixisse et scripsisse **Apollonidem Nicaeensem** testis est Diogenes Laertius[9]): Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεὺς

Ceterum unde compertum habeat Christius (l. l. p. 524) Romae docuisse Tryphonem, nescio.

1) L. l. p. 2.
2) Tac. Ann. II, 32. Dio LVII, 15.
3) De Thrasyllo grammatico et mathematico. Ind. schol. Gotting. 1852/53.
4) Form der platonischen Schriften, Berol. 1855. p. 167 sqq.
5) Suet. Ti. 56.
6) De biogr. Gr. (Philol. Unters. III). p. 33 sqq. Suspicati hoc erant iam Meier Opusc. II. p. 33 et Beccard. l. l. p. 32. n. 4 et p. 68, suspicatus est etiam Crusius in ed. Plutarchi de proverb. libelli, Tubing. 1887. p. 16 non cognita Maassii dissertatione. Nunc v. etiam Bapp. Comm. in hon. O. Ribbeckii, Lips. 1888. p. 262 sqq.
7) Eodem loco.
8) Ti. 32.
9) IX, 109.

ὁ παρ' ἡμῶν[1]) ἐν τῷ πρώτῳ τῶν εἰς τοὺς σίλλους ὑπομνημάτων, ἃ προσφωνεῖ Τιβερίῳ Καίσαρι. Fuerunt commentarii in Timonis sillos[2]), quod genus poeseos si in deliciis habuit Tiberius, optime hoc quadrat ad indolem eius et naturam ingenii. Atque cum ad principem miserit libellum Apollonides, eius inter convictores fuisse ipsaque in aula versatus esse videtur[3]).

Ordinem claudat grammaticorum **Epitherses.** Qui cum sub Tiberio Romam navigaret, prodigium factum est, enarratum a Plutarcho[4]). Pater erat rhetoris Aemiliani[5]), atque, si idem est Epitherses apud Steph. Byz. s. Νίκαια, id quod suspicatus est Meinekeus[6]), popularis Apollonidis modo tractati.

III. De rhetoribus[7]).

Primus rhetorum Graecorum, qui post Gracchorum magistros Romam venerunt, quantum possumus videre, **Menedemus** fuit Atheniensis Antonii oratoris hospes. V. Cic. de orat. I, 19, 85 (ubi Antonius loquitur): *„Disputaverunt contra (Charmadam philosophum academicum) diserti homines Athenienses et in republica causisque versati, in quis erat etiam is, qui nuper Romae fuit, Menedemus, hospes meus*[8]). Romam igitur venit post annum 98, quo Athenis commoratus est Antonius, et ante annum 91, quo colloquentes finguntur dialogi personae.

Haud ita multo post, anno 81 **Apollonius Molon**[9]) Alabandensis, rhetor et grammaticus[10]), a Rhodiensibus legatus Romam missus

---

1) De interpretandis his verbis v. Wilamowitz. Antig. Caryst. p. 32 et Wachsmuth ed. Sillogr. p. 32 sqq.

2) V. Wilamowitz l. l. p. 31.

3) Alia eius scripta enumerat Mueller F. H. G. IV. p. 310. Addendus est locus Prisciani (in tractatu de figuris numerorum I, 6. II. p. 407 H.), ex quo apparere mihi videtur Apollonidem sicut Lucillum Tarrhaeum etiam περὶ γραμμάτων (vel π. στοιχείων) scripsisse.

4) De def. orac. 17. 419 B sqq.

5) Eiusdem, ut videtur, quem novimus e Sen. Controv. X, 5, 25.

6) Hist. crit. com. Graec. p. 15, ubi reliqua v. testimonia.

7) Ex parte conlecti iam sunt a Blassio (Geschichte d. griech. Beredsamk. von Alexander bis Augustus). Supplenda vero et emandanda restant haud exigua.

8) Quae secuntur de ipsa disputatione explicavit Blass. p. 96.

9) Μόλων cognominatus est ex patre, ut distingueretur ab Apollonio populari, qui ὁ μαλακός vocabatur (Strabo XIV. p. 655). Laudatur a scriptoribus idem vir Ἀπολλώνιος ὁ (τοῦ) Μόλωνος — Ἀπολλώνιος ὁ Μόλων — Μόλων. Cf. Diels Doxogr. p. 86: addendus inprimis est, quem Marxius ostendit, locus Porphyrii (ad I, 1 sqq., p. 126, 18 Schr.), a quo appellatur Ἀπολλ. ὁ τοῦ Μόλωνος. Praeterea v. Susemihl l. l. II. c. 35. n. 124.

10) Etiam grammaticae arti praeter rhetoricam otium dedisse Molonem e loco Porphyriano sequitur modo laudato: λύει δὲ τὴν ἀπορίαν αὐτὸς (Ὅμηρος), ὡς Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Μόλωνος παρίστησι κ. τ. λ. Utramque artem professus est etiam Aristodemus Nysaeus, qui ipse quoque Rhodi docuit. Cf. supra p. 378.

est[1]), cum iam antea ibi versatus esset a. 87[2]). Distinguendum esse inter hunc et Apollonium aequalem eius atque popularem nunc omnes consentiunt[3]); hunc autem Romae fuisse non traditur.

Ante Molonem nominari debuit, nisi certa de causa tractandus erat una cum homine posteriore, **Asclepiades** non rhetor quidem, sed disertus medicus, amicus Crassi oratoris. Hunc nescio unde Prusiensem vocant viri docti confusum cum clarissimo medico, Pompei aequali[4]). Res tamen satis plana. Etenim Plinius[5]) scribit haec: „*Durabat tamen antiquitas firma magnasque confessae rei vindicabat reliquias, donec Asclepiades aetate Magni Pompei orandi magister nec satis in arte ea quaestuosus, ut ad alia quam forum sagacis ingenii, huc se repente convertit* (*ad medicinam*)“, et scribit sine dubio de clarissimo illo medico Prusiensi saepius ei laudato, quem Romae fuisse legitur apud eundem alio loco[6]): *ad illum* (*Mithridatem*) *Asclepiadis medendi arte clari volumina composita extant, cum sollicitatus ex urbe Roma praecepta pro se mitteret*“. Iam nunc considera Ciceronis vel potius Crassi apud Ciceronem verba[7]): „*Nec si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, cum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset. Neque vero Asclepiades is, quo nos medico amicoque usi sumus, qui tum*[8]) *eloquentia vincebat ceteros medicos in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur*“. Haec a. 91 Crassus de Asclepiade suo narrat. Quid huic cum Prusiensi illo, qui Pompei aetate ab orandi magisterio se ad medicinam convertit? Immo mortuum iam esse virum, de quo Crassus loquitur, ex huius verbis esse concludendum recte adnotat Pideritius, eo magis sane propter confusionem in indice factam vituperandus. Maior igitur natu hic erat Asclepiades, ipse quoque medicus et homo disertus: quod in nomine apud medicos pervolgato nemo mirabitur, praesertim cum facile possis conicere patrem vel affinem Asclepiadis iunioris illum fuisse. Iam, si recte sentio, ipse Cicero, quem novisse aequalem celeberrimum Romae versantem patet, sic cum scriberet: „*Asclepiades is quo etc.*“ vocabulo „*is*“ hunc distinguere voluit ab illo, legen-

1) Cic. Brut. §. 312. Blass. p. 90 sq.

2) Cic. ibid. §. 307. Nisi recte haec seclusit Bakeus. Sed cum a. 87 Posidonius legatus Romae fuerit (Plut. Marius 45, 5), huic Rhodiorum legationi interfuisse Molonem cum Marxio veri duco simile.

3) V. Blass. l. l. Riese Mus. Rhen. XXXIV. p. 627 sqq.

4) Piderit in indice editionis s. v. Sprengel hist. med. II. p. 5 sqq. laudans in adnotatione Ciceronis locum. Haeser hist. med. I. p. 262. Christ hist. litt. graec.[2] p. 713. Veri aliquid sensisse videtur medicus doctus Florentinus Cocchius, attamen falsa ratione rem expedire conatus Plinio mendacium vel errorem imputavit probante Ernestio atque, ut videtur, etiam Orellio (in Onomastico Tulliano s. v.).

5) H. N. XXVI. §. 12. 6) XXV. §. 6.

7) De or. I, 14, 62.

8) Hanc lectionem unice veram recte recepit Pideritius. „*Cum*“ temporale ineptum est.

tibus tunc certe satis perspicuus, sed hoc quidem loco ipse partes agens, quamquam nullas sibi esse in hoc sermone dicit[1]). Nam hoc *„is“* Cicero, non Crassus loquitur. Hominis ἀκμή inciderit necesse est in annum fere a. C. 100, ex Crassi autem verbis non sine probabilitate concludendum videtur eum antea iam per longius temporis spatium cum illo vixisse. Alter, notissimus medicus Prusiensis, philosophus idem Epicureae sectae addictus[2]), Antiochi Ascalonitae aequalis[3]), suprema in senectute cum mortuus sit[4]), Augusti etiam viderit principatum, unusque e discipulis eius principis medicus factus est M. Artorius Asclepiades Smyrnaeus[5]).

Xenocles Adramyttenus, quem Cicero in Asia audivit[6]), etiam Romae quondam fuit legatus a civibus missus teste Strabone[7]): ἀνὴρ δὲ Ἀδραμυττηνὸς ῥήτωρ ἐπιφανὴς γεγένηται Ξενοκλῆς τοῦ μὲν Ἀσιανοῦ χαρακτῆρος, ἀγωνιστὴς δὲ εἴ τις ἄλλος καὶ εἰρηκὼς ὑπὲρ τῆς Ἀσίας ἐπὶ τῆς συγκλήτου καθ᾽ ὃν καιρὸν αἰτίαν εἶχε Μιθριδατισμοῦ. Cum annis 79—77, quibus Cicero Asiam permigrabat, iam inter rhetorum principes numeratus sit[8]), de bello primo Mithridatico loqui videtur geographus, et hoc confecto inter annos 83 et 80 Romam venisse Xenoclem censemus[9]).

Reliqui rhetores Graeci, quos se audivisse ait Cicero Rhodienses Atticos Asianos[10]), Romae fuisse non videntur, sed singulos Rhodi Athenis Asiae oppida circumvagans eos audivit Cicero. Apud ipsum vero Romae versatur **Paeonius** rhetor, magister Ciceronis et Quinti fratris filiorum: ad Quint. fr. III, 3, 4 (a. 54): *„Cicero tuus nosterque summo studio est Paeonii sui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati et boni (sed nostrum instituendi genus esse paullo eruditius et* θετικώτερον *non ignoras)*[11]). *Quare neque ego impediri Ciceronis iter atque illam disciplinam volo, et ipse puer magis illo declamatorio genere*[12]) *duci et delectari videtur. In quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus“*. Marcus tunc erat puer undecim, Quintus duodecim annorum: hac igitur iam aetate, non demum cum in republica versari coepissent[13]), rhetoricis se exercebant pueri Romani.

1) Ad Att. XIII, 19, 4.
2) V. Zeller III², 1. p. 549 sqq. Cf. Usener Epicurea in indice s. v.
3) V. Zeller ibid. p. 597 et 598. n. 2.
4) Plin. N. H. VII. §. 124.
5) C. I. G. III. 3285.
6) Cic. Brut. §. 316 = Plut. Cic. 4. Strab. XIV. p. 660. Cf. Blass p. 69.
7) XIII. p. 614.
8) Cic. Brut. l. l.
9) Xenoclis nomen in Florilegio Monacensi 290 (IV. 285 M.) dubito an corruptum sit legendumque 'Xenocrates', cuius antecedit dictum. Philosophum enim Xenoclem aliunde non novimus.
10) Quos enumerat Blass p. 89 sqq.
11) Parenthesin posui, quia flagitatur sententiarum conexu.
12) Est intellegendum genus ὑποθετικόν; qua de distinctione cf. Cic. Top. 21, 79. Paradoxa prooem. 5.
13) Bernhardy Röm. Litt.-Gesch. p. 46.

Diodotus stoicus philosophus Ciceronis pueri magister, viri familiaris [1]), falso vocatur Metelli Nepotis in arte rhetorica praeceptor apud Plutarchum [2]): Διοδότῳ δὲ τῷ διδασκάλῳ τῶν ῥητορικῶν ἀποθανόντι κόρακα λίθινον ἐπιστήσαντος αὐτοῦ (Μετέλλου)· Δικαίαν, ἔφη, τὴν ἀμοιβὴν γεγονέναι· πέτεσθαι γὰρ τοῦτον, οὐ λέγειν ἐδίδαξεν. Contra in Ciceronis vita apud eundem [3]) legitur: Θάψας δὲ (Μέτελλος) Φίλαγρον [4]) τὸν καθηγητὴν ἐπιμελέστερον ἐπέστησεν αὐτοῦ τῷ τάφῳ κόρακα λίθινον· καὶ ὁ Κικέρων· Τοῦτ', ἔφη, σοφώτερον ἐποίησας· πέτεσθαι γάρ σε μᾶλλον ἢ λέγειν ἐδίδαξεν [5]). Utrum falsum sit facile diiudicatu: minime **Philagrus** pro Diodoto, perfacile autem hic pro illo substitui potuit ab homine, qui propriam scientiam male intulit: legit quaedam de Cicerone (Metelli nomen paullo remotius est), de magistro mortuo, atque cum similia de Diodoto sciret, hunc pro homine ignoto posuit. Philagrus autem iste Metelli in rhetoricis praeceptor idem esse mihi videtur ac Rhodiensis rhetor Philagrius, una cum Artamene Aristocle Molone nominatus a Dionysio [6]), ut qui Hyperidem secuti quidem, tamen non sint assecuti.

In Bruti contubernio versabantur (praeterire enim licet Heraclidem istum Temnitam, qui in Flacci causa una cum multis Graeculis testis Romam venit *„homo ineptus et loquax"*) [7]) **Empylus** et **Straton** rhetores. De illo haec tradit Plutarchus [8]): Ὁ δ' Ἔμπυλος, οὗ καὶ αὐτὸς (Βροῦτος) ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς καὶ οἱ φίλοι μέμνηνται πολλάκις ὡς συμβιοῦντος αὐτῷ ῥήτωρ ἦν καὶ καταλέλοιπε μικρὸν μέν, οὐ φαῦλον δὲ σύγγραμμα περὶ τῆς Καίσαρος ἀναιρέσεως, ὃ Βροῦτος ἐπιγέγραπται. Annis igitur 44/43 Romae

---

1) Drumann V. p. 230. n. 7. Zeller III, 1. p. 585.
2) Apophth. Cic. 7.
3) C. 26.
4) Φίλαρχον praebere unum codicem Moscoviensem testatur Wyttenbach Plut. Moral. I, 2. p. 813. n. 7.
5) Interpretandum esse hoc aliter puto atque interpretatus est Drumann II. p. 35. n. 1, qui de nimio Metelli orationis tumore intellegere videtur. Subesse enim opinor sub Graeco πέτεσθαι Latinum *„volitare"* i. e. „iactare se cum impudentia et insolentia", ut referatur non ad dicendi genus, sed omnino ad hominis naturam et mores. Vox est Ciceroni in deliciis habita: quater extat in oratione pro Sestio (v. Halm ad §. 1), plura affert Schuetz in indice latinitatis Ciceronianae. *„Volitat"* Clodius, Catilina, in oratione Pisoniana (25) homo *„volitans"* opponitur viro moderato et constanti. Eoque libentius sic interpretabimur, cum sciamus Metellum Ciceroni fuisse adversarium molestum atque odiosum (Drumann l. l.) et egregie in rem quadrent *„turbulentae contiones Metelli"* (ad Att. IV, 3, 4) et quae *„intonuit vox perniciosa"* eiusdem (pro Mur. 81). Dixit igitur Cicero: *volitare te docuit, non dicere.* Graecum πέτεσθαι hanc significationem non habet, sed verbum pro verbo fuit reddendum, ne acumen dicti obtunderetur.
6) De Din. 8.
7) Cic. p. Flacc. 18, 42.
8) Brut. 2.

degisse videtur. In servatis Ciceronis scriptis non invenitur, at non est dubitandum eundem esse Empylum Rhodium, cuius mentionem facit apud Quintilianum[1]): „*Cicero certe Graecorum Metrodorum Scepsium et Empylum Rhodium nostrorumque Hortensium tradidit, quae cogitaverant, ad verbum in agendo rettulisse*". Empyli „*Brutum*" notum fuisse Plutarcho inde apparet, quod de eo iudicat, usum quoque eum esse hoc libro inde, quod bene de eo iudicat[2]).

De **Stratone,** Epirota, si credis Appiano[3]), idem Plutarchus[4]) auctor est admodum locuples: post pugnam Philippicam Brutus moriturus ἀνεχώρηςε μετὰ δυεῖν ἢ τριῶν, ἐν οἷς ἦν καὶ Cτράτων ὁ ἀπὸ λόγων ῥητορικῶν γεγονὼς αὐτῷ ςυνήθης. Hic homo primas fere agit partes in Plutarchi de Bruti morte narratione: mirum in modum iterum atque iterum a Bruto ad Stratonem ducimur. Legas ipse, quomodo pergat Plutarchus: Καὶ τοῦτον (τὸν Cτράτωνα) ἔγγιςτα παραςτηςάμενος ἑαυτῷ καὶ τὸ ξίφος γυμνὸν ἐπὶ τῆς λαβῆς ταῖς χερςὶν ἀμφοτέραις ἐρείςας καὶ περιπεςὼν ἐτελεύτηςεν. Οἱ δέ φαςιν οὐκ αὐτὸν ἀλλὰ τὸν Cτράτωνα πολλὰ πάνυ τοῦ Βρούτου δεηθέντος ἀποςτρέψαντα τὴν ὄψιν ὑποςτῆςαι τὸ ξίφος· ἐκεῖνον δὲ ῥύμῃ προςβαλόντα τὸ ςτέρνον καὶ διώςαντα ςυντόμως ἀποθανεῖν[5]). Sed nondum satis de Stratone; pergitur: Τοῦτον δὲ τὸν Cτράτωνα Μεςςάλας ἑταῖρος ὢν Βρούτῳ Καίςαρι διαλλαγεὶς ἐπὶ ςχολῆς ποτε προςήγαγε καὶ δακρύςας εἶπε· Οὗτός ἐςτιν ὦ Καῖςαρ ὁ τῷ ἐμῷ Βρούτῳ τὴν τελευταίαν ὑπουργήςας χάριν. Ἀποδεξάμενος οὖν ὁ Καῖςαρ ἔςχεν αὐτὸν ἔν τε τοῖς πόνοις καὶ ἐν τοῖς περὶ Ἄκτιον ἀγῶςιν ἕνα τῶν περὶ αὐτὸν ἀγαθῶν γενομένων Ἑλλήνων. Nonne satis de semet ipso vir summus Straton, ex quo haec omnia referre Plutarchum manifestum est? Habes Graeculum inepte loquacem, qui in enarrandis magnis rebus se ipsum legenti offerre nolenti volenti simulque efferre nullo loco omittit. Vere autem rhetoricum scribendi genus sapiunt et ultima, imprimis clausula rhythmica in verbis, quibus se commendatum esse ait Caesari . . ὑπουργήςας χάριν, et quod inest in toto enuntiato tragicum quoddam πάθος. Ne multa, pariter atque Empylus „Brutum" sic Strato libellum mihi videtur conscripsisse „de Bruti morte" (vel qualem tibi fingas eius titulum) in quo suimet mentionem facere non oblitus est. Et profecto, si revera (neque est, cur hac de re dubitemus) ultimis interfuit Bruti horis, defuisse huic scribendi occasioni talemque materiam intactam reliquisse rhetor iste Graeculus vix est putandus. Etiam quod post pugnam demum

1) X, 6, 4 Fragmentum est incertae sedis (t. XI. p. 138 ed. Baiter-Kayser).
2) Heeren de font. et auct. vit. parall. Plut. (in Comment. societ. reg. litt. Gotting. IV. p. 124).
3) B. C. IV, 131. Cf. Drumann II. p. 149. n. 4 et 5.
4) Brut. 52, 3.
5) Cf. Appian. l. l.

Actiacam scripsit vel edidit libellum[1]), satis comprehenditur inde, quod temporum habuit rationem. Res nondum ad discrimen venerant, et potuit Antonius vincere: tunc vero aut omnino non aptus erat liber, qui prodiret in lucem, aut aliam induere debuit formam. — Sitne hic vir unus ex octo Stratonibus (unus intercidit), quos enumerat Diogenes Laertius[2]), diiudicari nequit: si est, quartus fuit, qui Philippi et Persae regum cum Romanis bella enarravit.

Octaviani praeceptor erat **Apollodorus** Pergamenus, de quo egerunt Pideritius[3]) et Blassius[4]). Iter illud, quod fecit cum Octaviano adulescentulo Apolloniam, incidit in annum 45[5]). Tunc erat iam *„grandis natu"*[6]), itaque cum floruisse eum a. C. 65[7]) testetur Hieronymus, credendum est Blassio iam ante annum 100 natum esse Apollodorum contendenti.

Male res confundit Forcellinius[8]) ad hunc referens, quae de Apollodoreo narrat Seneca[9]) **Moscho**; qui nominatur etiam ab Horatio[10]):

„mitte levis spes et certamina divitiarum
et Moschi causam . . ."

ad quae Porphyrio: *„Moschus hic Pergamenus rhetor notissimus reus veneficii fuit: cuius causam ex primis tunc oratores egerunt Torquatus hic . . . et Asinius Pollio"*. Igitur anno a. C. 20, quo conditum esse Horatii sermonem indicat Kiesslingius, causa ista agebatur[11]).

Clarissimum Apollodori discipulum **Dionysium Atticum**[12]) Romae fuisse non traditur, veri tamen est simillimum.

Horatii comes in itinere Brundisino (a. 37) erat rhetor **Heliodorus** *„Graecorum longe doctissimus"*[13]). Fortasse idem est auctor Ἰταλικῶν θαυμάτων apud Stobaeum[14]).

---

1) Hoc ex ultimis apparet verbis.
2) V, 61.
3) De Apollodoro Pergameno et Theodoro Gadarensi, Marburgi 1843.
4) L. l. p. 155.
5) V. Drumann IV. p. 254.
6) Suet. Aug. 89.
7) Ad annum 65 adnotatum habet cod. Amandinus, ad 64 ceteri codd. Falso ante Schoenei editionem Eusebii ubique legebatur Apollodori ἀκμή a. 63. Inde quod hoc ipso anno natus est Augustus discipulus, magistri ἀκμήν computavisse videtur Hieronymus. Cf. supra p. 366. n. 4.
8) In Onomastico s. v.
9) Controv. II, 13, 13.
10) Epist. I, 5, 9 (ad Torquatum iuris consultum).
11) De Publilii sententiis questus est Moschus, Sen. controv. VII, 3, 8, v. infra p. 401.
12) De quo v. Blass p. 156, cf. supra p. 372.
13) Hor. Sat. I, 5, 2.
14) C, 6. V. Kiesslingii notam ad l. l. et infra p. 403 c. n. 7. De Philisto quodam in Augusti domo vivente narrat supplementum ad Donati vitam Vergilii, (ap. Reifferscheid. Suet. rell. p. 67.) at hoc esse medii aevi neque extare in ullo codice docuit me Marxius. Et ut nihilo-

Romae fuisse **Diodorum** Sardensem iuniorem Strabonis amicum e rebus traditis est colligendum. De duobus enim huius nominis rhetoribus haec tradit Strabo[1]): ἄνδρες δὲ γεγόνασι (ἐκ Σάρδεων) τοῦ αὐτοῦ γένους Διόδωροι δύο οἱ ῥήτορες, ὧν ὁ πρεσβύτερος ἐκαλεῖτο Ζωνᾶς, ἀνὴρ πολλοὺς ἀγῶνας ἠγωνισμένος ὑπὲρ τῆς Ἀσίας, κατὰ δὲ τὴν Μιθριδάτου τοῦ βασιλέως ἔφοδον αἰτίαν ἐσχηκὼς ὡς ἀφιστὰς παρ' αὐτοῦ τὰς πόλεις ἀπελύσατο τὰς διαβολὰς ἀπολογησάμενος· τοῦ δὲ νεωτέρου φίλου ἡμῖν γενομένου καὶ ἱστορικὰ συγγράμματα ἔστι καὶ μέλη καὶ ἄλλα ποιήματα τὴν ἀρχαίαν γραφὴν ἐπιφαίνοντα ἱκανῶς. Iam mittimus maiorem, Mithridatis, ut videtur, assectatorem[2]), praesertim cum etiam epigrammata eius aliquot servata in Anthologia Palatina[3]) nullum monstrent vestigium, unde Romae eum unquam versatum esse concludere queamus. Iuniorem vero ibi fuisse iam inde, quod fuit Strabonis amicus ipsius quoque ibi versantis, veri simile est, probatur autem eius epigrammatis, quae leguntur in Anthologia Palatina IX, 219 et 405[4]).

A. P. IX, 219:

Αἰγιβότου Σκύροιο λιπὼν πέδον Ἴλιον ἔπλω
  οἷος Ἀχιλλείδης πρόσθε Νεοπτόλεμος,
τοῖος ἐν Αἰνεάδῃσι Νέρων ἀγὸς ἄστυ Ῥέμοιο
  νεῖται ἐπ' ὠκυρόην Θύβριν ἀμειψάμενος,
κοῦρος ἔτ' ἀρτιγένειον ἔχων χνόον· ἀλλ' ὁ μὲν ἔγχει
  θῦεν· ὁ δ' ἀμφοτέροις καὶ δορὶ καὶ σοφίῃ.

IX, 405:

Ἀδρήστειά σε δῖα καὶ Ἰχναίη[5]) σε φυλάσσοι
  παρθένος, ἡ πολλοὺς ψευσαμένη Νέμεσις.
δείδια σόν τε φυῆς ἔρατον τύπον ἠδὲ σὰ κοῦρε
  δήνεα θεσπεσίης καὶ μένος ἠνερόης
καὶ σοφίην καὶ μῆτιν ἐπίφρονα· τοιάδε τέκνα
  Δροῦσε πέλειν μακάρων πευθόμεθ' ἀθανάτων.

---

minus verum relatum sit, tamen hic orator poesin mediocriter doctus certe non idem erat ac Philistio Nicaenus mimographus clarissimus (de quo infra agam), ut parum considerate putavit Teuffelius R. L.-G. §. 254, 6. Huius enim nomen apud posteriores homines litteratos celebratius erat notiusque (cf. Studemund. Menandri et Philistionis comparatio, Vratisl. 1887. p. 8), quam ut talibus significari posset epithetis. Alium Teuffelii errorem eodem loco commissum iam supra correximus, v. p. 382. i. f.

1) XIII. p. 628.

2) Bellum Mithridaticum, de quo loquitur Strabo, Pompeianum est, non Sullanum, cum Diodorus Zonas in Philippi extet corona. Ceterum cf. quae supra (p. 390) monuimus de Xenocle.

3) In unum conlecta apud Brunckium Anall. II, 80.

4) Praeterea alibi occurrunt nomina Romana: Maximus (VI, 243) — Paulla (VII, 700) — Labeo (VII, 624), cuius commemoratur naufragium factum „in Ionico mari": quod Romae poetam scribere indicat.

5) Grandi scribendum littera sive ductum a Thessaliae oppido Ἴχναι, (cf. Strab. VIII. p. 435) sive ab ἴχνος, ut sit „die Spürerin".

Hoc alterum epigramma referendum esse opinatur Iacobsius [1]) ad Drusum Germanici filium, qui natus p. C. 7/8 obiit a. 34 [2]); quis fuerit Nero in priore carmine laudatus [3]), se nescire fatetur. Sed qua de causa ad diversos missa esse epigrammata putemus, non video, quoniam quae in eis leguntur, de uno dici possunt atque dicta esse videntur, variansque nomen in homine gentis Claudiae nemo mirabitur. Praeterea Germanici filii omnino non arcessendi mihi videntur ad explicanda haec epigrammata, quippe quae ab amico Strabonis vix scripta sint annis p. C. 23—25, cum iam a. C. 29 ipse Strabo Romam venerit annum agens trigesimum quartum, neque placet carmina missa fingere ad adulescentulos Tiberio avo suspiciosos eiusque odio et saevitia vexatos ita, ut Drusum vinculis Romae contineret [4]), utrumque hostem iudicatum perire iuberet [5]). Refero equidem utrumque carmen ad Drusum Neronem [6]), Liviae filium alterum, Augusti privignum amatissimum, quem mortuum ipse publice laudavit elogiumque versibus compositum inscribendum tumulo curavit [7]), qui honores quinquennio ante legitimum tempus petivit [8]), quem laudibus effert Horatius [9]), quem Suetonius [10]) dicit *„fuisse ... non minus gloriosi quam civilis animi“*: θῦεν δορὶ καὶ σοφίῃ canit poeta. Iam nunc alludere videmus eundem ad ipsum Divum Augustum verbis: τοιάδε τέκνα ... πέλειν ... ἀθανάτων θεῶν. Natus est Drusus a. C. 38, erat igitur cum Strabo Romam veniret, puer novem annorum; quin ibi cognoverit geographus Diodorum, vix dubitandum est: vides et res et tempora sententiae nostrae suffragari. Unde vero Romam tunc redierit Drusus, non liquet. Comes haud scio an fuerit Augusti (ἐν Αἰνεάδῃσι) aliquo in itinere vel aliqua in expeditione [11]).

Uno tenore disputandum est de rhetoribus partim olim certe partim nunc quoque clarissimis Potamone Theodoro Antipatro Hermagora.

Potamonem Lesbonactis filium Mytilenaeum tractavit lapidum allatis novis testimoniis Cichorius [12]) bis eum principem legationis

1) A. G. t. IX. p. 80 et XIII. p. 884.

2) V. Mommsen. in Herm. XIII. p. 247.

3) Potuit cogitare de Nerone Drusi fratre nato p. C. 6. (cf. Mommsen l. l.).

4) Suet. Ti. 65.

5) Suet. Ti. 54.

6) Plenum eius nomen legitur in inscript. Orelli 615: „D. Claudius Nero Drusus Germanicus“ et alibi.

7) Suet. Claud. 1.

8) Dio LIV, 10.

9) Carm. IV, 4.

10) L. l.

11) Simili carmine Crinagoras eisdem temporibus Romae versatus Marcellum a. C. 25 ex Hispania redeuntem salutat A. P. VI, 161. Cum altero epigrammate comparari quodammodo potest eiusdem poetae in Marcellum ep. IX, 545.

12) In libello „Rom und Mytilene“ inscripto; comprehendit quae indagavit p. 62.

Mytilenaeorum Romam venisse annis a. C. 29 et 25[1]) ostendere studens, atque anno 29 primum Urbem eum vidisse contendens. Quibus ut adsentiri non possemus, iam antequam oblocutus est aliis de causis Mommsenus[2]), nos quidem adducti eramus eis rationibus, quas in **Theodori** vitam inquirentes erueramus. Hunc rhetorem Gadarensem tempore belli Mithridatici deleta patria urbe Romam venisse suspicatur Cichorius[3]) pro exemplo afferens Demetrium Gadarensem. Res tamen nimis incerta est, quoniam Demetrium quoque tunc Romam migrasse non modo non traditur, sed etiam, cum Pompeius in huius Demetrii gratiam restitui a. 63 oppidum paullo ante dirutam iusserit[4]), longius tunc iam temporis spatium apud Pompeium degisse libertum istum admodum verisimile est. Recte tamen idem e traditis rebus collegit primum Romam se contulisse, tunc demum in Rhodum transmigrasse Theodorum, non e contrario Rhodo Romam[5]). Romae enim Tiberium instruxit ibique aliquantum temporis commoratus[6]) Rhodum petivit rhetor, ubi quem puer magistrum habuit, vir denuo studiose audivit Tiberius, quo nihil magis cogitari potest consentaneum. Iam adeundus est Suid. s. v.: Θεόδωρος Γαδαρεὺς σοφιστὴς ἀπὸ δούλων διδάσκαλος γεγονὼς Τιβερίου Καίσαρος· ἐπεὶ δὲ συνεκρίθη περὶ σοφιστικῆς ἀγωνισάμενος Ποτάμωνι καὶ Ἀντιπάτρῳ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ, ἐπὶ Ἀδριανοῦ Καίσαρας ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀντώνιος συγκλητικὸς ἐγένετο· βιβλία δὲ κ. τ. λ. Duplex inesse in his verbis mendum apparet. Primum enim enuntiatum inde ab ἐπεὶ δὲ usque ad Ῥώμῃ poscit ἀπόδοσιν, tunc vero non ferenda sunt insequentia inde ab ἐπὶ Ἀδριανοῦ usque ad ἐγένετο, de quibus postea videbimus. Pro ἐπεὶ δὲ Kusterus iam coniecit ἔπειτα; sed displicet sic sententiarum conexus: magister Tiberii factus est, deinde comparatus, par inventus (hoc significat συνεκρίθη) Potamoni! Excidisse quaedam post Ῥώμῃ de eventu disputationis putat Cichorius[7]), sed qualia haec esse possunt, cum eventum ostendat iam illud συνεκρίθη? Veram esse et necessariam censeo coniecturam, quam dubitanter profert Blassius[8]): ἐπειδὴ pro tradito ἐπεὶ δέ: non postea quam Tiberii magister factus est, in ipsa urbe parem se praestitit σοφιστικῆς magistrum Potamoni et Antipatro, sed versa vice: Tiberii magister electus est, cum compararetur in arte docendi cum clarissimis tunc Romae docentibus Po-

1) Corrigendum igitur esse Suidam, qui Potamonis ἀκμὴν ponit ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος — quod cur factum sit, probabiliter exponit Cichorius l. l.
2) Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1889. p. 975 sqq.: quibus postea utemur.
3) L. l. p. 63.
4) Drumann IV. p. 487.
5) Id quod voluit Blassius l. l. p. 158 errasse suspicatus Quintilianum, cum III, 1, 17 Tiberium a. Ch. 6 Rhodi studiose audivisse Theodorum diceret.
6) Usque ad annum 27, si recte coniecit Cichorius p. 63.
7) P. 62 in n. Bernhardyum secutus et Wachsmuthium (Symbol. Bonn. p. 141. n. 9), qui supplendum opinatur ἠφείθη διὰ τὴν παίδευσιν καὶ.
8) P. 158. n. 6.

tamone et Antipatro. Sic res intellegitur, nec desunt exempla, quibus probetur[1]). Tiberius natus est a. 42, quattuor annis post mater Octaviano nupsit, a. 33 puer novem annorum patrem mortuum laudavit[2]) atque etiamsi ipse orationem non elaboraverit[3]), magistro tamen certe iam usus est rhetore. His igitur annis Theodorum ad erudiendum privignum ab Octaviano ob famam arcessitum ese putamus[4]). Ergo Potamo non primum a. C. 29 Romam venit, sed antea iam ibi rhetoricam docuit. Accedit aliud. Parthenii Nicaeensis carmen „Crinagoras" inscriptum celebrasse poetam notissimum Mytilenaeum omnes consentiunt. Alterum vidisse alterum et necessitudine sibi coniunxisse nusquam nisi Romae non minus est consentaneum. Natus autem est Parthenius anno fere a. C. 90[5]). Atqui ex Cichorii sententia a. 29 primum una cum Potamone aliisque Romam venit Crinagoras, confecto autem foedere in patriam rediit et Romae mansit post alteram demum legationem a. 25. Post hunc igitur annum, si res ita se haberet, conditum esset carmen illud a sene septuaginta fere annorum: quod quamquam fieri potuit, minus tamen est probabile. Haec autem argumentatio e coniectura orta nunc fulcitur Mommseni disputatione addita novis titulis Asiaticis a Cichorio nuper editis[6]), in qua demonstravit non a. 29, sed iam 45 priorem istam legationem Romam venisse argumentis ex ipsis lapidibus petitis. Itaque tunc confecta legatione vel certe haud ita multo post in Urbe docere coepit Potamo, unde revocasse eum videntur Mytilenaei, ut praeficerent alteri illi legationi civem notissimum apud Romanos et apud ipsum principem[7]).

---

1) Iam vidimus Pompilium Andronicum grammaticum Cumas transmigrasse *„cum se in Urbe non Antonio Gniphoni solum sed ceteris etiam deterioribus postponi videret* (Suet. gr. 8). Sic Verrius Flaccus *„quia docendi genere maxime inclaruit, ab Augusto nepotibus eius praeceptor electus est"* (ibid. 17). Sic denique Crassitius Pasicles *„inclaruit et docuit multos et nobiles, in his Iulum Antonium* (apud Octaviam), *ut Verrio quoque Flacco compararetur"* (ibid. 18). Hoc *„compararetur"* prorsus idem est ac Suidae cυνεκρίθη.

2) Suet. Ti. 6.

3) V. Cichorium l. l.

4) Quocum egregie congruit, quod ad ipsum annum 33 Theodori ἀκμήν adponit Hieronymus (non recte adhuc legebatur numerus 31, cf. supra p. 366. n. 4).

5) Cf. infra p. 405.

6) Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1889. p. 973 sqq.

7) In patria quoque scholam habuisse Potamonem testatur Seneca (Suas. II, 15) atque ibi haud dubie coepit docere et ita inclaruit, ut legationis a. 45 mittendae princeps eligeretur. Neque Romae, sed Mytilenis supremum diem videtur obiisse, si recte epistulam illam principis apud Suidam servatam, qua ab omni iniuria se esse defensurum Potamonem pollicetur, datam existimamus provectiori iam aetate redeunti in patriam ibique remansuro. Νομοθέτην autem καὶ κτίcτην τῆc πόλεωc in inscriptionibus nominaverunt Mytilenaei civem egregie de ipsis meritum sollemni usitataque in tribuendis his honoribus formula. Romae, ni fallor, audivit Potamonem Sotion iste (cf. Plut. Alex. 61) peripateticus,

Antipater, rhetor, qui una cum Potamone nominatur, hodie satis ignotus est[1]).

Ultima glossae verba: ἐπὶ Ἀδριανοῦ Καίcαροc ὁ υἱὸc αὐτοῦ (Theodori Gadarensis) Ἀντώνιοc cυγκλητικὸc ἐγένετο hic ferri non posse patet, atque Antonii nomine adductus sum, ut irrepsisse ea censeam ex insequenti glossa: Θεόδωροc ποιητὴc ὃc ἔγραψε διάφορα δι' ἐπῶν καὶ εἰc Κλεοπάτραν ἐπῶν: quem eundem esse suspicor atque paedagogum Theodorum Alexandriae versantem apud Antonium et Cleopatram[2]). Hic vel filius eius a patrono manumissus Antonium Theodorum potuit se vocare. Iam nomen explicatur, sed de temporum ratione eadem restat difficultas neque tolli potest nisi aut Hadriani nomen corruptum aut υἱωνὸν pro υἱὸν scribendum esse putas.

Theodori discipulus erat **Hermagoras:** huius nominis quot fuerint rhetores, discrepant virorum doctorum sententiae[3]), quare denuo testimonia sunt adeunda. De Theodori discipulo gravissimus est testis Quintilianus[4]): *„plura scripsit Theodorus, cuius auditorem Hermagoran sunt qui viderint“*. E verbis apparet paucos fuisse, senes, ut descendamus in annos p. C. 20—30, quae tempora bene congruunt cum iis, quae de magistro Theodoro computavimus. Idem certe Quintiliani Hermagoras[5]) inest in glossae Suidianae[6]) verbis: ἐπαίδευcε δὲ οὗτοc μετὰ Καικιλίου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίcαροc Αὐγούcτου καὶ τελευτᾷ πόρρω τῆc ἡλικίαc. Neque enim duos Hermagoras utrumque rhetorem eodem tempore Romae vixisse sumemus nec sine certo quodam consilio una cum ipso Caecilio docuisse Hermagoram narrasse mihi videtur auctor Hesychii. Etenim ut hic (Hermagoras) Theodori, ille (Caecilius) Apollodori fuit discipulus, uterque magistrorum diversa sequentium[7]) inter sectatores facile notissimus. More tamen solito a lexicographo in unum conglutinatos esse duos ὁμωνύμουc, veterem Hermagoram Temnitam et minorem Theodori disci-

ut videtur, philosophus (Zeller II³, 2. p. 931. n. 3, cf. III³, 1. p. 777. n.), non Senecae magister, Sextii assecla (Zeller III³, 1. p. 676. n. 3).

1) Idem laudatur a Dione Chrysostomo XVIII. p. 480 R. una cum Theodoro et Plutione eius aequali (Hieronym. ad a. C. 31). Patrem eum esse Nicolai Damasceni, quem fuisse δεινὸν λέγειν filius tradit (Suid. s. v. N.) putat Cichorius p. 62. Attamen non legatum civium, sed ipsum quoque scholam rhetoricam habentem in Urbe versatum esse Antipatrum e nostra disputatione sequitur.

2) Plut. Anton. 81, 1. Homo nefarius M. Antonium Antyllum Antonii e Fulvia filium Octaviano prodidit, qui eum necari iussit.

3) V. Harnecker Die Träger des Namens Hermagoras, Ann. phil. CXXXI (1885). p. 70 sqq., qui quamquam eundem ac nos assecutus est numerum, res tamen male confundit.

4) III, 1, 18.

5) Qui saepius occurrit apud Senecam rhetorem.

6) S. v. Ἑρμαγόραc Τήμνου τῆc Αἰολίδοc ὁ ἐπικληθεὶc Καρίων ῥήτωρ τέχναc ῥητορικὰc ἐν βιβλίοιc ϛ' περὶ ἐξεργαcίαc π. πρέποντοc π. φράcεωc π. cχημάτων· ἐπαίδευcε δὲ οὗτοc . . .

7) V. Schanz Die Apollodoreer u. Theodoreer, Herm. XXV (1890). p. 36 sqq.

pulum cum indicare videtur vocabulum (ἐπαίδευσε δὲ) οὗτος tum demonstrant Strabonis[1]) verba ταῖς δὲ νῦν Αἰολικαῖς πόλεσιν καὶ τὰς Αἰγὰς προσληπτέον καὶ τὴν Τῆμνον, ὅθεν ἦν Ἑρμαγόρας ὁ τὰς ῥητορικὰς τέχνας συγγράψας, quibus non aequalem significari a geographo luce clarius est[2]): de maiore potius loquitur illo Hermagora, quem Temnitam fuisse nunc tandem ei credendum est[3]).

Eundem Plutarchus Hermagoram commemorat in vita Pompei[4]), ubi a Posidonio Rhodi a. 62 coram Pompeio acroasin factam esse contra Hermagoram de quaestione universali refert his verbis: Ποσειδώνιος δὲ καὶ τὴν ἀκρόασιν ἀνέγραψεν, ἣν ἔσχεν ἐπ' αὐτοῦ (Πομπηίου) πρὸς Ἑρμαγόραν τὸν ῥήτορα περὶ τῆς καθόλου ζητήσεως ἀντιταξάμενος. Ubi enim legitur Hermagoram adfuisse et contradixisse? Negabitne quispiam acroasin haberi potuisse et adhuc posse in hominem absentem vel iam mortuum? Miror Pideritium, verum qui senserit, in ipsis verbis (in praepositione, ut videtur, πρός et participio ἀντιταξάμενος) haesisse magisque miror huic plaudere Harneckerum, quippe qui ipse viderit illam disputationem π. τῆς καθόλου ζητήσεως i. e. de quaestione universali spectasse doctrinam veteris Hermagorae[5]); at plaudit fortasse, ut vendat coniecturam suam πρὸς Ἑρμαγόρειον ῥήτορα: cui saltem τινα addere debuit. Sed supervacanea haec sunt neque eis quicquam lucramur. Immo, sicut dixi, apud Plutarchum quoque intellegendus est Hermagoras Temnita, cuius contra doctrinam notissimam tunc apud homines eruditos et pervolgatam disputare Posidonius a Pompeio iussus sit. Iam e quattuor Hermagoris Blassii[6]) duo facti sunt neque plures novit Maximus Planudes, cum laudet Ἑρμαγόραν τὸν νεώτερον[7]).

Rhetores Graecos omnes vel potius declamatores quotquot occurrunt in Senecae Suasoriis et Controversiis Romae fuisse non constat. Immo cum de uno ex eis **Hybrea** eiusque vita aliunde[8]) satis facti simus certiores et ex his testimoniis concludere potius debeamus in Urbe eum non fuisse, de ceteris quoque, nisi aut diserte dictum

1) XIII. p. 621.

2) Illud qui putant (ut Harnecker l. l. p. 70) videant apud Nieseum, quomodo de aequalibus loqui soleat Strabo.

3) Corruit igitur tota Harneckeri disputatio, qua maiorem Hermagoram Stoicum philosophum (Suid. s. v. Ἑρμ. Ἀμφιπολίτης στωικὸς φιλ.) fuisse ostendere voluit: quod solum ut probare possit, sic testimoniis abusus esse videtur, ut etiam quaerat, ubinam in scriptis Temnitae a Suida nominatis de statuum doctrina Hermagorae notissima sermo fieri potuerit. Ubi tandem nisi ἐν τεχνῶν ῥητορικῶν βιβλίοις ς'?

4) C. 42.

5) Cf. Quintil. III, 5, 14.

6) L. l. p. 84.

7) Σχολ. εἰς στασ. Walz Rhett. gr. V. p. 337.

8) Strabo XIII. p. 630. XIV. p. 659. 660. Plut. Anton. 24. Valer. Max. IX, 14, ext. 2., unde in Asia eum vitam degisse apparet. Ceterum de his omnibus rhetoribus conscripsit disputatiunculam Buschmann (progr. gymn. Parchim. 1878).

est aut aliunde constat, res in dubio nobis relinquenda est. Constat autem de **Nicete** e Seneca[1]) et ex epigrammate Anthologiae Palatinae X, 23[2]), de **L. Cestio Pio Smyrnaeo** quem *„Latine Romae docuisse"* testatur Hieronymus ad annum 741/13[3]). Ipso Seneca teste Romae versabantur hi: **Dionysius** filius eius Dionysii, qui Ciceronis filium erudiebat[4]), **Craton** Atticorum inimicissimus, de quo lepida narratiuncula profertur[5]), **Glycon Spyridion** *„qui honeste dixisse Romanos fecit"*[6]), **Euctemon**, qui *„in Festum rhetorem dixit"*[7]): Qui omnes adscribendi sunt Augusti vel Tiberii aetati[8]).

IV. De poetis.

Post Livium Andronicum, Ennium semigraecum, Afrum Terentium qui Romam transmigrarunt poetae Graeci, vigens ibi invenerunt atque in dies ita crescens Graecarum litterarum studium, ut sua lingua condita possent ad patronos mittere carmina qualibet oblata occasione. Erat aptissimum hunc ad finem poeseos genus, quod secum transportarunt, epigramma; unde factum est, ut de plerisque siquid scitur praeter nomen, Anthologiae debeatur Palatinae[9]). Epicum quoque carmen hunc illum in regis sui honores scripsisse audimus, Archiam Boethum alios, sed nihil eiusmodi ad nos pervenit.

Alcaeum Messenium, qui vixit temporibus belli Macedonici[10]), Philippi regis inimicissimum, esse Epicureum istum Alcaeum, qui una cum Philisco quodam Roma eiectus est a. C. 173 vel 155[11]) coniecit Reiskeus[12]). Sed ab Athenaeo, qui eandem narrat rem[13]), homo vocatur Ἄλκιος[14]), quapropter res in dubio relinquenda esse videtur,

---

1) Suas. III, 6. Narrata ibi ante mortem Messalae facta sunt. Obiit M. teste Hieronymo (ad a. p. C. 11) a. p. C. 13: quocum congruit Frontinus (de aqu. 102). Utrique minime obstare Ovidium (Pont. I, 7, 27—30. v. Teuffel l. l. 222, 1) Marxius me docuit, immo recte intellectos poetae versus fulcire illorum testimonia ita quidem, ut Ovidius Tomis comperta Messalae morte viro, qui *„non infitiatus est amicum"* (scil. exulem factum), *„scripta dederit medio canenda foro"* i. e. naeniam Romam miserit.

2) Cf. infra p. 415.

3) Quem tractavit Lindener De L. Cestio Pio, Züllich. 1858). *„Graecus homo"* diserte dicitur a Seneca Contr. VII, 1, 27. De nomine eius res similiter se habuerit ac de Ateio Praetextato aliis. V. supra p. 365.

4) Controv. I, 4, 11. 5) L. l. X, 5, 21. 6) L. l. X, 5, 27.

7) L. l. VII, 4, 8.

8) Certius quicquam de singulis non constat. Cratonem Augusti fuisse aequalem e narratiuncula ista cognoscimus.

9) De Anthologiae poetis etiamnunc paucis exceptis conferendus solus est Iacobsius in catalogo, quem fecit poetarum (A. G. t. XIII. p. 829 sqq).

10) V. ep. A. P. VII, 247 in occisos apud Cynoscephalas Macedones (a. C. 197), ep. Anth. Planud. 5. in T. Quinctium Flamininum, Graeciae liberatorem.

11) Aelian. V. H. IX, 12, cf. supra p. 356. n. 2 et Zeller III^3, 1. p. 372. n. 1.

12) V. Iacobs A. G. XIII. p. 837. 13) XII. p. 547 a.

14) Haec nominis forma alibi nusquam invenitur nisi in nummis

quamquam tempora congruunt et Alcaeus cυγκρίcεcι lacerasse dicitur Isocratem grammaticum[1]), quem Romae versatum esse scimus[2]). Sed in epigrammatis eius servatis nullum inest vestigium, quod Romam ducat legentem.

Antipatrum Sidonium[3]) viderunt Crassus et Catulus oratores[4]): Romaene an alibi, non dicitur. In lemmate epigrammatis A. Plan. 184 (in Bacchi statuam ante aedes Pisonis positam) falsum esse quod legitur Antipatri Sidonii nomen pro Thessalonicensis iam exploratum est: quo de viro infra disseremus[5]).

Publilium Syrum mimographum anno a. C. 83 Romam venisse, natum esse 93 probare conati sumus[6]). Veterum de eo testimonia conlecta editioni Publilii sententiarum praemisit Guilelmus Meyer. Quando obierit, fortasse elici potest e verbis Senecae[7]): „*Memini Moschum*[8]), *cum loqueretur de hoc genere sententiarum, quod infecta iam erant adulescentulorum omnium ingenia, queri de Publilio, quasi ille iam hanc insaniam introduxisset. Cassius Severus, summus Publili amator, aiebat non illius hoc vitium esse, sed eorum qui illum ex parte qua transire deberent imitarentur, non imitarentur, quae apud eum melius essent dicta quam apud quemquam comicum tragicumque aut Romanum aut Graecum*". Mortuus iam esse videtur Publilius, cum haec de eo colloquerentur inter se Moschus et Severus. Discessit autem Roma veneficii reus Moschus a. C. 20[9]). Obiit igitur, si recte conicio, ante hunc annum Publilius, cuius ἀκμήν anno 43 tribuit Hieronymus.

Pitholaum, cuius „*epigrammata maledicentissima Caesar civili animo tulit*[10]) et cuius sales narrat Macrobius[11]), eundem esse atque Rhodium Pitholeontem apud Horatium[12]) demonstravit Bentleius[13]).

Phrygiis: Mionnet Descript. de medaill. antiqu. IV. p. 227 (196) — p. 228 (207) et S. VII. p. 507 (124), ubi magistratus Apameorum nominantur Ἀνδρόνικος et Ἄλκιος. Phryx igitur fortasse fuit Epicureus iste.

1) Polyb. XXXII, 6, cf. Wilamowitz Antig. p. 295. 303.

2) V. supra p. 361.

3) Erat aequalis senior Meleagri, v. Iacobs l. l. p. 847.

4) Cic. de orat. III, 50, 194 (Crassus loquitur): „*Quodsi Antipater ille Sidonius, quem tu probe Catule meministi, solitus est* . . ." V. infra p. 402. c. n. 5.

5) P. 405 sqq.

6) Supra p. 366.

7) Controv. VII, 3, 8.

8) Hanc Bursiani emendationem pro Kiesslingii coniectura „*Oscum*" (quae etiam legitur in hoc testimonio apud Meyerum) recte me iudice recepit novissimus Senecae rhetoris editor H. I. Mueller.

9) Horat. Ep. I, 5, 9, v. supra p. 393.

10) Suet. Caes. 75.

11) Sat. II, 2, 13.

12) Sat. I, 10, 22.

13) Ad locum Horatii. Cf. M. Hertz Mus. Rhen. XLIII. p. 314.

Ciceronis oratione nobis innotuit **Archias Antiochenus**, cuius vitam, quam e solo novimus Cicerone, delineatam editioni orationis praemisit Halmius. Epigrammatum in Anthologia Palatina viginti quinque, quae nudum Archiae nomen ferunt, cum nullum ab Antiocheno compositum esse putavisset Iacobsius[1]), recte Hauptius[2]) cum aliis tum ea de causa oblocutus est, quod in re quater diversis versibus a poeta expressa epp. VI, 16. 179. 180. 181 adgnosci possit testimonium propriae huius Archiae artis, quam laudibus effert Cicero[3]). Exercuit autem eam inprimis in carminibus Antipatri Sidonii, cuius rei testimonia conlegit Hauptius[4]), idemque fere atque de illo etiam de hoc praedicat Cicero[5]): *„Quodsi Antipater ille Sidonius .... solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, cum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur“*[6]). Itaque probanda Hauptii sententia Archiasque ille Anthologiae pro Antiocheno habendus est. Praeterea carmen epicum condidit Archias, quo Luculli celebravit res adversus Mithridatem gestas[7]). Sed recte animadvertit W. Fabricius[8]), verbis *„totum bellum Mithridaticum ab eo expressum est“* rem exaggerari a Cicerone, cum de Pompei quoque laudibus in panegyrico Luculli cogitari nequeat[9]). Etiam Ciceronis defensoris laudes carmine se praedicaturum esse consulatum eius inlustrantem promisisse videtur Archias. Scribit enim Cicero ad Att. I, 16, 15 (a. 61) *„Epigrammatis tuis, quae in Amaltheo posuisti, contenti erimus, praesertim cum et Thyillus nos reliquerit et Archias nihil de me scripserit, ac vereor ne, Lucullis quoniam Graecum poema condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet“*. De ultimis verbis conferendus est idem Cicero[10]): *„Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per Lucullos impetravisset (civitatem)? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poetis ... aures suas dederet“*. Metellus a. 63 mortuus est[11]), atque defuncto de-

1) A. G. XIII. p. 859.
2) Herm. III. p. 206 sq. = Opusc. III. p. 409 sq.
3) L. l. §. 18.
4) Adde VII, 146 Antipatri et 147 Archiae epigr.
5) De orat. III, 50, 194 cf. supra p. 401. n. 4.
6) Conferendus praeterea est, quem iam addidit Hauptii opusculorum editor Wilamowitzius, locus Quintiliani X, 7, 19: *„cum hanc facilitatem (extemporalem) non in prosa modo multi sint consecuti, sed etiam in carmine, ut Antipater Sidonius et Licinius Archias: credendum enim Ciceroni est, non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc et faciant“*. Utrumque locum Ciceronianum respicit rhetor. Exempla Antipatri se ipsum variantis habes A. P. IX, 720 sqq.
7) Cic. pro Arch. 9, 21.
8) Theophanes u. Dellius als Quellen Strabos p. 6. adn.
9) Simile exaggerationis exemplum in initio legitur orationis, ubi nimia certe de se ipso „Archiae discipulo“ dicit Cicero.
10) Pro Arch. 10, 26.
11) Drumann II. p. 43.

functique cognatis officium pietatis debitum praestare tunc voluisse videtur Archias: an vero fecerit necne, incertum est.

Thyilli[1]), cuius nomen praeter locum allatum legitur ad Att. I, 9, 2. 12, 2, extare epigrammata in Anthologia Palatina VI, 170. VII, 223. X, 5 vidit Hauptius[2]). Qui in medio reliquit debeaturne errori horum epigrammatum ultimi apud Planudem quae est inscriptio Cατύρου Θυίλλου an recte sit tradita. Sola cum haec sit neque alio loco (plura enim extant Satyri epigrammata) Thyilli nomen adscriptum inveniatur, porro cum Satyri subsequatur epigramma X, 6 (eiusdem argumenti), nullum esse puto Satyrum Thyillum, sed scriptum fuisse Cατύρου ἢ Θυίλλου[3]). Ex epigrammatis nihil de auctore cognoscitur; Romae quando fuerit, e Ciceronis epistulis apparet. In ep. ad Att. I, 9, 2 (anno 67 scripta) legimus haec: *„Thyillus te rogat et ego eius rogatu* Εὐμολπιδῶν πάτρια“[4]). Sex annis post non iam apud Ciceronem fuisse poetam docent epp. I, 16, 15 (supra exscripta) et I, 12, 2 (eiusdem anni 61) *„de eo* (Hilaro nequam liberto) *Valerius interpres nuntiat Thyillusque se audisse scribit.*

Tullius Laurea[5]) libertus erat Ciceronis teste Plinio[6]), qui carmen eius Latinum exhibet in fontes calidos oculisque salubres, qui post Ciceronis obitum in villa eius Puteolana eruperunt[7]). Hunc esse Tullium Lauream, cuius extant tria epigrammata A. P. VII, 17, 294. XII, 24, cognitum est. Sed quoniam Laureae nomen nusquam legitur apud Ciceronem, nimium est, si hunc poetam esse volunt Tullium scribam commemoratum ad Att. V, 4, 1, XIII, 22, 4, ad fam. V, 20, 1. 8. 9: homine utitur Cicero in rebus pecuniariis neque ullo loco quicquam subolet, unde poetam illum fuisse vel omnino in litteris versatum esse suspiceris. De aetate Laureae ex Plinio constat superstitem patrono vixisse eum Romae etiam post annum 42.

De **Philodemo** Gadarensi non repetam, quae nota sunt ex loco illo in Ciceronis oratione Pisoniana[8]), habita a. 55. Huius poetae carmina optimum nacta sunt editorem Kaibelium[9]). Quae de vita

---

1) E mss. pro *Chilio,* quod vulgo legebatur, correxit Kayser. Nomen nonnisi in Ciceronis epistulis et in Anthologia invenitur, bene tamen explicatur simili hypochoristico C. I. G. II, 1796 b: Θυΐων.

2) L. l. p. 205.

3) Revera tamen neutrius esse arbitror hoc epigramma mirum quantum discrepans a ceteris, metri vitiosi totumque ineruditam scholastici sapiens imitandi artem.

4) Scil. librum de Eleusiniis.

5) V. Iacobs l. l. p. 907.

6) H. N. XXXI. §. 7.

7) De iisdem leguntur versus Heliodori apud Stobaeum Flor. C, 6 M. cf. supra p. 393. c. n. 14.

8) C. 28.

9) In indice lectt. Gryph. 1885.

sciri possunt, protulit Preller[1]) in eo tamen falsus, quod senectutem uno loco queri poetam dicit obiter ut videtur lecto epigrammate XI, 30 (20 K.): Veneris se militiam non iam ut prius posse exercere questus claudit Philodemus:

> Ὦ γῆρας, γῆρας τί ποθ' ὕςτερον, ἢν ἀφίκηαι
> ποιήςεις, ὅτε νῦν ὧδε μαραινόμεθα;

Senectutem non increpat praesentem, sed extimescit futuram. Antiquissimum esse Philodemum inter poetas Coronae Philippi exploratum est: unde recte argumentum ad definiendam Meleagri aetatem petivit Iacobsius[2]).

Parthenii Nicaeensis sospitator extitit Meinekeus[3]). Studiis Meinekei in hanc rem collatis nova addidit Kiesslingius[4]), qui hoc recte firmasse mihi videtur temporis notam Suidianam[5]) καὶ ἐβίω μέχρι Τιβερίου τοῦ Καίcαροc falsam esse atque natam e loco Suetonii Ti. 70[6]). Verum persuadere mihi non potuerunt, quae de tradito apud Suidam Cinnae nomine proposuit. In verbis enim οὗτοc ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον, ὅτε Μιθριδάτην Ῥωμαῖοι κατεπολέμηcαν· εἶτα ἠφείθη καὶ ἐβίω ... non recte se habere Cinnae nomen statuit Meinekeus inde, quod sic ὑπὸ Κίννα dici potuisse solummodo de notissimo Cornelio Cinna recte, ni fallor, iudicavit: qui cum nusquam bello Mithridatico imperator fuerit, corruptum esse nomen censuit. Coniecturam, qua Caecinae nomen pro Cinnae substituere voluit, admodum incertam esse patet, ipsam hanc sententiam nemo adhuc redarguit[7]). Nam quod obvertit Kiesslingius verba ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον referenda esse non ad ducem, qui cepit, sed ad dominum, qui emit, exemplis ab ipso allatis[8]) non probatur, immo refelli videtur glossis, quae apud eundem Suidam leguntur s. v.: Διογένηc (p. 1375 ab) Ἱκεcίου υἱὸc Cινωπεὺc ... γηραιὸc δὲ ὢν ὑπὸ πειρατοῦ Cκριτάλου ἐλήφθη καὶ πραθεὶc ἐν Κορίνθῳ Ξενιάδῃ τινί ... itemque in glossa insequenti de (eodem) Diogene

1) In Ersch. et Gruber. A. R. E. Sect. III. vol. 23. p. 345 sqq.; de philosopho Philodemo v. Zeller III, 1. p. 374.

2) Prolegg. A. G. t. VI. p. XL.

3) Anall. Alex. p. 255 sqq.

4) Comment. Mommsen. p. 351 sqq.

5) S. v. Παρθένιοc. Ἡρακλείδου καὶ Εὐδώραc· Ἕρμιπποc δὲ Τήθαc φηcί· Νικαεὺc ἢ Μυρλεανόc, ἐλεγειοποιὸc καὶ μέτρων διαφόρων ποιητήc· οὗτοc ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον, ὅτε Μιθριδάτην Ῥωμαῖοι κατεπολέμηcαν· εἶτα ἠφείθη διὰ τὴν παίδευcιν καὶ ἐβίω μέχρι Τιβερίου τοῦ Καίcαροc· ἔγραψε δὲ ἐλεγείαc κ. τ. λ.

6) Etenim verba in eo tantum falsa esse, quod non usque ad susceptum a Tiberio imperium vivere potuit Parthenius Meinekeo propterea credi nequit, quia hoc ipsum solummodo significare possunt apud lexicographum neque aliter intelleguntur.

7) Adsenserunt Wachsmuth Symbol. phil. Bonn. p. 141, 10 et Kaibel Herm. XI. p. 373.

8) Suid. s. v. Ἀλέξανδροc Μιλήcιοc et s. v. Τιμαγένηc.

... πλέων δὲ ὑπὸ καταποντιστῶν ληφθεὶς ἐπράθη, s. v. Τυραννίων Ἐπικρατίδου ... ἤχθη δὲ εἰς Ῥώμην ληφθεὶς αἰχμάλωτος ὑπὸ Λουκούλλου, ὅτε κατεπολέμησε Μιθριδάτην τὸν Πόντου βασιλεύσαντα[1]· διαπρεπὴς δὲ γενόμενος ..., s. v. Φαίδων Ἠλεῖος (p. 1438 b) φιλόσοφος ... τοῦτον συνέβη πρῶτον αἰχμάλωτον ὑπὸ Ἰνδῶν (?) ληφθῆναι· εἶτα πραθεὶς πορνοβόσκῳ τινί ..., unde videre licet, quam acriter discernat Hermippus inter ληφθῆναι et πραθῆναι. Haud dubie igitur de duce, qui cepit, intellegenda sunt verba ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον atque, cum de Cinna duce belli illius nihil sciatur, omnibus autem notus sit Luculli et in consulatu et in ipso bello collega, qui Bithyniam, Parthenii patriam, sortitus provinciam etiam pro consule per triennium tenebat[2]), M. Aurelius Cotta, pro tradito ὑπο Κιννα restituendum censeo ὑπο Κοττα, quod quam facile expelli notiore nomine potuerit, nemo non videt. Iam animadvertas, quomodo in glossis simillimis: Τυραννίων ... ληφθεὶς αἰχμάλωτος ὑπὸ Λουκούλλου, ὅτε Μιθριδάτην ... κατεπολέμησε et Παρθένιος ... ἐλήφθη λάφυρον ὑπὸ Κόττα, ὅτε Μιθριδάτην κατεπολέμησαν Ῥωμαῖοι apte et scite diversa posuerit verba Hermippus. Male enim, quamquam aemulus Luculli gloriae[3]), res gessit Cotta neque aliud quicquam potius quam praedam (λάφυρον) undique conquirere studuit ita, ut post decessum e provincia ab Heracleotis, quorum urbem per biennium obsessam a. 70 expugnavit et paene vacuam reliquit, Romae accusatus lato clavo privaretur dimissis ante decreto publico captivis[4]). Itaque inter alia multa etiam servulum transduxisse videtur Parthenium; qui, cum viderit Augusteam aetatem, natus est fere inter annos 90 et 85[5]).

Iam nobis disputandum est

de Philippi Corona

ac primum quidem de **Antipatro Thessalonicensi,** cuius epigrammata haud pauca praebent temporum indicia, quibus ex parte tantum recte usus est Iacobsius[6]).

Pisonem, ad quem missa novem extant poetae carmina[7]), esse

---

1) Donatum esse grammaticum a Lucullo Murenae, qui manumisit, narrat Plutarchus Lucull. 19.

2) Cic. pro Mur. 15, 33. Plut. Luc. 6—8. Appian. Mithr. 71. Frater eius erat C. Cotta, qui philosophiae Graecae, Academicae maxime, otium navavit, Cic. de deor. nat. I, 7, 16. II, 1.

3) Plut. l. l.

4) Memnon Heracleota apud Phot. cod. 214. c. 54—61. Cum ubi servus factus sit Parthenius, nesciatur neque quo in Bithyniae oppido natus sit, satis constet (v. Kaibel. l. l.), ubi vis tibi fingas eum in Cottae manus rapaces incidisse intra annos 74 et 70.

5) De carmine eius Κριναγόρας inscripto v. supra p. 397 et infra p. 421.

6) A. G. t. XIII. p. 849. Weigandii dissertationem de Antipatris Sid. et Thessal. poetis (1840) inspicere non licuit.

7) A. P. VI, 241. 249. 335. IX, 93. 428 (etsi enim nomen non ad-

L. Calpurnium Pisonem (cos. a. C. 15), qui annis a. C. 12—9 in Thracia cum Bessis bellum gessit[1]), scimus[2]). De patria poetae dubitari nequit lecto epigrammate IX, 428:

Coί με, Θρηϊκίης cκυληφόρε, Θεccαλονίκη
μήτηρ ἡ πάcης πέμψε Μακηδονίης.
Ἀείδω δ' ὑπὸ coὶ δεδμημένον Ἄρεα Βεccῶν,
ὅcc' ἐδάην πολέμου πάντ' ἀναλεξάμενοc.
Ἀλλά μοι ὡc θεὸc ἔcco κατήκοοc, εὐχομένου δὲ
κλῦθι· τίc ἐc Μούcαc οὔατοc ἀcχολίη;

Loqui ipsum poetam, non carmen ad Pisonem de bello missum[3]) docet masculinum ἀναλεξάμενοc. Falso igitur Planudes in lemmate habet Ἀντιπάτρου Cιδονίου, recte superscriptum est: Θεccαλονικέωc[4]).

---

ditum est, tamen hoc quoque carmen Pisoni dedicatum esse constat inter omnes). 541. 552. X, 25. A. Plan. 184.

1) Dio LIV, 34. Vell. Pat. II, 98.

2) V. Iacobs A. G. XIII. p. 849.

3) Ut putat Iacobsius (in comment. A. G. t. VIII. p. 297), ipse tamen sibi obstans in catalogo l. l. legatum Thessalonicensium ad Pisonem venisse Antipatrum ex hoc ipso carmine suspicatus. De vera num cogitandum sit legatione, dubitarim: poetico fortasse sensu illud πέμψε interpretandum est neque urgendum.

4) Thessalonicensis nomen prae se fert ep. XI, 327:

Τὴν ξηρὴν ἐπὶ νῶτα Λυκαινίδα, τὴν Ἀφροδίτηc
λώβην, τὴν ἐλάφου παντὸc ἀπυγοτέρην,
αἰπόλοc ἧ μεθύων οὐκ ἄν ποτέ φαcι cυνῴκει, —;
γοῖ γοῖ· τοιαῦται Cιδονίων ἄλοχοι.

Interpugendum est v. 2 post ἀπυγοτέρην, non post αἰπόλοc et totum enuntiatum usque ad cυνῴκει intellegendum ut indignati interrogantis vel se ipsum vel alium: verbum obscoenum post ἀπυγοτέρην, ut similiter sescenties a poetis, omissum est. Propter ultima: τοιαῦται κ. τ. λ., quae minime „interrogative efferri" debent cum Duebnero (in adnott.), Sidonii esse carmen voluit Brunckius parum, ni fallor, considerate. Nam sive Sidonius fuit poeta sive Thessalonicensis, neque ille de patriae neque alteruter de Sidonis clarissimae urbis feminis talia potuit in medium proferre, sed de mulieribus haud dubie sermo est deformitate ac turpi libidine contemptis, quibuscum comparatur Lycaenis. Itaque pro Cιδονίων restituendum esse censeo Cιθονίων atque hic latere vestigium fabulae de Thracibus a Baccho nescio quam ob rem nec quomodo punitis, sicut etiam apud Horatium C. I, 18, 7 sqq.

Ac ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
debellata, monet Sithoniis non levis Euhius,
cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
discernunt avidi . . .

et apud Ovidium Met. IV, 279 (ante Daphnidis fabulam):

Nec loquor, ut quondam naturae iure novato
ambiguus fuerit modo vir modo femina Sithon.

Cf. Fast. III, 719 (Bacchum adloquitur poeta):

Sithonas et Scythicos longum est narrare triumphos.

Omnium, quae res Romanas spectant, Antipatri epigrammatum antiquissima esse videntur epp. VI, 241. 335. IX, 552 (de armis Macedonicis Pisoni a Thessalonicensibus oblatis), quae paullo ante ipsam expeditionem a. C. 12 scripta esse docent ultimi versus carminis VI, 335:

τάχα κρόκες αἵ ποτε Πέρσας
τρεψάμεναι καὶ σοὶ Θρῆκας ὑπαξόμεθα[1]).

Finito bello a. C. 9 conditum est, quod iam exscripsi ep. IX, 428. v. 3:

ἀείδω δ' ὑπὸ σοὶ δεδμημένον Ἄρεα Βεσσῶν.

Videtur igitur in urbe patria illo ipso tempore cum Pisone consuetudinem iunxisse Antipater. Iam consideremus alia eius carmina. Ep. IX, 59:

Τέσσαρες αἰωροῦσι τανυπτερύγων ἐπὶ νώτων
Νῖκαι ἰσηρίθμους υἱέας ἀθανάτων,
ἁ μὲν Ἀθηναίαν πολεμαδόκον, ἁ δ' Ἀφροδίταν,
ἁ δὲ τὸν Ἀλκείδαν, ἁ δ' ἀφόβητον Ἄρη,
σεῖο κατ' εὐόροφον γραπτὸν τέγος· ἐς δὲ νέονται
οὐρανόν, ὦ Ῥώμας Γαῖε πάτρας ἔρυμα.
Θείη ἀνίκατον μὲν ὁ βουφάγος, ἁ δέ σε Κύπρις
εὔγαμον, εὔμητιν Πάλλας, ἄτρεστον Ἄρης

recte iam Heyneus rettulit ad C. Iulium Caesarem Vipsanium, filium Agrippae et Iuliae, qui natus a. C. 20, adoptatus ab Augusto 17, a. C. 5 princeps iuventutis una cum fratre a senatu appellatus[2]) missus est a patre in Orientem a. C. 1[3]), ante in matrimonium data

---

Ceterum interficitur, non mutatur Sithon Pallenes pater a Baccho apud Nonnum XLVIII, 185, itaque aliam fabulae formam novit Ovidius, aliam Nonnus. Pallene est Bacchi Σιθονίη ἄλοχος (Nonn. l. l. v. 150). Iam vides, quam vere tribuatur epigramma ad Thracum fabulam antiquissimam, ut videtur, alludens Thessalonicensi Antipatro.

1) Omnium primum conditum est, si recte conicio Pisonem cum esse, quem adloquitur in his versibus poeta, ep. IX, 92:

Ἀρκεῖ τέττιγας μεθύσαι δρόσος· ἀλλὰ πιόντες
ἀείδειν κύκνων εἰσὶ γεγωνότεροι.
Ὣς καὶ ἀοιδὸς ἀνὴρ ξενίων χάριν ἀνταποδοῦναι
ὕμνους εὐέρκταις οἶδε, παθὼν ὀλίγα.
Τοὔνεκά σοι πρώτως μὲν ἀμείβομαι· ἢν δ' ἐθέλωσιν
Μοῖραι, πολλάκι μοι κείσεαι ἐν σελίσιν.

Ceterum cum initio epigrammatis conferendum est carmen Anacreonteum 32 (43):

Μακαρίζομέν σε τέττιξ
ὅτε δενδρέων ἐπ' ἄκρων
ὀλιγὴν δρόσον πεπωκὼς
βασιλεὺς ὅπως ἀείδεις.

2) Mommsen R. G. D. A.[2] III, 1—6. (p. 52 sqq.). Huc relata maiorem vim accipiunt verba Ῥώμας πάτρας ἔρυμα.

3) Mommsen l. l. ad V, 28. (p. 114).

Livia[1]). Sed caelibem adloquitur poeta, ut apparet e verbis ἁ δέ cε Κύπριc εὔγαμον (θείη); incidere igitur videtur carmen in annos a. C. 5—2. Porro ep. IX, 297:

> Cτέλλευ ἐπ' Εὐφρήτην, Ζηνὸc τέκοc· εἰc cὲ γὰρ ἤδη
> ἠῷοι Πάρθων αὐτομολοῦcι πόδεc.
> Cτέλλευ ἄναξ· δήειc δὲ φόβῳ κεχαλαcμένα τόξα,
> Καῖcαρ· πατρῴων δ' ἄρξαι ἀπ' ἀντολέων·
> Ῥώμην δ', ὠκεανῷ περιτέρμονα παντόθεν, αὐτὸc
> πρῶτοc ἀνερχομένῳ cφράγιcαι ἠελίῳ

neque cum Iacobsio ad Augustum a. C. 20 in Parthos iturum neque cum Reiskeo ad Germanicum in Orientem euntem p. C. 18 referendum est, sed Ζηνὸc τέκοc idem est, quem modo vidimus celebratum, Gaius Divi Augusti filius: ad hunc iussu patris in orientem profecturum a. C. 1 missum est epigramma; eundem tunc versibus prosecutus est Ovidius[2]), cuius sententiae, ut res fert, ex parte congruunt cum Antipatri:

Ovid. „*Ecce parat Caesar domito quod defuit orbi*
addere, nunc oriens ultime noster eris."

Antip. Ῥώμην δ' ὠκεανῷ περιτέρμονα παντόθεν αὐτὸc
πρῶτοc ἀνερχομένῳ cφράγιcαι ἠελίῳ.

Ov. „*Auguror en vinces*" = Ant. δήειc δὲ φόβῳ κεχαλ. τόξα. Iam verba πατρῴων δ' ἄρξαι ἀπ' ἀντολέων, crux interpretum, explicari omnino nequeunt. Quomodo enim oriens, barbara Parthorum terra, dici possit πατρῷοc allato vel potius arrepto ab interpretibus Aenea proavo, non intellegitur. Corrupta sunt, facilia emendatu: πατρῴων δ' ἄρξαι ἀπ' ἐντολέων. Ovidius dicit (v. 191):

> *Auspiciis annisque patris puer arma movebis*
> *et vinces annis auspiciisque patris.*

πατρῷαι ἐντολαί sunt „monita paterna", quae idem affert poeta Latinus Met. II, 126: „*monitis parere paternis*". Iussu enim patris Gaius orientem petit[3]). Conditum igitur est carmen ipso anno a. C. 1.

Epigramma in Cotyn Thraciae regem (A. Plan. 75):

---

1) Tac. Annal. IV, 40.

2) A. a. I, 177 sqq.

3) Altiorem etiam sensum in verbis inesse puto: Ζηνὸc τέκοc vocatur Gaius itaque πατρῴων δ' ἄρξαι ἀπ' ἐντολέων nihil aliud est nisi ἐκ Διὸc ἄρξαι: In suum usum hic convertisse videtur Antipater quem bene novit Aratum, ut ep. IX, 541 (ad Pisonem)

> Ἀλλὰ cὺ μηκέτ' Ἄρητον ἐπίβλεπε, διccὰ γὰρ ἀμφοῖν
> μέτρα πιών ἀθρεῖc πάντα τὰ φαινόμενα.

De re ipsa cf. Horat. C. IV, 14, 32

> *te copias, te consilium et tuos*
> *praebente divos.*

Ζηνὶ καὶ Ἀπόλλωνι καὶ Ἄρεϊ τέκνον ἀνάκτων
εἴκελον, εὐκταίη μητέρος εὐτοκίη,
πάντα τοι ἐκ Μοιρέων βασιλήϊα, πάντα τέλεια
ἦλθεν· ἐποιήθης δ' ἔργον ἀοιδοπόλων·
Ζεὺς σκῆπτρον βασίλειον, Ἄρης δόρυ, καλλοσύνην δὲ
Φοῖβος ἔχει· παρὰ σοὶ δ' ἀθρόα πάντα, Κότυ

refert Iacobsius[1]) ad Cotyn Persae regis socium ipse a se dissentiens, cum sic Antipatri Thessalonicensis esse non possit, neque aptius Reiskeus ad eum Cotyn, cui p. C. 39 Caligula Armeniam minorem regnum reddidit. Recte tandem Mommsenus[2]) huius intellegit patrem, qui regnum obtinuit p. C. 12, ad quem misit Ovidius ex Ponto epistulam II, 9. Hoc carmen, quod certe non ante annum p. C. 12 Ovidius scripsit, scripsisse videtur hoc ipso anno, quo rex factus est et vicinus exulis Cotys, spectant haud dubie Antipatri verba ἐποιήθης δ' ἔργον ἀοιδοπόλων, unde post Ovidianam epistulam ortum esse hoc epigramma statuimus. Non tam accurate determinari possunt alia poetae carmina, in quibus tamen inest temporis nota:

Ep. IX, 553 in Nicopolin ab Augusto conditam:

Λευκάδος ἀντί με Καῖσαρ ἰδ' Ἀμβρακίης ἐριβώλου
Θυρρείου τε πέλειν ἀντί τ' Ἀνακτορίου
Ἄργεος Ἀμφιλόχου τε καὶ ὅππσσα ῥαίσατο κύκλῳ
ἄστε' ἐπιθρῴσκων δουρομανὴς πόλεμος,
εἵσατο Νικόπολιν, θείην πόλιν· ἀντὶ δὲ νίκης
Φοῖβος ἄναξ ταύτην δέχνυται Ἀκτιάδος

non ipso, quo conditum est oppidum, tempore sed postea (εἵσατο) scriptum est: fortasse adiit poeta ludos Actiacos nescimus quo anno.

In statuam Pyladis Cilicis pantomimi[3]), ut docet lemma, factum est ep. A. Plan. 290. Huius ἀκμήν Hieronymus ponit in anno a. C. 22; in vivum scriptum esse carmen lemmati diffisus haud recte putavit Duebner[4]). Obiisse enim iam saltatorem evincere mihi videntur cum totius carminis color tum haec potissimum verba:

ἀνθρώποις Πυλάδης τερπνὸν δέος, οἷα χορεύων
δαίμονος ἀκρήτου πᾶσαν ἔπλησε πόλιν,

statuam sibi fingere poetam vel revera ante oculos habuisse inscribendam verba:

οὐράνιος δὲ
οὗτος ὁ παμφώνοις χερσὶ λοχευόμενος.

---

1) In comment. A. G. t. VIII. p. 293.
2) Ephem. epigr. II. p. 254.
3) De quo v. Friedlaender Sittengesch. Roms II[5]. p. 417.
4) In adnot. ad ep.

Quando autem decesserit Pylades, nescitur nec minus res incerta de Glycone, in quem mortuum legitur epigramma iambicum VII, 692[1]), quod inscribitur Ἀντιπάτρου οἳ δὲ Φιλίππου Θεccαλονικέωc. Philippi tamen non esse poemation existimo, quoniam Glycon floruisse videtur a. C. 20[2]), Philippus autem posterior etiam est Antipatro. Glaphyrus tibicen celebratus ep. IX, 517 idem fortasse est atque ille apud Wilmannsium Ex. 2636:

Ti. Claudius Glaphyrus choraules
Actionica et Sebastionica.

unde suspiceris Tiberii etiam regnum vidisse Antipatrum: cui favet, quod post annum p. C. 12 scriptum esse eius carmen in Cotyn regem cognovimus[3]).

Ep. XI, 24 in Heliconem οἰνοχόον referre velim ad Heliconem omnipotentem postea Caligulae cubicularium, qui antea hominis privati servus deinde Tiberio donatus est[4]). Hominem hunc privatum esse Pisonem facile credas, sed iam apud Tiberium fuisse, cum eum celebraret poeta, Heliconem ideo malim opinari, quia in antecedente eiusdem Antipatri epigrammate convictorem Tiberii agnoscere mihi videor: (ep. XI, 23):

Ὠκύμορόν με λέγουcι δαήμονεc ἀνέρεc ἄcτρων·
εἰμὶ μέν, ἀλλ' οὔ μοι τοῦτο, Cέλευκε, μέλει.
Εἰc Ἀίδην μία πᾶcι καταίβαcιc· εἰ δὲ ταχίων
ἡμετέρη, Μίνω θᾶccον ἐποψόμεθα.
Πίνωμεν· καὶ δὴ γὰρ ἐτήτυμον, εἰc ὁδὸν ἵπποc
οἶνοc, ἐπεὶ πεζοῖc ἀτραπὸc εἰc Ἀίδην.

Neque enim Seleucus iste est Syriae rex neque Sidonius hoc scripsit Antipater, sed utrumque respuunt tempora, quae patent ex proxime sequente eiusdem poetae epigrammate. Immo Romae frequentissimi tunc erant astrologi, Tiberius ipse ad hanc artem inclinabat (Thrasyllum nomino), Seleucum autem novimus in aula versantem grammaticum[5]), cuius ad artem alludere mihi videtur poeta versibus 3—6; hanc artem et maxime quidem fabularem historiam

---

1) Iacobs A. G. t. VIII. p. 340. Videas etiam Lessingium opp. VIII. p. 526 ed. Lachm.

2) Quo fere anno e Kiesslingii sententia scripta sunt verba Horatii Ep. I, 1, 28

. . *et membra invicta Glyconis.*

3) Non debuit afferri a viris doctis Glaphyrus, cuius mentionem faciunt Iuvenalis VI, 77 et Martialis IV, 5. Nam hic prorsus alius est vixitque Domitiani temporibus. De nominibus artificum frequentatis egit Friedlaender l. l. II^5. p. 568 sqq. Idem num sit Glaphyrus apud Kaibelium Ep. Gr. 640, 4, dubito, cum in citharoedi epitymbio vix omissae essent artis laudes.

4) Philo legat. ad Gaium 26. Cf. Friedlaender l. l. I. p. 101.

5) V. supra p. 387.

usque ad ineptias colebat Tiberius et *„quo primum die post excessum Augusti curiam intravit, quasi pietati simul ac religioni satisfacturus Minois exemplo supplicavit"* [1]). Patuisse autem principis aulae aditum una cum isto Graeculorum grege etiam Antipatro, praefecti urbis et pontificis maximi [2]) amico, facile credes [3]).

Vidimus carmina, quorum causae cognosci potuerunt, omnia spectare tempora post Pisonis bellum Thracicum usque ad Tiberii principatum, unde tunc cum Pisone Romam venisse Antipatrum pro certo statueres, nisi adhuc obstaret, quod ad tempora antecedentia potest referri, ep. X, 25:

Φοῖβε, Κεφαλλήνων λιμενοςκόπε, θῖνα Πανόρμου
  ναίων, τρηχείης ἀντιπέρην Ἰθάκης,
δός με δι' εὐπλώτοιο πρὸς Ἀςίδα κύματος ἐλθεῖν,
  Πείςωνος δολιχῇ νηῒ ςυνεςπόμενον·
καὶ τὸν ἐμὸν βαςιλῆα τὸν ἄλκιμον εὖ μὲν ἐκείνῳ
  ἵλαον, εὖ δ' ὕμνοις ἄρτιςον ἡμετέροις

Vulgo enim hoc referunt ad Pisonem in Pamphyliam provinciam [4]) Roma euntem, unde antea iam apud illum versatum esse Antipatrum efficeretur: quam sententiam falsam esse evincere non poteris. Attamen, nisi omnia me fallunt, hoc ipso potius carmine poeta patria deserta secutus Pisonem novosque petiturus penates prosperam deos sibi precatur fortunam. Non quidem legimus v. 3 πρὸς Ῥώμην, sed finito bello non statim Romam, sed antea in provinciam Asiam redire debuit Piso, ut πρὸς Ἀςίδα bene posset explicari [5]), non tamen, id quod concedo, ita bene, quod Apollinem Antipater implorat Cephallenium. Sed mirum hoc est etiam in homine Roma in Asiam proficiscente et tribuendum videtur „docto" poetae artificiosum quaerenti carminis initium et doctrinae testimonio ornatum [6]). Restat ut versus duo ultimi explicentur. Et reicienda quidem est Rubensohnii [7])

1) Suet. Ti. 70.

2) Hos enim honores nactus est Piso regnante Tiberio (Tac. Annal. VI, 10) vixitque usque ad annum 32 (ibid.).

3) Ipsum Antipatrum ludi magistrum fuisse ex epigrammate V, 3 num sit colligendum (cum Rubensohnio ed. Crinagorae epigr. p. 13, 2), dubito, siquidem illud natum esse videtur ex imitatione carminis Ovidiani Amor. I, 13. Hunc poetam Latinum lectitatum esse ab Antipatro iam vidimus atque ex aliis huius epigrammatis collegit Iacobsius (ad V, 3 et 31).

4) Hinc demum in Thraciam arcessitus est. Dio LIV, 34.

5) Pisonem iter facere non ut privatum hominem, sed imperatorem docet δολιχὴ ναῦς i. e. navis longa.

6) Fortasse, ut iam suspicati sunt viri docti, Apollo hic Cephallenius peculiari cultus erat honore ideoque a poeta est invocatus. V. etiam ep. IX, 90 cum adnotatione Iacobsii (A. G. t. VIII. p. 347). De Panormi situ cf. Bursian Geogr. Gr. II. p. 376.

7) In editione Crinagorae p. 53 (n.): nonnulla ibi profert haud spernenda de imitatoribus Crinagorae dubitans saepius de Antipatro (p. 55), uter utrum sit imitatus. Vidimus iam et videbimus etiam Antipatrum esse posteriorem.

interpretatio verba τὸν ἐμὸν βασιλῆα ad Cotyn referentis. Quomodo enim (ne dicam de ipsis verbis τ. ἐμὸν β., quae minime quadrant in Cotyn) implorari potest regulus iste, ut propitius sit imperatori Romano? Principem Augustum dici, quamquam eum non posse vocari βασιλῆα idem non recte contendit vir doctus[1]), tamen ego quoque nego cum διὰ τὸ ἀπρεπές (etiam magis enim ineptus esset Graeculus pro Pisone Augustum quodammodo deprecans) tum propter ipsa verba τὸν ἐμὸν βασιλῆα et epitheton ἄλκιμον, quae nullo modo significare possunt „Ζῆνα" Augustum, sed probe intelleguntur tantum ipsum Pisonem spectantia, Antipatri patronum et regem[2]), cui epitheton ἄλκιμος tribuitur etiam VI, 335. v. 3: Hunc ut sibi propitium reddat aptumque carminibus, deum ultimis versibus implorat poeta novam patriam petens domum Pisonis. Sic res et verba intelleguntur praeter unum, quod ferri non iam potest, illud ἐκείνῳ, quod quo referendum sit, ne Oedipus quidem potuerit enucleare: nec nobis solum, sed haud dubie etiam aequalibus lectoribus hoc aenigma dedit solvendum poeta, si dedit: id quod nego. Desideratur enim et flagitatur commemoratio ipsius poetae loquentis, cui ἵλαος esto Piso[3]). In traditis verbis εὖ μὲν ἐκείνῳ non inest, inesse nequit, ergo coniectando restituenda est[4]).

---

1) Testimonia, ex quibus usos esse Graecos apparet voce quoque βασιλεύς ad significandum principem Romanum praeter verbum αὐτοκράτωρ, contulit Spanhemius Numism. II. p. 397. In poeta vero legi βασιλῆα non αὐτοκράτορα nemo miraretur.

2) V. Horat. Ep. I, 17, 43 et 19, 43 cum notis Kiesslingii.

3) Cf. eiusdem ad Pisonem epigramma IX, 93:

Ἀντίπατρος Πείσωνι γενέθλιον ὤπασε βίβλον
μικρήν, ἐν δὲ μιῇ νυκτὶ ποιησάμενος.
Ἵλαος ἀλλὰ δέχοιτο, καὶ αἰνήσειεν ἀοιδόν,
Ζεὺς μέγας ὡς ὀλίγῳ πειθόμενος λιβάνῳ.

4) Originem corruptelae inesse puto in verbis εὖ μέν, quippe quae captandae causa oppositionis εὖ μὲν — εὖ δ' nata esse videantur e vocabulo non ita usitato, quod verbum fuit regens accusativum ἵλαον. Propono:

καὶ τὸν ἐμὸν βασιλῆα τὸν ἄλκιμον εὐμενίσαι μοι
ἵλαον, εὖ δ' ὕμνοις ἀρτίσον ἡμετέροις.

Vocabula synonyma εὐμενής et ἵλαος coniuncta passim inveniuntur, velut apud Theocritum V, 18: αἴ μοι (Νύμφαι) ἵλαοί τε καὶ εὐμενέες τελέθοιεν, Anth. Pal. IX, 512

Εὐμενέως πρώτοιο δεδεγμένος ὄργια βίβλου
φιλοπόνου γραφίδεσσι δεδειγμένα βένθεα μύθων
κοιράνου Αὐσονίοισι διδάσκαλε ἵλαος εἴης.

A. P. XV, 29, 6

ἵλαθι ἵλαθι μοι ὄμματι εὐμενέϊ.

Ipsum verbum εὐμενίζεσθαι alibi nonnisi a pedestris sermonis scriptoribus (Xenoph. Cyrop. III, 3, 12 Γῆν ἱλάσκετο χοαῖς καὶ θεοὺς θυσίαις καὶ ἥρωας . . . εὐμενίζετο. Appian. b. c. 4. εὐμενιζόμενος Καίσαρα) et raro quidem adhibitum noli obvertere, nam etiam verbum ἀρτίζειν apud unum extat

Cetera Antipatri epigrammata et in Pisonem, quae supra iam sunt enumerata[1]), et in alios homines Romae versantes[2]) quando scripta sint, nequit decerni[3]).

Egredi nunc opus est extra fines his quaestionibus constitutos ampliusque disputare de **Philippo Thessalonicensi** Antipatri populari, Coronae auctore, cum huius demum definita aetate de aliis poetis certum nanciscamur, ante quem floruerint, temporis terminum. Falsae enim esse mihi videntur sententiae adhuc prolatae. Recte quidem Iacobsius[4]) refutavit Reiskeum inter duos huius nominis poetas discernentem, ipse tamen non recte ita argumentatus est: Temporis momentum inest in Philippi epigrammate IX, 708, quo memorat molem Puteolanam exstructam Iuliumque Baiarum portum factum ab Agrippa a. C. 37. Extat autem in ipsa Corona poeta, qui Nerva imperante floruisse videtur, Automedon. Ergo epigramma illud non quidem cum Reiskeo alteri Philippo maiori tribuendum, sed imitatio tantum est epigrammatis Antiphili Byzantii VII, 379 „quod et ipsum fortasse ex antiquiore carmine ductum est". Ita omnia Philippi epigrammata, Augustea quae spectant tempora, ex antiquiorum poetarum imitatione profluxisse, ipsum vero Traiani aetate Coronam composuisse censet vir clarissimus.

Haec vel repetita vel tacite probata etiam hodie vigent[5]) neque extitit, qui interrogaret, nonne mirum esset nullum inveniri in Philippi carminibus Traiani temporum vestigium, quae vero extarent Augusteae aetatis, soli deberi imitationi. Iam nos pedetemptim progredientes singula omnia denuo examinemus, ac primum epigramma illud Philippi IX, 708:

Ἔζευξ' Ἑλλήσποντον ὁ βάρβαρος ἄφρονι τόλμῃ
 τοὺς δὲ τόσους καμάτους πάντας ἔλυσε χρόνος·
ἀλλὰ Δικαιάρχεια διηπείρωσε θάλασσαν
 καὶ βυθὸν εἰς χέρσου σχῆμα μετεπλάσατο,
λᾶα, βαθὺ στήριγμα, κατερρίζωσε πέλωρον,
 χερσὶ Γιγαντείαις δ' ἔστασε νέρθεν ὕδωρ.
Ἦν ἅλ' ἀεὶ πλώειν· διοδευομένη δ' ὑπὸ ναύταις
 ἄστατος εἰς πεζοὺς ὡμολόγησε μένειν.

---

hunc Antipatrum, ἀρτίζομαι praeter locum Theocriti XIII, 43 (Νύμφαι χορὸν ἀρτίζοντο) item non invenis nisi apud pedestris sermonis scriptores Diodorum XIV, 20 et Sextum Empiricum, adv. math. II, 208. p. 728.

1) P. 405. n. 7.

2) VII, 185. 367. IX, 567.

3) Ceterum inter se conferenda sunt initia epp. VII, 185. 367. A. Plan. 184: Αὐσονίη με Λίβυσσαν ἔχει κόνις, Αὐσονίου Ἠγερίου μ' ἐλέει νεκύν, Αὐσονίῳ Πείσωνι συναστιστής. Talia in deliciis habuisse videtur Antipater; simile aliquid invenitur nonnisi apud poetam aetatis Iulianeae IX, 803.

4) In prolegomenis commentarii A. G. t. VI. p. XLIV sq.

5) V. Christ l. l. p. 526.

Non potest loqui poeta de Agrippae portu Iulio, quoniam hic prorsus contrario modo factus est[1]), perfossa terra inter mare et lacum Avernum, itaque (ut sequar poetam) non mari in terram, sed terra in mare transformata, opera non ita multa neque digna talibus verbis[2]). Haud dubie potius referendum est epigramma ad pontem illum famosum a Caligula in sinu Puteolos inter et Baias factum, de quo haec Suetonius[3]): ... *„Baiarum medium intervallum ad Puteolanas moles, trium milium et sescentorum fere passuum spatium, ponte coniunxit contractis undique onerariis navibus et ordine duplici ad anchoras conlocatis superiectoque aggere terreno ac directo in Appiae viae formam. Per hunc pontem ultro citro commeavit biduo continenti, primo die falerato equo ... postridie quadrigario habitu ... comitante praetorianorum agmine et in essedis cohorte amicorum. Scio plerosque existimasse talem a Gaio pontem excogitatum aemulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabulaverit*[4]). Adicere quicquam ad explicandum Philippi carmen non opus est. Quando factus sit pons, apparet ex addita a Suetonio altera causa, cur fecerit Caligula: *„alios* (scil. existimasse Gaium hoc excogitasse), *ut Germaniam et Britanniam, quibus imminebat, alicuius immensi operis fama territaret"*, ante scilicet expeditionem Britannicam factam p. C. 40. Anno igitur 38 aut 39 epigramma illud scripsit Philippus.

Iam videndum de Antiphili Byzantii carmine, ex quo suum duxisse aiunt Philippum. Legitur A. P. VII, 379:

Εἰπὲ Δικαιάρχεια, τί cοι τόcον εἰc ἅλα χῶμα
βέβληται, μέccον γευόμενον πελάγουc;
Κυκλώπων τάδε χεῖρεc ἐνιδρύcαντο θαλάccῃ
τείχεα· μέχρι πόcου, Γαῖα, βιαζόμεθα;
Κόcμου νηΐτην δέχομαι cτόλον· εἴcιδε Ῥώμην
ἐγγύθεν, εἰ ταύτηc μέτρον ἔχω λιμένα.

Celebrat poeta ingentes portus Puteolani moles[5]) neque quae leguntur verba ullam praebent temporis notam. Tamen nescio an spectetur Gai opus verbis μέχρι πόcου Γαῖα βιαζόμεθα, ut scribendum sit Γαῖε pro Γαῖα et gradatio existat huius modi: *„Tantae eductae sunt moles* (βέβληται — ἐνιδρύcαντο), *quousque nunc urgemur* (βιαζόμεθα)? E Friedlaendero[6]) video pilarum harum nunc etiam stare sedecim, quae *„pons Caligulae"* nominantur. Certe autem conditum est carmen ante factum a Claudio Ostiae portum, qui obscuravit Puteolani gloriam.

1) Dio XLVIII, 50. Verg. Georg. II, 161.
2) Cf. Kiesslingium ad Horat. Art. poet. v. 64 sqq.
3) Cal. 19.
4) Quibuscum conferendus etiam Dio LIX, 17.
5) V. Friedlaender l. l. II[5]. p. 124.
6) L. l. p. 125.

Restat, ut examinemus, num revera Automedon poeta, quem Coronae inseruit Philippus, vixerit Nervae aetate, cum legatur eius in Niceten oratorem ep. X, 23, quem dicunt esse Nervae aequalem:

Νικήτης ὀλίγος[1]) μὲν ἐπὶ προτόνοισιν, ἀήτης
οἷά τε, πρηείης ἄρχεται ἐκ μελέτης·
ἀλλ' ὅταν ἐμπνεύσῃ, κατὰ δ' ἱστία πάντα φέρηται,
λαίφεα πακτώσας, μέσσα θέει πελάγη,
ναῦς ἅτε μυριόφορτος, ἕως ἐπὶ τέρματα μύθων
ἔλθῃ ἀκυμάντους ἔμπεδον[2]) εἰς λιμένας.

Attulerunt sophistam Smyrnaeum[3]), quia excessit e memoria notissimus aevi Augustei rhetor primo inter aequales loco nominatus ab Hieronymo ad annum a. C. 31: *„Nicetes et Hybreas et Theodorus et Plutio nobilissimi artis rhetoricae graeci praeceptores habentur"*[4]). Epigrammate Automedontis navis imagine effertur impetus Nicetis oratorius vel potius declamatorius, atque de ipso hoc rhetore Seneca[5]) dicit: *„Nicetes suo impetu valde Graecis placuerat"*. Augusti igitur non Nervae aequalis erat Automedon.

Relapsis e Traiani temporibus ad Caligulae circumspiciendum nobis erit, num quid Philippi aetati Gai regno adsignandae obstare videatur. Ac primum quidem ipsius carmina perlustranda, tunc ceterorum poetarum quos conlegit aetas, quoad possit, definienda est.

Ostentum poetice exornatum epigrammate IX, 307 (de lauro ex Augusti ara enata) inter nota eiusmodi facta[6]) referri tantum potest ad Quintilianeum illud[7]): *„Augustus nuntiantibus Tarraconensibus palmam in ara eius enatam, apparet, inquit, quam saepe accendatis"*[8]). Recte enim Iacobsius dicit acuminis captandi gratia laurum pro palma posuisse poetam — suam ipsius de imitatore Philippo sententiam sic redarguens[9]).

Simile quoddam legitur ep. VI, 236: apium examen spoliis navalibus Actiacis adhaesisse. Iam cum Strabo narret[10]) ὑπὸ πυρὸς

---

1) ὀλίγοις Hecker, male diffisus traditae scripturae: recepit coniecturam Duebner.

2) ἔμπεδον scripsi: ἔμπροσθεν Cod., ἔμπορος Plan. et edd.; quam esse ineptam coniecturam ex emporio Planudis iam vidit Salmasius. Ἔμπεδον est *certa via, tuta;* cf. Od. ν 86 (itidem de nave): ἡ δὲ μάλ' ἀσφαλέως θέεν ἔμπεδον. Saepius apud Homerum cum synonymo ἀσφαλής coniunctum invenis.

3) De quo cf. Tac. dial. 15. Plin. epp. VI, 6. Philostr. Vit. soph. I, 19.

4) V. supra p. 400. c. n. 1.

5) Suas. III, 6.

6) Iacobs A. G. t. IX. p. 190. Quibus addatur, quod de palma Romae ante aedes Augusti enata narrat Suetonius Aug. 92.

7) VI, 3, 77.

8) Etiam in nummis conspicitur haec ara eminente palma. V. Eckhel Doctr. Numm. I. p. 58.

9) Hic statui non posse imitationem satis docet vocabulum νῦν (v. 1).

10) VI. p. 325.

δ' ἠφανίσθαι καὶ οἱ νεώσοικοι λέγονται καὶ τὰ πλοῖα[1]), hoc quoque carmen ex antiquiore expressum esse male putat Iacobsius[2]). Etenim etiamsi incendio deleta essent illa, antequam Strabo haec scriberet, Philippus hoc epigramma condere potuit. Ubi tamen condidit? Vidisse eum quod narrat vix putaveris. Romae eum commoratum esse scimus. Hoc igitur faustum prodigium ut illud de palma aliaque Romae ni fallor audivit, quo Caesari has ad res nimis animum attendenti nuntiabantur. Sic utrumque carmen regnante Augusto conditum esse censemus.

Ep. VII, 362 est in Aetium rhetorem mortuum:

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν σορὸς ἥδε κέκευθεν
　Ἀετίου χρηστοῦ, ῥήτορος εὐπρεπέος[3])·
Ἤλυθεν εἰς Ἀίδαο δέμας ψυχὴ δ' ἐς Ὄλυμπον κ. τ. λ.[4]).

Emendandum puto Αἰετίου pro Ἀετίου et intellegendum notum e Seneca[5]) rhetorem Aietium Pastorem, *„qui controversiam apud L. Cestium (Pium) dixit iam senator*[6]). Cestius Romae docens floruit a. C. 13 teste Hieronymo vixitque usque ad annum p. C. 17[7]). Bene igitur quadrare videmus epigramma in tempora adhuc constituta, inter Augustum et Caligulam.

Reliqua Philippi carmina res Romanas spectantia quamquam certam temporis notam offerunt nullam[8]), possunt tamen scripta esse his temporibus omnia. Deinceps poetae singuli in eius Coronam recepti sunt percensendi.

De **Antiphili Byzantii** epigrammate in portum Puteolanum iam disseruimus[9]). Aliud est in insulam Rhodum IX, 178:

Ὡς πάρος Ἀελίου, νῦν Καίσαρος ἁ Ῥόδος εἰμί
　νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων·

---

1) Id quod ignorant Dio LI, 1 et Suetonius Aug. 18.
2) A. G. t. IX. p. 170.
3) ἐκπρεπέος corrector, Brunck, Duebner.
4) In codice secuntur versus disturbati et interpolati
　δ'　　　　　　　　ἐν　　ψ
ἦλθεν εἰς ἀίδαο δέμας, ψυχὴ δ' ες Ὄλυμπον
τέρπετ' ἅμα Ζηνὶ καὶ ἄλλοισιν μακάρεσσιν.
ἀθάνατον δὲ οὔτε λόγος ποιεῖν οὔτε θεὸς δύναται,
de quibus v. adnotationes criticas Iacobsii et Duebneri. Certi quicquam non efficitur. Recte tamen in ultimo versu hexametri exitum et integrum pentametrum adgnovit Hecker. Planudes omnia in brevius coegit: ἀθάνατον ποιεῖ δ' οὐ λόγος οὔτε θεός.
5) Contr. I, 3, 11.
6) Non igitur hoc loco optimis libris diffidendum, sed coniecturis abstinendum est. Eiusdem gentis puto esse nomen quod lapides servarunt, Aiedia (apud Mommsenum I. R. N. 4330. 4788. 6166. 7253).
7) Lindener De Cestio Pio p. 6; v. supra p. 400 c. n. 3.
8) VI, 5. 240. VII, 234. IX, 285 (ad quod conferendus est Friedlaender l. l. II[5]. p. 356).
9) P. 414.

ἤδη cβεννυμέναν με νέα κατεφώτιcεν ἀκτίc,
  Ἅλιε, καὶ παρὰ cὸν φέγγοc ἔλαμψε Νέρων.
Πῶc εἴπω, τίνι μᾶλλον ὀφείλομαι; ὃc μὲν ἔδειξεν
  ἐξ ἁλόc· ὃc δ' ἤδη ῥύcατο δυνομέναν.

Iacobsius[1]) seductus sua de Philippo sententia mavult de Nerone haec dici quam de Tiberio. Attamen in Neronem minime quadrant versus primi, aptissimi sunt ad Tiberium relati, qui octo annos a. C. 6 — p. C. 2 in insula degit[2]). Dubitatio esse nulla iam potest collato epigrammate Apollinidis extantis itidem in Philippi Corona IX, 287:

Ὁ πρὶν ἐγὼ Ῥοδίοιcιν ἀνέμβατοc ἱερὸc ὄρνιc,
  ὁ πρὶν Κερκαφίδαιc αἰετὸc ἱcτορίῃ,
ὑψιπετῆ τότε ταρcὸν ἀνὰ πλατὺν ἠέρ' ἀερθεὶc
  ἤλυθον, Ἠελίου νῆcον ὅτ' εἶχε Νέρων·
κείνου δ' αὐλίcθην ἐνὶ δώμαcι, χειρὶ cυνήθηc
  κράντοροc, οὐ φεύγων Ζῆνα τὸν ἐccόμενον.

Illustrari hoc carmine rem a Suetonio[3]) narratam omnes consentiunt, conditum autem id esse post Tiberii adoptionem factam tertio anno post (p. C. 4) ex ultimis eius verbis recte iam collegit Iacobsius[4]), quin etiam propter vaticinium istud et verba τότε — ὅτε — εἶχε revera iam fuisse principem tunc Tiberium putarim. Certe scriptum est post Antiphili carmen, quod incidere in ipsum tempus, quo Rhodi commorabatur Tiberius, verba evincunt νῦν Καίcαροc . . . εἰμί.

Antiphili ep. VII, 641[5]) de horologio ab Athenaeo quodam publice posito temporis notam non continet[6]). Ep. VI, 97 in hastam Alexandri Magni fortasse illustrant Suetonius[7]) et Dio[8]), qui narrant „thoraca Alexandri Magni" induisse Caligulam, cum transveheretur trans pontem illum, et ipsi, si nobis credis, celebratum Antiphilo[9]). Atque notum est, quanto opere soliti sint Alexandri memoriam recolere inde a Divo Iulio principes Romani[10]). Sabinus laudatus ep. IX, 306, inventor navium coriacearum, sitne notus e

1) T. IX. p. 51 sq.
2) Suet. Ti. 14.
3) L. l.
4) T. VIII. p. 363.
5) Falso, ut recte iam monuit Duebner, inter sepulcralia receptum.
6) Hunc Athenaeum neque eum esse, qui ad Marcellum Syracusarum expugnatorem scripsit περὶ μηχανικῆc, neque alterum eum, qui Gallieni imperatoris vixit temporibus, contra Reiskeum recte iam affirmavit Iacobsius l. l. t. XIII. p. 851.
7) Cal. 52.
8) LIX, 17.
9) V. supra p. 414.
10) V. Friedlaender l. l. II. p. 165.

Tacito Poppaeus Sabinus[1]) (cos. p. C. 9), quamquam esse potest, quis dicat? Certe ex his, quae disputavimus, sequitur vixisse Antiphilum Augusti et Tiberii, fortasse etiam Caligulae aetate, itaque aequalem Philippi fuisse.

Venimus ad **Automedontem,** cuius ad aetatem definiendam iam epigrammate in Niceten rhetorem usi sumus. Aliud vestigium observarunt viri docti ep. XI, 319:

Ἀνθρακίων δέκα μέτρα φέρων, ἔςο καὶ cὺ πολίτηc·
ἦν δὲ καὶ ὗν ἀγάγηc, αὐτὸc ὁ Τριπτόλεμοc.
Δεῖ δὲ καὶ Ἡρακλείδῃ ὑφηγητῆρι δοθῆναι
ἢ καυλοὺc κράμβηc ἢ φακὸν ἢ κοχλίαc.
Ταῦτ' ἔχε καὶ λέγε cαυτὸν Ἐρεχθέα, Κέκροπα, Κόδρον,
ὅν κ' ἐθέλῃc· οὐδεὶc οὐδὲν ἐπιcτρέφεται.

Recte enim haec rettulerunt ad Atheniensium in vendenda civitate facilitatem, atque ansam statuerunt carminis videri fuisse quod Dio[2]) narrat, dico Augustum a. C. 21 vetuisse Athenienses μηδένα πολίτην ἀργυρίου ποιεῖcθαι[3]). Viden', quam bene congruant tempora cum priore illo in Niceten epigrammate? Antiquior igitur paullo Philippo fuit Automedon.

Apollonidem fuisse Tiberii aequalem modo vidimus[4]). Aliquid disci posse videtur, sed videtur tantum, ex epigrammate X, 19:

Ἡδὺ παρειάων πρῶτον θέροc ἤματι τούτῳ
κείρεο, καὶ γενύων ἠιθέουc ἕλικαc,
Γάϊε· cὸν δὲ πατὴρ χερὶ δέξεται εὐκτὸν ἴουλον
Λεύκιοc αὐξομένου πουλὺν ἐc ἠέλιον·
Δωρεῦνται χρυcέοιcιν, ἐγὼ δ' ἱλαροῖc ἐλέγοιcιν·
οὐ γὰρ δὴ πλούτου Μοῦcα χερειοτέρη.

Expressum esse hoc ex Antipatri Thessalonicensis ep. VI, 198 iniuria adnotat Iacobsius[5]). Etenim si omnino imitatio esset statuenda,

1) Iacobs t. IX. p. 56. Quod antea iam tale quid conatus est Rufus Salvidienus (Dio XLVIII, 18), nihil ad poetam neque ad nos.

2) LIV. 7.

3) ὑψηγητήρ (Heraclides) quid sibi velit, ambigunt viri docti, v. Iacobs t. IX. p. 133. Idem est, ni fallor, atque ἐφηγητήρ i. e. qui ἐφηγεῖται τοῖc ἄρχουcί τινα, ut accuset: id quod vocabant ἐφήγηcιν vel ὑφήγηcιν (cf. C. F. Hermann Gr. Staatsaltertümer[5] §. 137, 10). Accusator igitur timendus erat Heraclides hominibus, qui Athenienses se vocabant, non tamen erant. De re ipsa conferas Nicolaum Damascenum (de vita sua 6. = F. H. G. III. p. 355) . . κατεγέλα δὲ καὶ τῶν καθ' αὑτὸν cοφιcτῶν, οἳ μεγάλοιc τιμήμαcιν ἐωνοῦντο Ἀθηναῖοι ἢ Ῥόδιοι καλεῖcθαι, βαρυνόμενοι τὴν ἀδοξίαν τῶν πατρίδων· ἔνιοι δὲ καὶ cυνέγραψαν περὶ τοῦ μὴ εἶναι ἀφ' ἧc πόλεωc ἦcαν, ἀλλ' ἀπό τινοc τῶν δι' ὀνόματοc Ἑλληνίδων.

4) Reiskeum inter plures, ut solet, discernentem Apollonides recte iam refutavit Iacobs t. XIII. p. 854.

5) T. VIII. p. 357. In primo et altero versu Apollonidem imitatum esse Callimachum (h. Del. 298) vidit Ruhnkenius. Falsa igitur sunt, quae

e contrario illud epigramma dedicatorium ficticio, ut videtur, nomine (Λύκων) ex hoc, verum cui subest factum, depromptum esse iudicaremus. Quis tamen Gaius fuerit filius, pater Lucius, ego nolo rimari. Certe non sunt e familia principis, quoniam prorsus aliter tunc esset locutus poeta[1]), sed videtur filius patroni nobis ignoti barbam posuisse: id quod ansam dedit pangendi carminis.

Non recte adhuc intellectum est epigramma Apollinidis IX, 280:

Λαίλιος Αὐσονίων ὕπατον[2]) κλέος εἶπεν ἀθρήσας
  Εὐρώταν· Σπάρτης χαῖρε φέριστον ὕδωρ·
Μουσάων δ' ἐπὶ χεῖρα βαλὼν πολυίστορι βίβλῳ,
  εἶδεν ὑπὲρ κορυφῆς σύμβολον εὐμαθίης·
κίτται, μιμηλὸν βιότου πτερὸν, ἐν σκιεροῖσιν
  ἄγκεσι παμφώνων μέλπον ἀπὸ στομάτων·
ὡρμήθη δ' ἐπὶ ταῖσι. Τί δ' οὐ ζηλωτὸς ὁ μόχθος,
  εἰ καὶ πτηνὰ ποθεῖ[3]) γάρυος ἡμετέρης.

Lemmati additum ζήτει ἔννοιαν τοῦ ἐπιγράμματος. Neque igitur scholiasta intellexit nec qui „obscurum esse sensum, sed quem frustra quaesiveris" fatetur Brunckius[4]). Esse mihi videtur carmen irrisorium[5]) in poetam μιμηλόν, qui opus conscripsit gravi doctrina vel ornatum vel oneratum: verba Σπάρτης χαῖρε φέριστον ὕδωρ ipsius esse videntur, imitatrices aves videt σύμβολον εὐμαθίης[6]) i. e. sui ipsius. In fine quoque iocosus est poeta nec tamen satis perspicuus. Desunt enim ultima in codice atque dubitari potest, num vera exhibeat Planudes, praesertim cum forma γάρυος sola sit Dorica hoc in epigrammate. Tamen sensus hic fere esse videtur: Cur non laudabilis (Laelii) labor, si aves quoque imitari nos student (scil. sicut ille nos passim imitatur). Sed quaeras ipse meliora: certe si carmen irridendi causa scriptum est, non solum apparet male mutatum esse a scholiasta, qui non intellexit, emendare tamen cupiebat, ὕπατον in ὑπάτων[7]), sed etiam reiciendam esse[8]) Heckeri coniecturam v. 3: Μουσάων ἐπίχειρα λαβών i. e. Musarum gratiam assecutus, quod languet et friget. Prorsus apta potius sunt tradita verba. Fingitur

de Antipatri imitatore in his versibus Apollonide protulit Iacobsius t. VIII. p. 302, refert Duebner ad ep. VI, 198. v. 3.

1) Cf. e. g. Thalli ep. VI, 235, infra p. 426.

2) Sic manus prior, altera (lemmatistae) superscripsit ὑπάτων, inepte: quod receperunt editores.

3) Desunt ultima duo verba in codice, supplevisse videtur de suo Planudes.

4) Iac. A. G. t. VIII. p. 369.

5) Genus epigrammatum expolitum postea a Lucillo.

6) Meminisse videtur poeta, ut monuit Maassius, Callimachi illud Ἀρήτου σύμβολον ἀγρυπνίης (ep. 27 Wil.), unde verum ibi restituisse Ruhnkenium firmatur.

7) Id est: Laelius, Ausoniae summa gloria; cf. Crinagorae ep. 24 R. = A. P. VII, 741. Ὀθρυάδην, Σπάρτης τὸ μέγα κλέος.

8) Quam in textum recepit Duebner.

poeta iste Laelius circumvagans libellum suum secum portans doctissimum, cui Eurotam adspiciens manum imponit vociferans: Cτάρτης κ. τ. λ. Vivida pingitur imago: ἤθρει — ἐπέβαλε — εἶπε — εἶδε — μέλπον — ὡρμήθη: inter haec non locus est pedestri ille M. ἐπίχειρα λαβών[1]).

Evanuit igitur consul anni a. C. 6 Laelius, tamen aliquid lucrati esse videmur: veri enim simillimum factum est, quod coniecit Reiskeus, hunc Apollonidem esse Nicaeensem eum, qui commentarios Sillorum ad Tiberium misit[2]) hoc poeseos genus ex ingenii indole adamantem[3]).

Neque ex epigrammatis neque aliunde certius quicquam constat de poetis Antiphane Parmenione Eueno[4]). Antigonus[5]) fueritne Romae, nescitur, idemque cadit in Bianorem, cuius tamen aetas definitur ex epigrammate IX, 423 in Sardes terrae motu obrutas p. C. 17[6]). Diodorum Zonam Sardianum Romae fuisse non veri simile est[7]). Iunioris Diodori Sardiani aetatem bene congruere cum Philippi temporibus ex eis, quae supra[8]) disputavimus, apparet. Adde quod unum, qui restat e Corona Philippi, poetam Crinagoram certo scitur Augusto regnante Romae degisse, iam vides undique firmatum, quod diximus, vixisse Philippum ab Augusti aetate usque ad Caligulae tempora, quo sub principe Coro-

---

1) Adde quod hic quoque animo poetae obversatus esse videtur Callimachus (ep. 2, 6 Wil.)

ἧςιν ὁ πάντων
ἁρπακτὴς Ἀίδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ.

2) V. supra p. 387 i. f.

3) Ep. VII, 233 de Aelio milite forti et VII, 378 in coniuges una mortuos Heliodorum et Diogeniam nullius ad nostram rem sunt momenti. Erravit Kaibelius (ind. scholl. Gryph. 1885. p. IV) Philodemi aequalem Apollonidem fuisse ratus. Smyrnaei enim cognomen nusquam additum est: in lemmate epigrammatis A. Plan. 235 teste Iacobsio legitur Ἀπολλωνίου τ. Cμυρν. Porro Apollonidem Smyrnaeum Stoicum (in Philod. ind. Stoic. Hercul. col. 52), quem esse vult hunc poetam vir doctissimus, contra temporum rationem a Comparettio habitum esse pro Catonis Uticensis amico adseverat Zeller III^3, 1. p. 48.

4) Euenus in Coronam receptus, quis sit inter Anthologiae poetas homonymos, nequit diiudicari. Huius tamen esse putarim ep. IX, 62, quia alphabeticum Philippi ordinem agnoscere mihi videor: ep. 58 Antipatri, 59 eiusdem, 60 Diodori, 61 anonymi, 62 Eueni.

5) De quo v. Wilamowitz Antig. Caryst. p. 169 et in appendice p. 339.

6) Occurrit T. Claudius Bianor in lapide apud Mommsen. I. R. N. 7118.

7) V. supra p. 394. Falso interpretantur huius ep. XI, 43:

Δός μοι τοὐκ γαίης πεπονημένον ἁδὺ κύπελλον,
ᾇς γενόμην καὶ ὑφ' ᾧ κείσομ' ἀποφθίμενος.

Non „testaceum sibi dari postulat poeta poculum, qualia in Attica praesertim et in Samo fingebantur" (Iacobs t. VIII. p. 201. Duebner ad l.), sed Lydus poeta vinum postulat patria e terra πεπονημένον, Lydium, Tmolitam dulcedine insignem (Plin. H. N. XIV. §. 74): ἁδὺ κύπελλον est κ. οἴνου ἁδέος.

8) P. 394 sq.

nam composuisse videtur. Iam si quaerimus, quis fuerit Camillus, ad quem misit Coronam auctor, apte arcessemus C. Arruntium Camillum Scribonianum cos. p. C. 32, qui postea Claudio insidiabatur. Hic fuerit βαcιλεύc, cuius pro valetudine se dis sacra facturum esse spondet Philippus VI, 240. Una denique vidimus cum Antipatro Romae eum commoratum esse, nec casui haud dubie debetur, quod populari primus in Corona datus est locus[1]).

Crinagorae Mytilenaei epigrammatum peculiarem nuper composuit editionem Rubensohnius prolegomenis instructam, quorum in capite primo de vita poetae disputatum est. Quae supplevit vel mutavit Cichorius[2]) ex titulis Mytilenis ab ipso inventis et editis. Nobis, qui quamquam in universum cum eo consentimus, de singulis tamen carminibus aliter iudicamus, forte fortuna accidit, ut disputationem de novis Cichorii titulis Asiaticis scriberet Mommsenus[3]): ibi quae disseruit vir summus, ut iam in Potamone et Theodoro rhetoribus[4]) ita in tractando Crinagora egregie nobis subvenerunt. Haesi equidem, ut supra iam dixi, olim in eo, quod ex eis, quae de utriusque aetate adhuc constare viderentur[5]), Parthenius senex septuaginta fere annorum carmen in Crinagorae honorem condidisse putandus erat. Quae offensio sublata est, postquam Mommsenus demonstravit Crinagoram sedecim iam annos ante, quam adhuc putaretur, a. C. 45 primum Romam venisse. Etiam ad ipsa poetae carmina explicanda, quippe quae omnia fere certae debeantur occasioni, haud exigui esse momenti hanc certiorem temporis notam apparet. Aliter enim nunc nonnulla sunt intellegenda, initiumque corrigendi ipse fecit Mommsenus, de epigrammate 32 R. = A. P. IX, 284[6]) refutata Cichorii sententia. Iam proferantur et quae antea iam nobis inventa firmata nunc sunt et quae vestigia prementes Mommseni videmur detexisse.

Ep. 46 R. = A. P. X, 24 recte relatum est a viris doctis ad poetae iter Italicum, minime vero liquet, utrum prius fuerit an alterum[7]). Potest igitur scriptum esse aut a. 45 aut 25[8]).

Ep. 43 R. = A. P. IX, 559, crux interpretum, sic incipit:

Πλοῦc μοι ἐπ' Ἰταλίην ἐντύνεται· ἐc γὰρ ἑταίρουc
στέλλομαι ὧν ἤδη δηρὸν ἄπειμι χρόνον.

---

1) Nihil igitur hinc de temporibus poetarum colligendum est cum Rubensohnio in ed. Crinag. p. 3.

2) Rom und Mytilene p. 47 sqq. Respondit nonnulla Rubensohnius in editionis appendice p. 117 sqq.

3) Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1889. p. 973 sqq.

4) V. supra p. 396 sq.

5) Natum scil. esse Parthenium fere a. C. 90, Crinagoram autem Romae manere coepisse a. C. 25, cf. supra p. 397.

6) In coloniam a. C. 44 a Caesare Corinthum deductam.

7) Ad prius referunt viri docti, nulla coacti causa.

8) De hac altera legatione (cf. Cichorius l. l. p. 43 et 62) nunc inter omnes constat.

Haec verba qui legit non occupato iam animo, aliter intellegere nequit nisi poetam in Italiam navigaturum gaudere visurum amicos, a quibus diu iam absit, quos scilicet aliquando ibi reliquerat, iterum igitur illuc esse profecturum. Miror, quod Rubensohnius[1]) nunquam sibi persuasum iri adseverat renavigaturum in Italiam hoc carmen panxisse poetam et ἑταίρους interpretatur Mytilenaeos esse, qui olim iam ante Crinagorae legationem e patria Romam emigraverint[2]), atque magis etiam miror, quod cognitis per Cichorium duobus poetae itineribus Romanis perversam suam retinuit sententiam[3]) „supersedens Cichorium refutare", qui etsi nunc corrigendus, via tamen ac ratione processit[4]): cum enim ad alteram legationem anni 25 praecedente priore anni 29 minus apte referri epigramma recte senserit, necessitate coactus suo iure de tertia etiam posteriore Crinagorae in Italiam navigatione coniecturam fecit. Nobis nunc res plana est: conditum est carmen paullo tempore ante alteram legationem a. C. 25. Verba optime intelleguntur, cum post prius iter anno 45 susceptum viginti iam quattuor anni praeteriverint[5]).

Ep. 24 R. = A. P. VII, 741:

Ὀθρυάδην, Σπάρτης τὸ μέγα κλέος, ἢ Κυνέγειρον
ναυμάχον ἢ πάντων ἔργα κάλει πολέμων·
Ἄρεος αἰχμητὴς Ἰταλὸς παρὰ χεύμασι Ῥήνου
κλινθεὶς ἐκ πολλῶν ἡμιθανὴς βελέων
αἰετὸν ἁρπασθέντα φίλου στρατοῦ ὡς ἴδ' ὑπ' ἐχθροῖς,
αὖτις ἀρηϊφάτων ἄνθορεν ἐκ νεκύων·
κτείνας δ' ὃς σφ' ἐκόμιζεν, ἑοῖς ἀνεσώσατο ταγοῖς,
μοῦνος ἀήττητον δεξάμενος θάνατον

Mommsenus olim ad cladem Varianam (p. C. 10) rettulit atque hanc intellegere, si Rubensohnium[6]) audimus, „nos ut nihil cogit, ita nihil prohibet magnopere"; sed obloquendum viri summi sententiae esset, etiamsi nondum ipse demonstrasset non post annum a. C. 75 natum

1) L. l. p. 9.

2) Quem ad finem Rubensohnius (p. 9. n. 1) conferri iubeat Alphei ep. IX, 90 et Antipatri Thessalonicensis ep. X, 25, non intellegitur. Ut inlustrentur „vestigia Crinagorae migrationis Italicae relicta"? Nihil omnino ad rem facit utrumque carmen: Alpheus e Syria Romam, Antipater Thessalonica (vel Roma) in Asiam proficiscitur. Itaque his testimoniis huc allatis nihil aliud confirmatur nisi tunc praeter Crinagoram etiam alios poetas itinera fecisse.

3) In Addendis p. 123.

4) L. l. p. 58.

5) Inter ἑταίρους, quos tunc Romae necessitudine sibi iunxerat Crinagoras, fuisse putandus est Parthenius.

6) P. 22. Qui tamen paullo dissentit a Mommseno ita quidem, ut totam rem fictam vel exaggeratam putet. Sed finxisse sibi haec Crinagoram propter ipsius epigrammatum genus et indolem non credendum est, exaggerata autem res non est ficta.

esse Crinagoram[1]), senem igitur sic plus octoginta annorum hoc scripsisse. Primum enim credere non possum gravissimum illum populo Romano diem atrum carmine commemoratum esse a poeta vivente in ipso paene domo Caesaris[2]), cui quanto fuerit haec clades non dolori modo, verum etiam timori, satis notum est. Deinde verba παρὰ χεύμαcι Ῥήνου κλινθείc nimia profecto sunt etiam poetae in geographicis licentia, quam ne imputemus Crinagorae vetat tradita scriptura. Legitur enim in codice παρὰ χεύμαcι νείλου atque „corrector" adnotavit γράφεται ῥήνου. Malam coniecturam receperunt Planudes et editores, retinendum potius est π. χ. νείλου et intellegenda certa quaedam in Aegyptum expeditio, minus sane nota quam clades Variana: unde explicatur lectio ῥήνου, cum hoc quidem tali ratione ex νείλου, tamen nullo modo hoc ex illo mutari potuerit. Iam victae ac maxima ex parte trucidatae sunt Romanorum tres cohortes ab Aethiopibus in Aegypto apud Syenen oppidum[3]), ad ipsum Nilum fluvium situm[4]). Sed mox Petronius, qui praefectus tunc erat Aegypto, eos devicit et mille captivos misit Octaviano νεωcτὶ ἐκ Καντάβρων ἥκοντι i. e. a. C. 24, anno igitur post quam Crinagoras ex Hispania cum aliis legatis Romam redierat ibique degit Caesaris adventum expectans. Allato tunc una cum captivis nuntio de praeclara illius militis virtute poeta Lesbius gratiam ambiens principis et Romanorum carmine celebravit occisum. Minime vero tunc Augustus offendi potuit verbis μοῦνοc ἀήττητον δεξάμενοc θάνατον tribus tantum cohortibus ab hostium multitudine oppressis, toto bello iam profligato. Conditum igitur est epigramma anno proximo post illud, quo celebravit poeta a. C. 25 Marcellum ex Hispania redeuntem[5]).

Ep. 31 R. = A. P. IX, 283:

Οὔρεα Πυρηναῖα καὶ αἱ βαθυάγκεες Ἄλπειc,
αἳ Ῥήνου προχοὰc ἐγγὺc ἀποβλέπετε,
μάρτυρεc ἀκτίνων, Γερμανικὸc ἃc ἀνέτειλεν
ἀcτράπτων Κέλτοιc πουλὺν ἐνυάλιον.
Οἱ δ' ἄρα δουπήθηcαν ἀολλέεc· εἶπε δ' Ἐνυὼ
Ἄρεϊ· τοιαύταιc χερcὶν ὀφειλόμεθα

minime cum Rubensohnio[6]) referendum est ad Germanici iunioris expeditionem p. C. 15/16, in quam omnino ne nomina quidem geo-

1) Non enim ante trigesimum aetatis annum legatione illa functus esse putandus est.

2) In Octaviae domo (Rubensohn l. l. p. 13 et 15).

3) Narrantur res a Strabone XVII. p. 820 sqq.; cf. Mommsen R. G. D. A. p. 108.

4) Strabo l. l. p. 817.

5) Iam etiam verba παρὰ χεύμαcι Νείλου propriam nostra interpretatione accipiunt vim. Sunt enim χεύματα Nili cataractae apud ipsam Syenen celeberrimae et frequentatissimae, cf. Friedlaender l. l. II[5]. p. 151.

6) P. 18.

graphica quadrant, sed ad Drusum Germanicum, qui annis a. C. 14—12 in Alpibus cum Celtis Germanisque feliciter pugnavit, celebratum etiam ab Horatio[1]). Eandem hanc sententiam olim amplexus est Rubensohnius adductus causis, quae nostrae quoque et fuere et sunt, auctae nunc habita temporum Crinagorae ratione, l. l. enumeratis: argumentum illud, quo per Mommsenum suppeditato nunc aliter sentit vir doctus monens „carmen nostrum nullo modo posse defunctum spectare, sed vivum celebrare, Germanici vero cognomen post demum e vita decessum accepisse Drusum", quamvis speciose sit excogitatum, minime tamen firmum mihi quidem videtur. Certe carmen in vivum conditum est Drusum, quo mortuo, ut Suetonius[2]) et Dio[3]) narrant, senatus inter alios honores sollemniter Germanici cognomen ipsi posterisque eius decrevit. Quid vero poetae Graeculo in aula versanti cum decretis senatus? Redeuntem tres post annos victorem e Germania, ovandi ius et triumphalia percipientem ornamenta[4]), delicias ipsius Augusti, Germanicum salutare adulantem poetam quis mirabitur? nec solus haud dubie erat Crinagoras, sed alii multi non expectantes sollemnia senatus de hac re consulta cognomen hoc paratum habebant dilectissimo principis privigno. Porro nomina geographica sane mira essent, si spectaret carmen expeditionem Germanici a. p. C. 15/16 factam, qui tunc triumphavit *„de Cheruscis Chattisque et Angrivariis quaeque aliae nationes usque ad Albim fluvium colunt"*[5]), miranda vero soli Rubensohnio[6]) in Drusi bellis: Alpium enim populis subactis a. C. 14 postea καὶ τοὺς Κελτοὺς τηρήσας τὸν Ῥῆνον διαβαίνοντας ἀνέκοψε[7]). Rediit Romam Drusus hieme anni a. C. 12, tunc igitur epigramma in ovantem factum sit necesse est: vere enim ineunte iterum in Germaniam profectus est non iam inde vivus rediturus.

Ep. 49 = Anth. Plan. 61 recte in anno a. C. 3 ponit Rubensohnius. Tiberium, qui pacata post Drusi mortem Germania triumphans urbem ingressus est, hoc carmine salutans poeta in memoriam simul revocat haud illepide primas eius bellicas laudes, subactam a. C. 20 Armeniam: oppositis sic oriente et occidente aptissimum carminis acumen nactus est.

In ep. 33 = IX, 291.

Οὐδ' ἢν Ὠκεανὸς πᾶσαν πλήμυραν ἐγείρῃ,
οὐδ' ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντα πίῃ,

1) C. IV, 4.
2) Claud. 1.
3) LV, 2.
4) Suet. l. l.
5) Tac. Annal. II, 41.
6) P. 19.
7) Dio LIV, 32. Pyrenaei montis mentio cur facta sit, recte dixit Rubensohnius in nota ad v.

Ῥώμης δ' οὐδ' ὅσσον βλάψει σθένος, ἄχρι κε μίμνῃ
δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέη.
Οὕτως καὶ ἱεραὶ Ζηνὸς δρύες ἔμπεδα ῥίζαις
ἑστᾶσιν, φύλλων δ' αὖα χέουσ' ἄνεμοι

explicando frustra laborasse viros doctos quaerentes e cladibus et calamitatibus Romanorum cui tandem originem hoc debeat carmen iam ex ipsorum dissensione videtur apparere. Cogitaverat enim quondam Mommsenus de pugna Variana, contra naufragium classis Germanici attulit Rubensohnius, factum p. C. 16. Ego quidem nihil aliud me videre fateor hoc carmine expressum nisi quam ubique invenis apud poetas aevi Augustei[1]) summam invictae Romae fiduciam, quoad secundis regnetur Divi Augusti auspiciis. Ansam epigrammatis condendi dedisse potest quaelibet occasio festiva, quam quaerere supersedemus. Fuerunt autem in omnium ore Drusi Tiberiique expeditionibus Germania Oceanusque, ut haec potissimum arriperet poeta; unde eisdem fere temporibus atque epigrammata modo tractata hoc quoque esse adsignandum colligas[2]).

Praeter eos, quos nominat Philippus, alii inveniuntur in Anthologia poetae Graeci, quos his temporibus Romae esse commoratos carmina vel docent vel veri reddunt simile. **Boethum** τὸν ἐλεγειογράφον, cuius extat epigramma IX, 248 in Pyladem, qui Bacchum

1) Perlustres cum alios tum Horatium, apud quem simillimum quoddam occurrit: (C. IV, 5, 25):

Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
quis Germania quos horrida parturit
foetus incolumi Caesare?

2) Sic incipit poeta: „Non toto suscitatus Oceanus fluctu, non omnis ferox Germaniae imminens pubes (recte explicatur v. 2 a viris doctis). Romam possunt terrere, dum etc.": iam quae secuntur verba ἄχρι κε μίμνῃ δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέη sic interpretatur Rubensohnius: „quoad Caesari perstabit (Roma) confidere, scil. illum dextera imperare", ut sensus sit: „Id autem nihil nociturum esse Romanis, quamdiu fideles esse perseverarent Caesari (Tiberio)". Cui explicationi nonnulla obvertenda sunt. Primum Caesar est Augustus, non Tiberius, deinde ausum esse poetam Graeculum domus Caesarianae sic adhortari quodammodo Romanos, ut „fideles esse perseverarent" Augusto i. e. ne quando novas res molirentur, equidem credere non possum; tum θαρσαλέος τινί neque est „fidelis alicui" neque omnino θαρσαλέος cum dativo coniunctum alibi usquam invenitur (ut participium θαρσήσας), sed semper absolute ita usurpatur, ut sit „spe fiduciaque plenus" vel „audax, fortis". Accedit denique, quod hoc loco Crinagoras haud dubie usus est verbis Arati de Iove canentis (v. 7): ὁ δ' ἤπιος ἀνθρώποισι Δεξιὰ σημαίνει, neque, opinor, sine consilio. Nam legentibus haec (maxime lectitatus tunc erat a Romanis Aratus) ilico subintellegenda erat detecta verbis eoque magis lepida Augusti cum Iove comparatio: ut hic, ita ille ἀνθρώποισι δεξιὰ σημαίνει. Iam hinc solummodo apparet non ferendum esse dativum Καίσαρι, siquidem δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θ. obscurius et quod facile possit falso intellegi, dictum esse videtur. Liberatur ab omnibus his mendis poeta, si accusativum restituis Καίσαρα.

saltaverat, esse Tarsensem, de quo „malo poeta et civi" ampliorem exhibet Strabo[1]) narratiunculam, recte coniecisse mihi videtur Schneider[2]). Strabo singulari rerum notitia, unde paullo ante accidisse haec facile suspiceris, narrat Athenodorum, Sandonis filium et ipsum Tarsensem et Augusti praeceptorem[3]), senem ipsius rogatu domum dimissum ibi invenisse rempublicam pessime administratam cum ab aliis tum a Boetho quem auxerit quondam Antonii gratia carmine epico de victoria Philippensi parta. Iam revoces in memoriam Tarsi a. C. 41 commorantem Antonium expectasse Cleopatram, Ἀφροδίτην κωμάζουσαν παρὰ τὸν Διόνυσον[4]): tunc Boethum Antonio carmen istud tradidisse mecum existimabis atque epigramma referes ad Pyladem, artis conditorem, non ad posteriorem quemquam huius nominis pantomimum. Romae vero utrum hunc viderit poeta an alibi, non liquet: tamen illud credere malim.

Thalli Milesii ep. VI, 235:

Ἑσπερίοις μέγα χάρμα καὶ ἠῴοις περάτεσσι,
Καῖσαρ, ἀνικάτων ἔκγονε Ῥωμυλιδῶν,
αἰθερίην γένεσιν σέο μέλπομεν, ἀμφὶ δὲ βωμοῖς
γηθοσύνους λοιβὰς σπένδομεν ἀθανάτοις.
Ἀλλὰ σὺ παππῴοις ἐπὶ βήμασιν ἴχνος ἐρείδων
εὐχομένοις ἡμῖν πουλὺ μένοις ἐπ' ἔτος[5])

utrum ad Tiberium an ad Germanicum referant, ambigunt viri docti[6]). Aptior tamen haud dubie relatio est, si ad Germanicum eiusque avum Augustum quam si ad Tiberium et Divum Iulium pertinet, praesertim cum Antoniae matris Germanici libertus fuisse videatur Thallus, quod probabiliter Iacobsius coniecit ex Antonii Thalli nomine epigrammati VII, 188 superscripto. Conditum est carmen certe non ante annum p. C. 4, quo adoptavit Augustus Tiberium iussum ante Germanicum adoptare.

Ep. VII, 373 mortem deplorat poeta duorum iuvenum popularium, qui in Italiam profecti coronas sperantes mortem invenerint:

Δισσὰ φάη, Μίλητε, τεῆς βλαστήματα γαίης,
Ἰταλὶς ὠκυμόρους ἀμφεκάλυψε κόνις·
πένθεα δὲ στεφάνων ἠλλάξαο· λείψανα δ' αἰαῖ
ἔδρακες ἐν βαιῇ κάλπιδι κευθόμενα.
Φεῦ, πάτρα τριτάλαινα, πόθεν πάλιν ἢ πότε τοίους
ἀστέρας αὐχήσεις Ἑλλάδι λαμπομένους;

1) XIV. p. 674.
2) V. Iacobs A. G. XIII. p. 868.
3) Notus est philosophus Stoicus, de quo v. Zeller III³, 1. p. 586 et Mueller F. H. G. III. p. 485.
4) Plut. Ant. 26, cf. Drumann I. p. 391.
5) Ultima verba sunt Callimachea, fr. 121 ἵνα μοι πουλὺ μενοῦσιν ἔτος.
6) Iacobs A. G. XIII. p. 956 et IX. p. 28.

Versus ultimi docent insignes aliqua arte eos fuisse[1]), et coronarum mentio facta v. 3 indicare videtur venisse adulescentulos ad agonem aliquem. Extabant autem usque ad Neronem in Italia ludi, quibus coronabantur victores, sola Augustalia Neapoli celebrata quinto quoque anno, condita in Augusti honorem a. p. C. 2[2]). Tempora igitur, quibus fere scripta esse videntur haec duo epigrammata, inter se conveniunt.

Pompeium Iuniorem, cuius leguntur duo epigrammata VII, 219 (in Laida mortuam) et IX, 28 (in Mycenarum ruinas), esse nepotem Theophanis notissimi Magni Pompei familiaris suspicati sunt Viscontius[3]) et Meinekeus[4]): quam coniecturam aliunde probari et firmari posse spero. Atque testimonia primum de Theophanis Pompei progenie inspicienda sunt conlata iam ex parte quidem a Muellero[5]) et a Meinekeo: Strabo XIII. p. 618: υἱόν[6]) τ' ἀπέλιπε (Θεοφάνης) Μάρκον Πομπήιον, ὅν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς καὶ ** [7]) νῦν ἐν τοῖς πρώτοις ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων. Hunc Theophanis filium esse ipsum Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat Augustus[8]), recte coniecerunt viri docti collato Tacito[9]), qui inter res anno p. C. 33 gestas haec narrat: *„etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur ... pater quoque inlustris eques Romanus ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere; datum erat crimini, quod Theophanem Mytilenaeum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat"*.

Paullo ante factum esse putabimus, quod narrat Suetonius[10]): *„nec multo post (Tiberius) in senatu Pompeio cuidam, equiti Romano, quiddam pernegranti, dum vincula minatur affirmavit fore, „ut ex Pompeio Pompeianus fieret", acerba cavillatione simul hominis nomen incessens veterumque partium fortunam"*. Est hic pater Macrinae, atque nunc demum recte intellegitur acerbitas cavillationis, qua Graecae originis commonefactus est eques Romanus. Quando praetor fuerit huius filius, frater Macrinae, comperimus e Tacito[11]): *„mox"* (anno p. C. 15) *„Tiberius consultante Pompeio Macro praetore, an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit"*. Hunc

1) Quod iam observasse videtur scholiasta adnotans in lemmate: οἶμαι δ' ὅτι σοφούς.
2) Friedlaender l. l. III[5]. p. 378.
3) Iac. A. G. XIII. p. 941.
4) Vind. Strabon. p. 213.
5) F. H. G. III. p. 314.
6) υἱωνόν scribi vult Viscontius probante Meinekeo, non recte, ut ilico apparebit.
7) Lacunam indicavi propter rationem grammaticam.
8) Suet. Caes. 56.
9) Annal. VI, 18.
10) Ti. 57.
11) L. l. I, 72.

igitur filium existimabimus fuisse familiarem Tiberii: quapropter Strabonis verbis non simplex ὃϲ, ut grammaticae satisfiat, inserendum est, sed lacuna sic explenda: καὶ ⟨ὁ τούτου υἱὸϲ⟩ νῦν ἐν τοῖϲ πρώτοιϲ κ. τ. λ. Ad hunc Pompeium Macrum Iuniorem haud dubie referendus est titulus Mytilenaeus nuper a Cichorio editus [1]), sed nondum accuratius explicatus:

> Μ. Π]ομπήιον Μακρεῖ-
> νο]ν Νέον Θεοφάνην
> κουαττόρουιρον τα-
> μίαν καὶ ἀντιϲτρατη-
> γὸν Πόντου καὶ Βειθυ-
> νίαϲ δήμαρχον ϲτρα-
> τ]ηγὸν δήμου Ῥωμαί-
> ω]ν ἐπιμελητὴν ὁδοῦ
> Λατί]νηϲ πρεϲβε[υτήν

Primi p. C. saeculi esse hanc inscriptionem aliis de causis iam statuit vir doctissimus; ponenda accuratius est inter annum p. C. 15, quo praetor erat Pompeius (vocatur enim v. 4 ἀντιϲτρατηγόϲ) et annum p. C. 33, quo periit familia. Forma „Macrinus" pro „Macer" adhibita est ut Crispinus (cos. p. C. 44) legitur in lapide apud Gruterum p. 1041. 10 pro Crispo, quod exhibet Dio LX, 23 [2]).

Iam in lemmate epigrammatis A. P. IX, 28 legimus: εἰϲ Μυκήναϲ τὴν Ἀγαμέμνονοϲ πόλιν ἔπαινοϲ Πομπηίου, οἳ δὲ Μάρκου νεωτέρου. Inaudita esset Μάρκου νεωτέρου nominis significatio, etiamsi non hoc solo loco extaret: apparet temere hoc esse mutatum a scholiasta ex Πομπηίου Μάκρου νεωτέρου [3]). Hoc esse verum etiam aliunde probari potest. Epigramma enim Pompei hoc est (IX, 28):

> Εἰ καὶ ἐρημαίη κέχυμαι κόνιϲ ἔνθα Μυκήνη,
> εἰ καὶ ἀμαυροτέρη παντὸϲ ἰδεῖν ϲκοπέλου,
> Ἴλου τιϲ καθορῶν κλεινὴν πόλιν, ἧϲ ἐπάτηϲα
> τείχεα καὶ Πριάμου πάντ' ἐκένωϲα δόμον,
> γνώϲεται ἔνθεν, ὅϲον πάροϲ ἔϲθενον· εἰ δέ με γῆραϲ
> ὕβριϲεν, ἀρκοῦμαι μάρτυρι Μαιονίδῃ.

In eandem rem conditum legitur epigramma **Alphei Mytilenaei** IX, 101 [4]):

---

1) Sitzungsber. d. Berlin. Akad. 1889. p. 374. Promisit ibi vir doctissimus se fusius alio loco de Theophanis progenie esse disputaturum.

2) Plura invenis exempla in Fastis Romanis (Clinton I) sub annis p. C. 37 (Niger-Nigrinus) 49 (Longus-Longinus) 54 (Marcellus-Marcellinus).

3) Μάκρου esse scribendum pro Μάρκου iam vidit Meinekens l. l.

4) Antipatro Thessalonicensi tribuisse videtur Planudes propter antecedentis Alphei in Delum insulam epigrammatis versum quartum:

Ἡρώων ὀλίγαι μὲν ἐν ὄμμασιν, αἱ δ' ἔτι λοιπαὶ
πατρίδες οὐ πολλῷ γ' αἰπύτεραι πεδίων·
οἵην καὶ σέ, τάλαινα, παρερχόμενός γε Μυκήνην
ἔγνωκα σκοπέλου[1]) παντὸς ἐρημοτέρην,
αἰπολικὸν μήνυμα· γέρων δέ τις· „ἡ πολύχρυσος"
εἶπεν „Κυκλώπων τῇδ' ἐπέκειτο πόλις".

Poetam hunc vixisse temporibus, quibus Roma domina iam erat orbis terrarum, docet aliud eius ep. IX, 526[2]):

Κλεῖε, θεός, μεγάλοιο πύλας ἀκμῆτας Ὀλύμπου·
φρούρει, Ζεῦ, ζαθέαν αἰθέρος ἀκρόπολιν.
Ἤδη γὰρ καὶ πόντος ὑπέζευκται δορὶ Ῥώμης,
καὶ χθών· οὐρανίη δ' οἶμος ἔτ' ἔστ' ἄβατος[3]).

Iam idem condidit carmen in Macrinum IX, 110:

Οὐ στέργω βαθυληΐους ἀρούρας,
οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης.
Αὐτάρκους ἔραμαι βίου, Μακρῖνε·
τὸ Μηθὲν γὰρ ἄγαν ἄγαν με τέρπει.

Alpheus est Mytilenaeus, Mytilenaeorum heros Theophanes; cuius apud filium vel nepotem, nobilissimos populares Romae versatum esse poetam hoc carmen satis, opinor, ostendit. Una cum Pompeio itinera fecisse videtur Alpheus, quibus Mycenas quoque adierunt, cui sententiae subvenit epigramma IX, 90, quod felicem implorans deos navigationem profecturis e Syria εἰς Ἄρεος πόλιν i. e. Romam aptissime ad ipsius poetae cum rege suo iter referemus.

Dubitari non iam posse puto Pompeium Iuniorem epigrammatum poetam[4]) esse Pompeium Macrum Iuniorem, Theo-

---

οὐδὲ λόγῳ ἕψομαι Ἀντιπάτρου, quae verba spectare epigramma Antipatri IX, 408 exploratum est (Iac. t. VIII. p. 350). Hic Antipater esse non potest Sidonius (ut taceam de diverso totius carminis colore) duabus de causis admodum certis. Primum enim quae querentem facit poeta de sorte sua ipsam Delum, solummodo quadrant in tempora demum post annum a. C. 69, inde a quo devastata et deserta iacebat sacra insula (cf. Schoeffer de Deli ins. rebus p. 218—220). Tunc vero sibi permittit poeta hiatum trochaicum (v. 1 πλάζεσθαι ἀήταις), alienum a Sidonii Antipatri arte metrica (cf. Kaibel Philodemi epigr. p. 6). Esse igitur potest Antipater Thessalonicensis: unde non ante hunc vixisse Alpheum appareret: quod bene suffragatur nostrae de Alpheo disputationi. Nam Pompei Macri Iunioris amicus praetoris p. C. 15 revera paullo fuit posterior Antipatro.

1) Sic correxit e Pompei carmine Iacobsius traditum ἔγνων αἰπολίου παντὸς κτλ., quod insequente αἰπολικόν ferri nequit.

2) Cf. etiam supra p. 428. n. 4 i. f.

3) Sententiam carminis vidit Iacobsius depromptam esse ex Alcaei Messenii in Philippum ep. IX, 518.

4) Ἰουνίωρος epigramma apud Kaibelium 810 olim quod subscriptum fuit Veneris statuae, esse Pompei Iunioris coniecit Viscontius, sed iure dubitaverunt Meinekeus l. l. et Kaibelius. Nos nihil inde discimus.

phanis Mytilenaei nepotem: hunc autem putabant viri docti[1]) esse Macrum poetam, Ovidii amicum, auctorem carminum Antehomericorum et Posthomericorum, recte quidem monentes discernendum esse inter Aemilium Macrum, quem commemorat Ovidius in enarranda vita sua[2]), Ornithogoniae auctorem, et hunc, quem adloquitur saepius et in aliis carminibus et in epistulis ex Ponto. Quae tamen sententia ita corrigenda est, ut non nepos fuerit, sed filius Theophanis ille poeta. Mittitur enim ad Macrum epistula e Ponto II, 10, unde comperimus una cum Macro Asiam et Siciliam visisse Ovidium (vv. 21 sq.):

Te duce magnificas Asiae perspeximus urbes,
Trinacris est oculis te duce nota meis.

Μάκρον[3]) Πομπήιον (Theophanis filium) τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον ἐπέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστός dicit Strabo. Haec si recte conferimus (et egregie quidem quadrat temporis notio ποτέ in Ovidii aetatem iuvenilem, qua eum itinera fecisse scimus), multo aptius congruunt cum filio Theophanis tempora, quoniam, qui obiit p. C. 33 filium habens praetura functum p. C. 15, grandis natu est putandus, natus igitur inter annos fere 45 et 40 aequalis fuit poetae Romani.

Vidimus et patrem et filium Pompeium Macrum Musis otium dedisse, quare diiudicari non posse videtur, utri tribuamus versus tragicos, Pompei Macri nomine servatos apud Stobaeum[4]):

Δεῦτ' ὦ τέκν', ὦ στερχθένθ' ὅσον πλεῖστον θέμις,
ὦ πολλὰ τέρψαντ' οὐδὲ λυπήσαντά τι
μητέρα, τί προσλάζυσθε κἀξαρτᾶσθέ μου;
βούλεσθ' ἀθύρειν; παίζετ', ὦ νέαι φρένες·
ὡς ἔστιν ὑμῖν τοῦτ' ἔαρ παντὸς βίου,
ἥβη δὲ λῦπαι φροντίδες θ' ἡβῶς' ὁμοῦ.

Videmus, quam recte Welcker[5]) refutaverit Gaisfordium, qui, ut Graecum supponat auctorem, Μάρκον voluit restituere, porroque suo iure miratum esse virum sagacissimum hos hominis Romani versus. E Medea denique tragoedia eos esse desumptos idem vidit: quis nunc iam non meminit Ovidii Medeae, cuius curam ac laborem communicasse cum amico Macro poetam scimus[6]). Quanta societas studiorum et familiaritas intercesserit Macrum inter et Ovidium, patet cum ex epistula illa[7]) tum inde, quod ex tetrastichon Macri

1) Teuffel R. L.-G. 252, 3.
2) Trist. IV, 10, 44.
3) Sic legere malim cum Meinekeo l. l. pro Μάρκον, quamquam Marci praenomen habuisse potest Pompeius. Sed aptius hic est cognomen, quoniam praenomen non bene intellegitur.
4) Flor. LXXVIII, 7 = Nauck F. T. G.[2] p. 830.
5) Griech. Tragödie p. 1330.
6) Amor. II, 18.
7) P. II, 10.

carmine[1]) librum in malos poetas composuit Ovidius[2]). Macrum vero seniorem et ipsum iam Medeam scripsisse ideo non putarim, quia apud Ovidium ubique audimus tantum de eius carminibus epicis[3]), tragoediam autem, quam ipse erat conditurus eiusdem argumenti, vix silentio pressisset Ovidius. Post huius igitur Medeam ortam esse censeo Macri Medeam; an fortasse ipse hic aut filius clarissimam amici fabulam in Graecum patrium transtulit sermonem?

Praeter hos Anthologiae poetas Romae etiam versabantur, quos aliunde novimus, nonnulli:

Philistio *„mimographus natione Magnes Asianus Romae clarus habetur":* haec adnotat Hieronymus ad annum p. C. 7. Veterum de hoc testimonia collegit Iahnius[4]), unde tamen de vita eius nihil lucramur, nisi quod e Suidae glossa confusa sane et corrupta hoc saltem apparere videtur duos huius nominis inlustres fuisse viros:

Φιλιστίων Προυσαεὺς ἢ ὡς Φίλων (Byblius) Σαρδιανός, κωμικός· [τελευτᾷ δὲ ἐπὶ Σωκράτους] ὃς ἔγραψε κωμῳδίας βιολογικάς· τελευτᾷ δὲ ὑπὸ γέλωτος ἀπείρου· δράματα δὲ αὐτοῦ Μιμοψηφισταί ... οὗτός ἐστιν ὁ γράψας τὸν Φιλόγελων, ἤγουν τὸ βιβλίον τὸ φερόμενον εἰς τὸν Προυσαέα (Κουρέα mss. et edd.). Νικαεὺς δὲ μᾶλλον παρὰ πᾶσιν ᾄδεται, ὡς μαρτυρεῖ τὸ ἐπίγραμμα·

Ὁ τὸν πολυστένακτον ἀνθρώπων βίον
γέλωτι κεράσας Νικαεὺς Φιλιστίων[5]).

Enodare omnia non possum: hoc tamen ultima verba indicare mihi videntur duos fuisse mimographos Prusensem (Sardianum Philonis) et Nicaenum (Magnetem ut videtur Hieronymi)[6]) multo clariorem[7]).

De **Cebete** poeta a Vergilio dilecto leguntur in vita Vergilii[8]) haec: *„libidinis in pueros pronior (V.), quorum maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda bucolicorum ecloga Alexin appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione, utrumque non ineruditum, Cebetem vero et poetam"*. E Servii scholiis[9]) comperimus Cebetem a Maecenate Vergilio esse donatum. Aliunde homo non est notus[10]).

---

1) Quorum carminum exemplum fortasse praebet Macri familiaris Alphei singulare illud epigramma (IX, 110) supra exscriptum.
2) Quintil. VI, 3, 96.
3) Amor. l. l. 1. Pont. l. l. 13. IV, 16, 6.
4) Prolegg. in Pers. p. XC.
5) Legitur etiam A. P. VII, 155 (ἀδέσποτον), ubi adduntur duo versiculi, e quibus apparet ipsum etiam partes egisse Philistionem, ut fecit Publilius. Hoc epigramma vel simile obversatum esse videtur Cassiodoro (Var. IV, 51), cum scriberet: *„quatenus* (Philistio) *mundum curis edacitus aestuantem laetissimis sententiis temperaret"* (*repararet*, adnotavit editor Brosseus).
6) Tales de virorum inlustrium patria discrepantiae non rarae.
7) Cf. supra p. 393. n. 14.
8) Suet. rell. p. 56. 57 R.
9) In eclog. II, 15.
10) De Bathyllo *„poeta quodam mediocri"* quae narrantur a Pe-

De **Phaedro**, cuius adhuc leguntur fabulae, egerunt Schwabeus[1]) et Lucianus Mueller, qui editioni poetae vitam praemisit pressam tantum nec satis accuratam. Utriusque disputatio vel supplenda vel mutanda est[2]).

Quaerentibus de huius poetae vita alium fontem adire non licet nisi ipsius fabulas: harum igitur in versibus recte interpretandis summa versatur rerum. Atque iam de patria valde ambigunt viri docti, diversa ratione interpretantes versus prologi l. III, 15 sqq. (ad Eutychum):

Mutandum tibi propositumst et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixast iugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi
Fecunda novies artium peperit chorum,
Quamvis in ipsa paene natus sim schola
Curamque habendi penitus corde eraserim
Et laude invitante[3]) *in hanc vitam incubuerim,*
Fastidiose tamen in coetum recipior.

Quos neque ita debemus intellegere, ut in ipso monte Pierio natum esse Phaedrum putemus[4]) neque ita, ut omnino hinc quicquam concludi posse negemus[5]). Medium, ut solet, tenet veritas. Certe versibus 17—19 poeta exornavit poetice patriam „Pieriam" i. e. Macedoniam, non Thraciam: Πιερία γὰρ καὶ Ὄλυμπος . . . τὸ παλαιὸν ἦν Θρᾴκια χωρία καὶ ὄρη, νῦν δὲ ἔχουσι Μακεδόνες disertis verbis legitur apud Strabonem[6]). Iam hinc quidem satis constare mihi videtur Macedonem, non Thracem appellandum esse Phaedrum, sed invenitur apud ipsum etiam aliud huius rei testimonium in versibus epilogi l. III, 51.

51 *Rem me professum dicet forsan quis gravem*[7]);
Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,

---

diano (Suet. rell. p. 66 R.), in nullo codice extare, sed esse medii aevi docuit me Marxius; cf. supra p. 393. n. 14.

1) In prolegomenis editionis I. p. 5 sqq.

2) Hartmani de Phaedri fabulis commentationem (Lugd. Bat. 1890) quod ipsam quidem inspicere non licuit, doleo; novi tamen illius recensionem, quam scripsit L. Mueller Berl. philol. Wochenschrift 1890. p. 1300 sqq.

3) *invita in hanc vitam:* codd., *invicta:* vulg. Correxit Hartel Wiener Stud. VII. p. 151.

4) Cf. Schwabeum in Mus. Rhen. XXXIX. p. 476.

5) Woelfflin M. Rh. XXXIX. p. 157. Hartman apud Muellerum l. l. Hartel l. l.

6) X. p. 471.

7) Scil. *„vitam et mores hominum ostendere"* (v. 50).

Cur somno inerti deseram patriae decus[1]),
Threissa cum gens numeret auctores suos
Linoque Apollo sis parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit et domuit feras
Hebrique tenuit impetus dulci mora?
Ergo hinc abesto livor, ne frustra gemas,
Quoniam sollemnis mihi debetur gloria.

Unde diserte Thracem se vocare ipsum Phaedrum statuerunt nonnulli[2]), aperte Romanam patriam Graeciae opponere poetam dixit Hartelius[3]), qui tamen hoc quidem recte sensit verbis „*Threissa gens*" (v. 56) non idem nec voluisse nec potuisse poetam significare atque antecedentibus „*patriae decus*". Immo „*cum*" illud esse debet adversativum „während" et hoc enuntiatum non aliter accipiendum est atque antecedentia: *Si Phryx etc.:* Sed sententiarum concinnitas interrumpitur, cum quae post Phrygem et Scytham nominari debuit Threissa gens (quibus omnibus „*litteratae propior Graeciae*" natu est poeta Macedo) postea demum addita sit. Quapropter iam in eo eram ut transponendos esse versus 54 et 55 post versum 59 censerem; at potest consulto poeta usus esse hac ἀπὸ κοινοῦ figura, qua in medio positum enuntiatum et ad antecedentia et ad insequentia referretur. Utut est, certe ex hoc quoque loco apparet Macedonem fuisse Phaedrum.

Quando natus sit poeta, diserto non constat testimonio. Romam eum venisse Augusto imperante inde sequitur, quod eius libertus vocatur in codicibus. Scriptum esse fabularum librum alterum Tiberii demum aetate ostendit fab. II, 5 recteque coniecisse mihi videtur Schwabeus[4]) Eutychum, ad quem mittit Phaedrus librum tertium praesidium implorans eius et auxilium, esse libertinum illum gratiosum apud Caligulam et omnipotentem[5]). Firmant hanc Schwabei sententiam versus prologi 33 sqq.:

Nunc fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo: Servitus obnoxia
Quia quae volebat, non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego porro illius (Aesopi) *semitam feci viam*

---

1) Intellegi nequeunt omnia posito hic cum Muellero interrogationis signo.

2) L. Mueller in Berl. phil. W. l. l., etiam Schwabe in comment. p. 105.

3) L. l. p. 151. n. 2.

4) Ed. t. II. p. 405. Cf. etiam Buecheler Mus. Rhen. XXXVII. p. 333. Silentio hanc coniecturam praeteriit Mueller de „Eutycho quodam liberto C. Caligulae vel Claudii" locutus.

5) Quocum optime concordant Eutychi „*aures occupatae*" (v. 17), scil. per quas ad principem pervenerunt hominum preces.

Et cogitavi plura quqm reliquerat[1]).
In calamitatem deligens quaedam meam
Quodsi accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis
Nec his dolorem delenirem remediis[2]);

quorum ultimos 40—44 potuisse scribi vivo Seiano nego. Argumentum, quod obvertas quodque eludere conatur Schwabeus[3]), verbum *„foret“* non convenire mortuo contendens, nullum est, modo non historicum, sed ex ipsius sententia poetam loqui teneas: „Wenn es andere Menschen wären, die mich angeklagt und verurteilt haben“. Igitur non amplius dubitamus sub Caligula haec scripsisse poetam. Quot fere annos tunc natus fuerit, cognoscere licet ex epilogi l. III versibus 10sqq:

Nam vita morti propior est cotidie,
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius coepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua,
Cum iam desierit esse beneficium utile
Et mors vicina flagitabit debitum.

Provectior igitur iam aetate[4]) fuit Phaedrus, nondum tamen senex, quare quinquaginta fere ei tribuantur anni. Scripsit haec inter annos p. C. 37 et 40[5]), unde natum eum esse anno fere a. C. 15

1) Crucem ipsi sibi et legentibus imponunt editores, punctum ponentes demum post *„meam“* v. 40. Tunc enim nequeunt explicari verba *„in calamitatem deligens quaedam meam“*. Nam quas extricarunt viri docti interpretationes „zu meinem Unglück manche Stoffe wählend“ (Mueller l. l. p. 1302) vel „nonnulla applicans ad mala, quae passus sum“ (Hartman ibid.), explicationes esse mihi non videntur. Ceterum si quis in postposito *„quodsi“* haereat, frequentes esse apud Phaedrum reputet eiusmodi traiectiones (v. Muelleri indic. IV s. v. traiect.). Certe versus 40 non ad poetam, sed ad *„accusatorem“* pertinet.

2) Has ob calumnias contumeliasque Phaedro *„improbi“* epitheton dedisse mihi videtur Martialis III, 20, 5, neque ibi cum Friedlaendero alium Phaedrum carpi existimandum est. Ceterum qualis fuerit calamitas, qua per Seianum, ut videtur, oppressus postea Eutychum, ut liberet implorat Phaedrus, nos nescimus. Conicias poetam in carcere retentum vel in exilium missum esse: cui opinioni suffragantur versus epilogi III, 10 sqq.

3) Ed. I. p. 13. II. p. 17.

4) *„Languens aevum“* (v. 15) de vita Phaedri „insolentiis improbis pressa“ nimis artificiose interpretatur Schwabe I. p. 17.

5) Epilogum eodem tempore scriptum esse atque prologum patet

concludentes haud ita multum a vero aberrabimus. Non igitur tenellus puer Romam venisse putandus est, quoniam Ennium in schola legit[1]),. Romae autem, ubi iam post Galli patroni mortem a. C. 26 Q. Caecilius Epirota, cum scholam aperuisset, primus Vergilium aliosque novos poetas praelegere coepit[2]), eis, quibus Phaedrus scholam frequentabat, temporibus Ennius certe non tractabatur a discipulis. Itaque ut Valerius Probus *legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam durante adhuc ibi antiquorum memoria necdum omnino abolita sicut Romae*[3]), ita Phaedrus Ennium legit in schola Macedonica.

Quo fere anno Romam venerit, non liquet neque quando obierit, adhuc scimus. Senem se ipsum dicere poetam fab. V, 10 recte observarunt viri docti, itaque esse potest Philetus, quem adloquitur, Claudii libertus aliunde notus[4]). Decessisse autem e vita Phaedrum ante Neronis principatum colligo e fabula V, 7 de Principe tibicine[5]) quae scripta esse non potest imperante iam Nerone, ipso principe tibicine: antea igitur obiit poeta. Iam vides, quam bene inter se congruant, quae computavimus tempora: natus est Phaedrus fere a. C. 15, annis p. C. 37—40 de languente iam loquitur aetate, in libro quinto sub Claudio condito senem se adpellat, senex septuaginta fere annorum ultimis regni Claudiani temporibus defunctus Neronem principem non vidit.

Epimetrum
De Aristodemi Nysaensis „Homero Romano“.

Duos fuisse grammaticos Aristodemos supra vidimus populares affines. Minor, qui simul rhetor erat, Pompei filiorum magister, laudatur (ῥήτωρ τε ἅμα καὶ γραμματικός) schol. A Il. I, 453[6]), ubi

---

1) Epil. III, 33.

2) Suet. gr. 16.

3) Suet. gr. 24. Attulit Probum iam Mueller non satis accurate aequalem vocans Phaedri. Floruit grammaticus teste Hieronymo p. C. 57 (sic cod. Amand., 56 ceteri), fuit igitur posterior.

4) Schwabe ad locum.

5) De quo cf. Buecheler l. l. p. 332.

6) Ad Phoenicis verba narrantis de patre: (I, 450 sqq.)

ἀτιμάζεσκε δ' ἄκοιτιν,
μητέρ' ἐμήν· ἡ δ' αἰὲν ἐμὲ λισσέσκετο γούνων
παλλακίδι προμιγῆναι, ἵν' ἐχθήρειε γέροντα·
τῇ πιθόμην καὶ ἔρεξα·

Scholia A haec habent: Ἀριστόδημος ὁ Νυσαιεὺς ῥήτωρ τε ἅμα καὶ γραμματικὸς φεύγων τὸ ἔγκλημα ἐπενόησε γράφειν „τῇ οὐ πιθόμην οὐδ' ἔρξα“ καὶ οὐ μόνον γε ηὐδοκίμησεν, ἀλλὰ καὶ ἐτιμήθη ὡς εὐσεβῆ τηρήσας τὸν ἥρωα· πρὸ δὲ αὐτοῦ Σωσιφάνης τὴν τοιαύτην εὗρε γραφήν· καὶ Εὐριπίδης δὲ

traditur eius διὰ τὸ ἀπρεπές mutatio critica, qua inclaruit et honoratus est ut Phoenicis herois famae et dignitatis defensor. Hunc igitur Aristodemum minorem eum esse putabimus, quem inventorem Homeri Romani fuisse legitur in vita Homeri excussa e codice M. A. Mureti[1]: . . . Ἀριστόδημος δ' ὁ Νυσαεὺς Ῥωμαῖον αὐτὸν (Ὅμηρον) ἀποδείκνυσιν ἔκ τινων ἐθῶν παρὰ Ῥωμαίοις μόνον γινομένων, τοῦτο μὲν ἐκ τῆς τῶν πεσσῶν παιδιᾶς, τοῦτο δὲ ἐκ τοῦ ἐπανίστασθαι τῶν θάκων τοὺς ἥσσονας τῶν βελτιόνων ἑκόντας, ἃ καὶ νῦν ἔτι φυλάσσεται παρὰ Ῥωμαίοις ἔθη. Cuius sententiae sane memorabilis adhuc extare puto reliquias. Quas ideo non spernendas (ut verbis utar editoris Piccolominii) „quod specimen praebent adminiculorum, quibus homines isti rem incredibilem fulcire conabantur", conlectas proferam:

I. Ad Λ, 750 sqq.

> Καὶ νύ κεν Ἀκτορίωνε Μολίονε παῖδ' ἀλάπαξα,
> εἰ μή σφωε πατὴρ εὐρὺ κρείων ἐνοσίχθων
> ἐκ πολέμου ἐσάωσε καλύψας ἠέρι πολλῇ

varias patronymicorum horum duorum explicationes adnotat Eustathius (p. 882, 14):

Τὸ δὲ Ἀκτορίωνε Μολίονε παῖδε διαφωνεῖται παρὰ τοῖς παλαιοῖς· οἱ μὲν γὰρ ἄμφω τὰς λέξεις πατρωνυμεῖσθαί φασιν, ἵνα λέγῃ Ἀκτορίωνας μὲν ἀναμφιλέκτως τοὺς Ἀκτορίδας, ὅ ἐστιν υἱοὺς Ἄκτορος, Μολίονας δὲ ἢ πατρωνυμικῶς καὶ αὐτὸ οἷα Μόλου ὄντας πατρὸς τοῦ καὶ Ἄκτορος· διὸ καθὰ Ῥωμαϊκῷ ἔθει Ἄκτωρ Μόλος ἀσυνδέτως ὁ πατὴρ κατὰ διωνυμίαν, οὕτω καὶ οἱ αὐτοῦ παῖδες Ἀκτορίωνε Μολίονε ἢ μητρονυμικῶς κ. τ. λ.

Explicavit igitur aliquis ἔθει Ῥωμαϊκῷ, scil. duo haec nomina posita esse a poeta κατὰ διωνυμίαν apud Romanos usitatam: „Ἄκτωρ Μόλος" velut e. g. „Cornelius Scipio".

II. Eustath. ad. Γ, 228 (p. 409, 3):

Τὸν δ' Ἑλένη τανύπεπλος ἀμείβετο, δῖα γυναικῶν] ... καὶ ὅτι τανύπεπλον τὴν Ἑλένην λέγει, οὐ μόνον ὡς τανύουσαν Ῥωμαϊκῶς καὶ ἐπισύρουσαν κάτω τὸν πέπλον, ὅς ἐστιν ἐνταῦθα

ἀναμάρτητον εἰσάγει τὸν ἥρωα ἐν τῷ Φοίνικι· ταῦτα ἱστορεῖ Ἁρποκρατίων ὁ Δίου διδάσκαλος ἐν ὑπομνήμασι τῆς Ι. (Ἰλιάδος Heyneus). Auctorem Harpocrationem esse puto L. Aurelii Veri, unius Divum fratrum, praeceptorem Harpocrationem (de quo v. Maussaei dissertationem praemissam in Harpocrationis lexici editione Dindorfiana p. XVII). Huius autem auctor est Apion, quem haec narrasse (in glossis Homericis?) docet Eustathius ad h. l. (p. 763, 9). Adnotatio ipsa sapit ζήτημα Porphyrianum (cf. editionem Schraderi p. 139 et Eustath. l. l.).

1) Edita nuperrime a Piccolominio in Herma XXV. (1890). p. 451 sqq. Antea adeunda erat vita codicis Matritensis (ς apud Westermannium biogr. gr. p. 31, 8) ex illa pleniore decurtata, ubi leguntur tantum verba: Ἀριστόδ. δ' ὁ Νυσ. Ῥωμαῖον αὐτὸν ἀποδείκνυσιν ἔκ τινων ἠθῶν Ῥωμαϊκῶν, desunt reliqua et exempla.

γυναικεῖον ἱμάτιον, ἀλλὰ καὶ ὡς εὔσαρκον καὶ οὐκ ἰσχνήν, ἀλλὰ τείνουσαν ... καὶ ἐμπιπλῶσαν τὸν πέπλον τῷ εὖ διεστηκέναι αὐτῇ τὴν φυὴν τοῦ σώματος. Ὅτι δὲ κατὰ τὴν ἀνωτέρω ἑρμηνείαν τῆς τανυπέπλου πεπύκνωται καὶ Ῥωμαϊκοῖς ἔθεσιν ἡ Ὁμηρικὴ ποίησις, ἐν Ὀδυσσείᾳ δεδήλωται.

Novit igitur Eustathius vel auctor eius hanc interpretandi rationem, qua referta sint moribus Romanis Homeri carmina, atque obloqui hic quodammodo videtur. Iam commemorasse se dicit rem in Odysseae commentariis: adnotat ad δ, 305 (p. 1497, 31):

τανύπεπλος] τανύπεπλον δέ φασι λέγει τὴν εὐτραφῆ καὶ πλήθουσαν· τετανυσμένου γὰρ οὕτω τοῦ σώματος ἀνάγκη συνεσχηματίσθαι καὶ τὸν πέπλον· ἄλλως μέντοι τὸ τανύπεπλον βαρβαρικὸν εἶναί φησι· καὶ ἴσως, οὐ κωλύει ἐκ τοιούτων ἤκουσαν τὴν Ἑλένην τοῖς ἐκείνων εἰσέτι παραμένειν ἔθεσιν.

Acriter hic disiungenda sunt enuntiata tria: primum usque ad ἄλλως, alterum usque ad φησι — in utroque loquuntur homines ignoti, in tertio inde a verbis καὶ ἴσως habes ipsum Eustathium, res sane male confundentem, cum βαρβαρικόν eum intellegere ut Τρωϊκόν indicent sequentia ἐκ τοιούτων ἤκουσαν. Qui vero hic explicavit verbum τανύπεπλος, ἔθος afferens βαρβαρικόν, certe non Τρωϊκόν intellexit, cum in Iliade iam idem ἐξ ἔθους Ῥωμαϊκοῦ explicatum sit neque illic, ubi Troiae est Helena, Romanorum, hic, ubi Spartae est, Troianorum more indutam habere vestem dici potuerit. Ergo βαρβαρικόν hic est Ῥωμαϊκόν atque eiusdem est utraque adnotatio auctoris.

Idem sic interpretatus est verbum ἑλκεσίπεπλος Ζ, 442 (Eustath.): τὸ δὲ „ἑλκεσίπεπλον“ τῶν γυναικῶν βαρβαρικόν ἐστιν ὡς καὶ ἀλλαχοῦ φανήσεται·

Η, 297: ὅτι ἑλκεσίπεπλοι Τρῳάδες καὶ ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ μακρόπεπλοι, ὃ δὴ καὶ Ῥωμαίοις ἐπεχωρίασεν, ὡς ἐν τοῖς εἰς τὴν Ὀδύσσειαν σεσημείωται.

Χ, 105: τὸ ἑλκεσίπεπλον δὲ γυναικῶν ἐστι καὶ ἐνταῦθα βαρβάρων ἐπίθετον ὧν καὶ χιτῶνες συρτοί ... περὶ ὧν ἐγράφη ἀλλαχοῦ[1]).

III. Non satis perspicuus Eustathius ad Il. Ω, 471 sqq.

γέρων δ' ἰθὺς κίε οἴκου
τῇ ῥ' Ἀχιλεὺς ἵζεσκε διίφιλος· ἐν δέ μιν αὐτὸν
εὗρ', ἕταροι δ' ἀπάνευθε καθείατο.

adnotans (p. 1359, 40): ἔθος δὴ τοῦτο Ῥωμαίοις ἔτι καὶ νῦν[2]) ἀρέσκον· δύο δὲ μόνοι περὶ αὐτὸν ἐπονοῦντο παρόντες ... Verba

1) De re ipsa v. Marquardt Privatleben d. Römer II. p. 574, 1 et Beckeri Gallum III³. p. 186.

2) Verba ἔτι καὶ νῦν ἀρέσκον addidisse potest homo posterior, qui rettulit hanc interpretationem, fortasse auctor scholiorum BT similium (cf. adnotata schol. T ad O, 683 = Eustath. ad O, 680 et infra p. 439.

enim ἔθος δὴ τοῦτο — ἀρέσκον secundum grammaticam rationem referri tantummodo possunt eo, quod solus quidem est Achilles, remoti autem ἑταῖροι. Tunc vero, quo de usu Romano cogitaverit grammaticus, omnino fingi nequit. Sed ipse fortasse spectavit insequentia δύο δὲ μόνοι περὶ αὐτὸν ἐπονοῦντο παρόντες (Automedon et Alcimus uno cum Achille tabernaculo utentes) ita, ut latere possit cohortis praetoriae iuvenumque Romanorum nobilium circa ducem in castris versantium imago.

IV. Eustath. ad Δ, 3. 4 (p. 436, 22):

τοὶ δὲ χρυσέοις δεπάεσσιν
δειδέχατ' ἀλλήλους, Τρώων πόλιν εἰσορόωντες

. . . τὸ δὲ δειδέχατο ἤγουν ἐδεξιοῦντο, ῥῆμα σύνηθες Ἰωνικόν·[1]) τὴν παρὰ τοῖς ὕστερον πρόποσιν δηλοῖ· προπίνουσι γὰρ ἀλλήλοις κατὰ τὸ καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἔθος οἱ ἀλλήλους δεπάεσσι δεξιούμενοι[2]). Secundum Romanorum comissandi leges deos potare audimus. Vocabulum καὶ, quod legitur ante παρὰ Ῥωμαίοις ἔθος certe non scripsit, qui excogitavit hanc sententiam, sed addidit, qui haud ita credulus expressit. Vides non modo inepta, sed etiam aperte falsa contendisse grammaticum, quoniam Romanorum comissandi rationem e Graeca originem duxisse notum est.

Talem in modum Homerum tractatum esse ab Aristodemo Nysaensi scimus, exempla quoque nunc duo novimus horum, quae ex oceano Eustathiano (quo nescio per quos scholiorum rivulos sint delapsa) expiscati sumus simillima: de ludo talario et assurgendi honore atque officio, cuius utriusque ut moris Romani apud Eustathium locis huc spectantibus[3]) mentio non facta est, nisi ad Aristodemum referenda sunt verba, quae leguntur inter explicationes prolatas ad μνηστήρων πεττείαν (Od. α, 107) ab Eustathio p. 1397, 5: τὸ ὄγκωμα Ῥωμαϊστί[4]). Cui opinioni suffragatur, quod habet sua

---

n. 3). Etiam in loco vitae Homeri supra exscripto verba ἃ καὶ νῦν ἔτι φυλάσσεται παρὰ Ῥωμαίοις scriptoris vitae esse videntur.

1) Hic interpungendum esse patet: verbo δηλοῖ subiectum est ὁ ποιητής.

2) Afferendus locus Odysseae ν, 56 sq.:

ἀνὰ δ' ἵστατο δῖος Ὀδυσσεύς,
Ἀρήτῃ δ' ἐν χερσὶ τίθει δέπας ἀμφικύπελλον

ad quem Eustathius: καὶ σημείωσαι, ὅτι πρόποσίς ἐστί τις.

3) Λ, 645. α, 119. π, 42 alibi.

4) Quid sibi velit uncus in alea, nescio. Latere suspicor Latinum „orca" i. e. fritillus (Pers. III, 50), ut corruptum sit γ ex ρ atque ὄρκα vel nescio quae alia vocabuli forma scripta fuerit. Similia leguntur de voce ἅρμα ἑνικῶς usurpata Eustath. Β, 384: . . ὅτι δὲ ἡ τοῦ ἅρματος λέξις καὶ ἐπὶ ὅπλου λέγεται καὶ ὅτι Ῥωμαϊκὸν τοῦτο . . i. e. ἅρμα = arma. Talia sane sapere libros περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου, ὅτι ἐστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς (cf. supra p. 375. n. 1) iure monuit Maassius, sed talia quoque inde suum in usum adhibuisse potest Aristodemus.

episcopus ex Apionis libro περὶ μνηςτήρων πεττείας[1]), quem grammaticum iam novimus auctorem traditae Aristodemi coniecturae I, 453[2]). Atque mentionem fecisse Apionem in libro illo sententiae Aristodemi consentaneum est.

En habes reliquias libri de Homero Romano — vel quomodo eum tibi fingas inscriptum. Incertiora sunt, quae tamen idem sapiunt consilium, adnotata ad O, 679 de desultoribus schol. Townl. (ad v. 683): καὶ νῦν δὲ ἐν Ῥώμῃ ποιοῦςί τινες = Eustath. p. 1037, 59. (ad v. 680): καὶ ὅτι καὶ νῦν ἐν Ῥώμῃ τοῦτο γίνεται[3]), atque Eustath. ad Υ, 232[4]) de camillis Romanis, qui ministrantes sacerdotibus sacra facientibus atque etiam epulantibus fratribus Arvalibus[5]) conferuntur cum Ganymede et Menelai filio (ο, 141), qui ab Homero inducuntur οἰνοχοοῦντες.

Addenda.

Iulium Polyaenum Sardianum Romae fuisse quamquam expressis verbis nemo testatur, concludendum tamen est e Suidae glossa s. v. Πολύαινος Σαρδιανός, σοφιστής, γεγονὼς ἐπὶ τοῦ πρώτου Καίσαρος Γαίου. Λόγους δικανικοὺς καὶ δικῶν ἤτοι συνηγοριῶν ὑποτυπώσεις· Θριάμβου Παρθικοῦ βιβλία τρία· καὶ ἄλλα. Libri enim de Parthico triumpho, qui nullus alius esse potest atque P. Ventidii a. C. 38 actus[6]), ibi eum degisse indicant. Ventidius erat Caesaris ille familiaris, de quo multa scripta esse tradit Suetonius[7]). Fortasse Polyaenum Sardibus cognoverat secumque Romam duxerat, cuius de Parthico triumpho opus illud nescio an carmen fuerit Ventidio dedicatum, velut Archiae de bello Mithridatico poema Lucullo et Boethi de victoria Philippensi An-

1) L. l.: τὸ πεςςικὸν βόλον τὸ τοῦ Ἀπίωνος. Cf. p. 1426, 12 (ad α, 403). Accepit autem haec per Athenaeum I, 16 f sq.

2) V. supra p. 435. n. 6.

3) Cf. de his Marquardt Röm. Staatsverwalt. III. p. 524. n. 5, qui Eustathii verbis καὶ νῦν interrogationis signum adposuit. Certe haec non sunt ipsius Eustathii sed recepta sicut ab hoc ex scholiis BT similibus, ita fortasse iam a scholiasta e veterioribus. Cf. supra p. 437. n. 2.

4) P. 1205. 15, sumpta ex Athenaeo X. p. 425 a: καὶ παρὰ Ῥωμαίοις δὲ οἱ εὐγενέςτατοι τῶν παίδων τὴν λειτουργίαν ταύτην ἐκτελοῦςιν ἐν τοῖς δημοτελέςι τῶν θυςιῶν, πάντα τοὺς Αἰολεῖς μιμούμενοι, ὡς καὶ κατὰ τόνους τῆς φωνῆς.

5) Marquardt Röm. Staatsverwalt. III. p. 229. 452. Acta fratr. Arval. ed. Henzen p. 12—13 = C. I. L. VI, 1. p. 460 sqq.

6) V. Drumann l. l. I. p. 446, 9.

7) Apud Gell. XV, 4.

tonio. Servata enim sunt etiam epigrammata huius Polyaeni quattuor[1]): e quibus postea eum in patriam rediisse videmus.

De Theone Artemidori filio accuratiora invenies apud Susemihlium Gesch. der gr. Litt. in d. Alexandrinerz. II. c. 30.

De Theopompo Cnidio conferenda est, quam sero me cognovisse doleo, G. Hirschfeldii disputatio, Journ. of Hellenistic Studies VII. 1886. p. 286—290; in inscriptionibus ibi allatis legitur plenum nomen Γάιος Ἰούλιος Θεύπομπος.

---

1) Anth. Pal. IX, 1. 7—9, cf. Iacobs A. G. t. XIII. p. 941.

Index[1]).

1) Quos asterisco notavi, non videntur Romae degisse vel Graeci fuisse. Philosophis adposui locum, ubi tractati sunt a Zellero (Z.) Hist. phil. Graec.³ Ibi si quis deest, locum habet adscriptum, ubi invenitur.

2) Deest apud Zellerum locus Aeliani V. H. VII, 21: Οὐκ ἀπηξίου Καῖσαρ ἐπὶ τὰς Ἀρίστωνος θύρας φοιτᾶν, Πομπήιος δὲ ἐπὶ τὰς Κρατίππου· οὐ γὰρ ἐπεὶ μέγα ἐδύναντο, ὑπερεφρόνουν . . . .

1) Fuit Romae Patro, ut apparet e Ciceronis epistula ad fam. XIII, 1, 2.

LAUDATIONUM FUNEBRIUM ROMANORUM

HISTORIA

ET RELIQUIARUM EDITIO.

SCRIPSIT ET RECENSUIT

FRIDERICUS VOLLMER.

Praefatio.

Libros in quibus actum est de Romanorum laudationibus funebribus antiquiores enumeravit Graffius p. 4 sqq., ex quibus nomino unos

Kirchmanni libros IV de funeribus Romanorum (Hamburgi 1605, ego usus sum ed. IV. Francofurti 1672). Lib. II. capita XVIII et XIX sunt de laudationibus.[1])

Non novisse videtur Graffius Ant. Friedr. Meyer, de laudationibus funebribus veterum Lipsiae 1670 neque laudavit Taylorum, qui in lectionibus Lysiacis (Reiskii oratt. graecc. VI. p. 231 sqq.) epitaphios Graecos tractavit, nec Westermanni quaestt. Demosthenicarum II. cap. II. p. 23—48. Copiosissime adhuc de hac re scripsit

Hermannus Graffius, de Romanorum laudationibus commentatio, Dorpati 1862.

cui maximam materiae partem debeo. Num in rebus ordinandis recteque iudicandis aliquanto longius quam ille progressus sim, videbunt penes quos eius rei iudicium erit. — Magis ut delectaret qui legunt quam ut doceret aut accurate rem excuteret scripsit

C. Martha, l'oraison funèbre chez les Romains (Revue de deux mondes 1877. 21. 654 sqq. inde expressa est dissertatio in eiusdem Etudes morales sur l'antiquité Paris 1883. p. 1—59.)

Reddito demum hoc libello ordini philosophorum Bonnensi amicus quidam mihi tradidit programma gymnasii Theresiani Vindobonensis, in quo inest commentarius

'Ueber die laudatio funebris bei den Römern von Prof. Dr. J. Kukutsch.'

Neque vero magnus inde fructus capitur homini philologo, quo in libro p. 27 titulus municipalis his verbis finitur 'Q. Iunius — — [pate]r honore accepto laudationem remisit' (sic! neque errore, nam ex his verbis paullo ante auctoris iudicium corroboratur) et in quo p. 53 sq. laudato loco C. I. L. VI. 10230 laudatio Murdiae cum Feae et Rudorffii supplementis altero loco non indicatis exprimitur (cf. lin. 2 et 30).

---

1) Haud ineleganter licet aevi sui iudiciis occupatus scripsit Aug. Guil. Ernesti de panegyrica eloquentia Romanorum aureae quidem aetatis. Progr. Lips. 1783. 4°.

Post Graffium (vel paullo ante) qui rem tetigerint, cognovi hos:

Lewis, Untersuchungen über die Glaubwürdigkeit der älteren römischen Geschichte (Usus sum versione germanica per Felicem Liebrecht facta, Hannover 1858) I. p. 187 sqq.

Rudorff, Über die Laudation der Murdia in Abh. d. Berl. Akad. 1868. p. 283 sqq.

Peter, Historicorum Romanorum relliquiae p. XXVIII sqq.

Buresch, historia consolationum (Leipz. Stud. vol. IX).

Silva materiae congesta invenitur in

Marquardtii manualis vol. VII, de vita Rom. privata, parte I. (ed. II. p. 357—60).

Ceteros libros suis locis tangam.

I. Polybii descriptio laudationis funebris.

Qui Perseo et sociis Graecis devictis Graeciae victorem domum comitatus Romae alteram patriam invenit, Polybius in historiis inter multa eius populi, quem tum vidit paene universum, ut ei videbatur, terrarum orbem imperio suo tenere, singularia et propria quaeque maxime cives eius ad tantos animos tantamque virtutem quantam omnes peregrini admirabantur, inflammaverunt, mentionem fecit moris cuiusdam, qui alienigenae oculos non potuit non adtrahere, moris sollemniter in funere laudandi defunctos. Maxime Graeci illius animum his spectaculis commotum esse testantur ipsius verba (VI. 52. 11—54):

ἓν δὲ ῥηθὲν ἱκανὸν ἔσται σημεῖον τῆς τοῦ πολιτεύματος σπουδῆς, ἣν ποιεῖ⟨ται⟩ περὶ τὸ τοιούτους ἀποτελεῖν ἄνδρας ὥστε πᾶν ὑπομένειν χάριν τοῦ τυχεῖν ἐν τῇ πατρίδι τῆς ἐπ' ἀρετῇ φήμης. (53) Ὅταν γὰρ μεταλλάξῃ τις παρ' αὐτοῖς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν, συντελουμένης τῆς ἐκφορᾶς κομίζεται μετὰ τοῦ λοιποῦ κόσμου πρὸς τοὺς καλουμένους ἐμβόλους εἰς τὴν ἀγορὰν ποτὲ μὲν ἑστὼς ἐναργής, σπανίως δὲ κατακεκλιμένος. πέριξ δὲ παντὸς τοῦ δήμου στάντος ἀναβὰς ἐπὶ τοὺς ἐμβόλους, ἂν μὲν υἱὸς ἐν ἡλικίᾳ καταλείπηται καὶ τύχῃ παρών, οὗτος, εἰ δὲ μή, τῶν ἄλλων εἴ τις ἀπὸ γένους ὑπάρχει, λέγει περὶ τοῦ τετελευτηκότος τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἐπιτετευγμένας ἐν τῷ ζῆν πράξεις. δι' ὧν συμβαίνει τοὺς πολλοὺς ἀναμιμνησκομένους καὶ λαμβάνοντας ὑπὸ τὴν ὄψιν τὰ γεγονότα, μὴ μόνον τοὺς κεκοινωνηκότας τῶν ἔργων ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐκτός, ἐπὶ τοσοῦτον γίνεσθαι συμπαθεῖς ὥστε μὴ τῶν κηδευόντων ἴδιον ἀλλὰ κοινὸν τοῦ δήμου φαίνεσθαι τὸ σύμπτωμα. μετὰ δὲ ταῦτα θάψαντες καὶ ποιήσαντες τὰ νομιζόμενα τιθέασι τὴν εἰκόνα τοῦ μεταλλάξαντος εἰς τὸν ἐπιφανέστατον τόπον τῆς οἰκίας ξύλινα ναΐδια περιτιθέντες. ἡ δ' εἰκών ἐστι πρόσωπον εἰς ὁμοιότητα διαφερόντως ἐξειργασμένον καὶ κατὰ τὴν πλάσιν καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφήν. ταύτας δὴ τὰς εἰκόνας ἔν τε ταῖς δημοτελέσι θυσίαις ἀνοίγοντες κοσμοῦσι φιλοτίμως ἐπάν τε τῶν οἰκείων μεταλλάξῃ τις ἐπιφανής, ἄγουσιν εἰς τὴν ἐκφορὰν περιτιθέντες ὡς ὁμοιοτάτοις εἶναι δοκοῦσι κατά τε τὸ μέγεθος καὶ τὴν ἄλλην περικοπήν. οὗτοι δὲ προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας, ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ᾖ γεγονώς, περιπορφύρους, ἐάν τε τιμητής, πορφυρᾶς, ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς ἤ τι τοιοῦτον κατειργασμένος, διαχρύσους. αὐτοὶ

μὲν οὖν ἐφ' ἁρμάτων οὗτοι πορεύονται, ῥάβδοι δὲ καὶ πελέκεις καὶ τἄλλα τὰ ταῖς ἀρχαῖς εἰωθότα συμπαρακεῖσθαι προηγεῖται κατὰ τὴν ἀξίαν ἑκάστῳ τῆς γεγενημένης κατὰ τὸν βίον ἐν τῇ πολιτείᾳ προαγωγῆς. ὅταν δ' ἐπὶ τοὺς ἐμβόλους ἔλθωσι, καθέζονται πάντες ἑξῆς ἐπὶ δίφρων ἐλεφαντίνων. οὗ κάλλιον οὐκ εὐμαρὲς ἰδεῖν θέαμα νέῳ φιλοδόξῳ καὶ φιλαγάθῳ. τὸ γὰρ τὰς τῶν ἐπ' ἀρετῇ δεδοξασμένων ἀνδρῶν εἰκόνας ἰδεῖν ὁμοῦ πάσας οἷον εἰ ζώσας καὶ πεπνυμένας τίν' οὐκ ἂν παραστῆσαι; τί δ' ἂν κάλλιον θέαμα τούτου φανείη; (54) πλὴν ὅ γε λέγων ὑπὲρ τοῦ θάπτεσθαι μέλλοντος ἐπὰν διέλθῃ τὸν περὶ τούτου λόγον, ἄρχεται τῶν ἄλλων ἀπὸ τοῦ προγενεστάτου τῶν παρόντων καὶ λέγει τὰς ἐπιτυχίας ἑκάστου καὶ τὰς πράξεις. ἐξ ὧν καινοποιουμένης ἀεὶ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν τῆς ἐπ' ἀρετῇ φήμης ἀθανατίζεται μὲν ἡ τῶν καλόν τι διαπραξαμένων εὔκλεια, γνώριμος δὲ τοῖς πολλοῖς καὶ παραδόσιμος τοῖς ἐπιγινομένοις ἡ τῶν εὐεργετησάντων τὴν πατρίδα γίνεται δόξα.

Qui mos unde originem duxerit, quas leges habuerit, quae in litteris vestigia reliquerit persequi iam conabimur.

II. Origo moris.

De origine laudationum funebrium Romanarum antiquitus disceptabatur. Quamquam veteres quantum scimus quaestionem hanc non totam tractaverunt; in eo solum versati sunt, propriusne hic mos fuerit Romanorum an a Graecis acceptus. Ceterum notandum est, nos eius notitiam debere nonnullis locis, ubi occasione data historici scriptores et rhetorici eum tangunt, nullum de eo exstare librum peculiarem nec de hoc Romanorum dicendi genere rhetores Latinos tam fuse exposuisse quam de Graecis auctorem τέχνης ῥητορικῆς Dionysio adscriptae (c. 6), Menandrum (περὶ ἐπιδεικτικῶν c. 11 Rhet. Gr. Speng. III. p. 418 sqq.) Theonem (progymn. 8 Rhet. Gr. Speng. II. p. 109 sqq.), immo ne nominari quidem scriptorem, a quo subtiliter de hac re quaesitum sit. Certe vix credi potest VARRONEM in antiquitatibus aut in vita populi Romani hunc locum neglexisse, sed laboris eius in hoc positi nemo mentionem facit neque exstat vestigium.[1]) Nisi forte conicis sententiam a

1) Si recte Graffius (p. 41) rettulisset „e Varrone narratur, laudationes funebres pro rostris habitas esse, quod Romulus ibi sit sepultus" haberemus testimonium Varronem etiam ad laudationum archaeologiam animum advertisse, sed e schol. Horatii ad epod. XVI. 13 hoc non efficitur. Ne de verbis quidem scholii constat. Porphyrio secundum Meyerum et Hauthalium nihil habet nisi: „hoc sic dicitur, quasi Romulus sepultus sit non ad caelum raptus aut discerptus; nam Varro post rostra fuisse sepultum Romulum dicit." His verbis in nonnullis codicibus adduntur fere haec: „ubi etiam in huius rei memoriam duos leones fuisse erectos constat („sicut hodieque in sepulcris videmus" add. cod. Parisin. 7975(γ) cf. Kurschat, Progr. Tilsit. 1884) unde factum est, ut pro rostris mortui laudarentur." Hoc scholion optime demonstrat quo-

Dionysio Hal. (A. R. V. 17) prolatam, laudationes funebres esse ἀρχαῖον εὕρεμα Ῥωμαίων, licet affirmet: παρὰ τῆς κοινῆς ἱστορίας οἶδα μαθών, esse Varronis, quippe quem in principalibus Dionysii auctoribus fuisse constet.

Ex ipsis igitur rebus traditis nobis haec de origine laudationum funebrium Romanarum quaestio diiudicanda erit. Atque primum quidem id pensitandum erit, quod veteres iam quaesivisse vidimus, num Romanorum proprius fuerit hic mos.

Omnia quae scimus de Graecorum ἐπιταφίοις et Romanorum laudationibus nos adducunt ut probemus sententiam a Dionysio prolatam: laudationem funebrem Romanos non a Graecis sumpsisse. Mortuum quidem collaudare omnino in hominum natura positum est[1]) nec potest dubitari quin apud Graecos quoque interdum sint laudati viri praecipui[2]); sed λόγος ἐπιτάφιος Atheniensium et laudatio funebris Romanorum, quatenus a duobus illis populis publice culti et formati sunt, adeo inter se distant ut non dixeris alterum ab altero suum morem mutuatum esse[3]) sed utrumque proprium excoluisse. Singulae discrepantiae iam a Dionysio l. l. recte demonstratae sunt.

Difficilior altera est quaestio, quomodo apud Romanos usus mortuum laudandi progressus sit ad eam sollemnitatem, quam scrip-

---

modo per saecula doctae adnotationes auctae et conglutinatae sint; namque apparet illa verba: „unde factum est ... laudarentur" spectare ad „post rostra fuisse sepultum Romulum". Duo igitur exempla exscripsit, qui primus totum scholion depinxit; in altero erat „ubi .... constat", in altero „unde .... laudarentur". Apparet quam incerta ratione Varro dixisse credatur, propterea quod Romulus post rostra sit sepultus, laudari mortuos pro rostris.

1) cf. quae de Aegyptiis narrat Diodor. I. 92. 5 ὅταν δὲ μηδεὶς ὑπακούσῃ κατήγορος ἢ παρελθὼν γνωσθῇ συκοφάντης ὑπάρχειν, οἱ μὲν συγγενεῖς ἀποθέμενοι τὸ πένθος ἐγκωμιάζουσι τὸν τετελευτηκότα καὶ περὶ μὲν τοῦ γένους οὐδὲν λέγουσιν ὥσπερ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὑπολαμβάνοντες ἅπαντας ὁμοίως εὐγενεῖς εἶναι τοὺς κατ' Αἴγυπτον, τὴν δ' ἐκ παιδὸς ἀγωγὴν καὶ παιδείαν διελθόντες πάλιν ἀνδρὸς γεγονότος τὴν εὐσέβειαν καὶ δικαιοσύνην ἔτι δὲ τὴν ἐγκράτειαν καὶ τὰς ἄλλας ἀρετὰς αὐτοῦ διεξέρχονται καὶ παρακαλοῦσι τοὺς κάτω θεοὺς δέξασθαι ξύνοικον τοῖς εὐσεβέσιν· τὸ δὲ πλῆθος ἐπευφημεῖ καὶ συναποσεμνύνει (ἀποσεμνύνει I. class. codd.) τὴν δόξαν τοῦ τετελευτηκότος ὡς τὸν αἰῶνα διατρίβειν μέλλοντος καθ' ᾅδου μετὰ τῶν εὐσεβῶν. Lucian. (de luctu 23) generaliter de populis: καίτοι καὶ ἀγῶνας ἔνιοι διέθεσαν καὶ λόγους ἐπιταφίους εἶπον ἐπὶ τῶν μνημάτων ὥσπερ συναγορεύοντες ἢ μαρτυροῦντες παρὰ τοῖς κάτω δικασταῖς τῷ νεκρῷ.

2) cf. Aesch. Agam. 1507 τίς δ' ἐπιτύμβιον αἶνον ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ σὺν δακρύοις ἰάπτων ἀληθείᾳ φρενῶν πονήσει; cf. Dionys. τέχνη c. 6. 1 οὐκ ἀπορήσομεν δ' οὐδὲ τῶν πρὸς ἕκαστον (λόγων ἐπιταφίων) ἐπεί τοι καὶ τὰ ποιήματα μεστὰ τούτων, οἱ ἐπικήδειοι οὕτως ὀνομαζόμενοι, θρῆνοί τε ὡσαύτως οὕτως πολύ τε (πολύς τε vulgo) καταλογάδην ἐστὶ τοιούτων λόγων ἔν τε τοῖς πάλαι καὶ τοῖς ὀλίγον τι πρὸ ἡμῶν γενομένοις. λήξομεν δ' οὐδὲ νῦν ἔστ' ἂν γένος ἀνθρώπων καὶ τὸ χρεὼν ἐπικρατοῦν ᾖ.

3) Posteris temporibus inde a fine I. p. Chr. saec. morem Romanum effecisse ut in Graecia orationes funebres magis quam antea colerentur videbimus infra (p. 471).

tores nobis depingunt, easque induerit formas et leges, quibus exeunte re publica et sub imperatoribus eum teneri videmus.

Fuisse apud Romanos tempus, quo laudationes non dicerentur, et per se veri simile est et ipsi Romani meminerant. Tum cum mortui noctu efferebantur (Varro ap. Serv. ad Verg. Aen. VI. 224. I. 727) laudationes in foro fieri non poterant, sicut postea in nocturnis funeribus non habebantur (cf. Tac. ann. XIII. 17 'festinationem exsequiarum [Britannici] Caesar defendit, ita maioribus institutum referens subtrahere oculis acerba funera neque laudationibus aut pompa detinere'). Antiquissimam autem ad aetatem rei publicae Romanae redire morem laudandi mortuos pro rostris nemo negavit neque est cur negemus et hoc verum fortasse unum inest in fabula de laudatione Bruti a Poplicola habita.[1])

Primae de quibus nobis traditum est Romanorum laudationes iam insignes sunt illa pompa et publica celebratione quam Polybius nobis describit. Certum tamen esse puto hanc institutionem non aliqua lege ex nihilo creatam esse sed niti antiquissimis moribus privatis. Facile credas in iis gentibus et familiis, quae imaginibus maiorum locum perpetuum in atriis praebebant et titulis elogiisque decorabant, quae in conviviis „cantabant carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum", aliquando aliquem exstitisse qui etiam pedestri sermone mortui merita enumeraret, fortasse in ipso silicernio.[2]) Gentilem laudationis funebris originem cum plurimae aliarum sacrarum et publicarum institutionum analogiae (ex. gr. iuris imaginum) verisimilem reddunt tum quod a compluribus scriptoribus id premitur, funus magnificum et laudationem funebrem contigisse viris nobilibus.[3]) Praecipue autem id privatum laudationis funebris ortum testatur quod officium habendae orationis prorsus e gentili nexu pendet.[4]) Ex privata laudatione facta est publica, cum primum aliquis magistratus iure contionandi usus est, ut gentilis mortui laudes profiteretur in foro.[5]) — Neque igitur consentio cum Mommseno qui (Röm. Staatsrecht I³. p. 442 cf. not. 2) censet, laudationem primitus nullius habere licuisse nisi qui magistratu functus esset. In nostris fontibus nullum inveniri antiquioris aevi exemplum, quo demonstretur, etiam alios quam magistratus hoc honore ornatos esse

---

1) cf. infra p. 455.

2) compara Aegyptiorum morem a Diodoro descriptum supra p. 451 not. 1.

3) honorati viri Cic. de legg. II. 24. 62 cuicunque nobili Tac. ann. III. 5 ἐπιφανεῖς Polyb. VI. 51. Plut. Fab. 24. ἐπίσημοι, ἔνδοξοι Dion. Hal. V. 17.

4) Quae huic iudicio testimonia adversentur et quibus de causis interdum usus neglectus sit, infra (p. 455) apparebit.

5) Apte conferas exemplum Aemilii Paulli, qui privata de causa contionem habuit, cum duo filii decessissent, ita tamen ut laudationem non haberet sed cives, quos illius miseruit, consolaretur. Plut. Aem. Paul. 36. 2.

nemini mirum videri potest, cum omnino ὡς ἐν παρόδῳ commemoretur neque historicis fuerit cur hominum minus insignium exsequias narrarent.

Immo laudationem funebrem primum in aliqua gente privatim habitam esse veri simile est, deinde ad alias pervenisse tum singulari quadam occasione publicam factam esse, denique publicam ea de causa, quod saepe gentile officium orandi casu in magistratum cecidit, in patriciis omnibus sollemnem inveterasse, ut etiam ii qui tunc ipsum munere non fungebantur licentiam contionandi expeterent, id quod disertis verbis traditur de Appii filio (Dion. Hal. A. R. IX. 54 cf. Liv. II. 61).

Laudationes funebres iam postremis liberae rei publicae saeculis in morem communem abiisse permulti loci docent, optime ii quibus acuitur aliquem contra usum solito laudationis honore non ornatum esse, ut Cic. pro Mil. XIII. 33 Tac. ann. III. 5.

III. Quis laudatus sit.

Vidimus primis temporibus solos patricios honorem laudationis adeptos esse; postea eum etiam aliis contigisse per se intellegitur. Quis plebeia stirpe natus primus post mortem pro rostris laudatus sit sicut multa in his rebus nescimus. — Impuberibus omnino funus sollemne non parabatur, sed noctu efferebantur (Serv. ad Aen. XI. 143).[1] — De mulieribus auctores discrepant. Cicero (de orat. II. 11. 44) Antonium dicentem inducit se putare primum in Romana civitate mulieri hunc honorem tributum esse, cum Q. Lutatius Catulus (cos. 652/102) Popiliam matrem laudaret. Plutarchus autem (Caes. 5) narrat: τὸ μὲν οὖν ἐπὶ γυναιξὶ πρεσβυτέραις λόγους ἐπιταφίους διεξιέναι πάτριον ἦν Ῥωμαίοις, νέαις δ' οὐκ ὂν ἐν ἔθει πρῶτος εἶπε Καῖσαρ ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς ἀποθανούσης· καὶ τοῦτ' ἤνεγκεν αὐτῷ χάριν τινὰ καὶ συνεδημαγώγησε τῷ πάθει τοὺς πολλοὺς ὡς ἥμερον ἄνδρα καὶ περίμεστον ἤθους ἀγαπᾶν, id quod cum Ciceronis sententia coit, si πάτριον adiectivum

1) Ideo L. Aemilius Paullus filios duos circa triumphi patris tempus defunctos non laudavit, licet in oratione, quam de rebus a se gestis apud populum habuit, hunc suum „casum“ tetigerit cf. Liv. 45. 40 Val. Max. V. 10. 2 „quem casum quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus a se gestis apud populum habuit, hanc adiciendo clausulam nulli ambiguum reliquit: Cum in maximo proventu felicitatis nostrae, Quirites, timerem nequid mali fortuna moliretur, Iovem O. M. Iunonemque Reginam et Minervam precatus sum, ut, si adversi quid populo Romano immineret, totum in meam domum converteretur. Quapropter bene habet; annuendo enim votis meis id egerunt ut vos potius meum casum doleatis quam ego vestro ingemiscerem.“ — (Novitne hanc Paulli orationem Ambrosius cum (de excess. Satyri I. 1) scriberet: „Semper optavi ut, si quae perturbationes vel Ecclesiam vel me manerent, in me potius ac meam deciderent domum“ et q. s. ? Sed potuit A. hoc ex Christologia in se transferre.)

non nimis premimus.[1]) Magis abhorrent ea quae Livius (V. 50) et Plutarchus (Camillus 8) referunt; hic iis mulieribus quae aurum suum dederant ut publicum anathema Delphico deo pararetur, a senatu eundem atque viris honorem tributum esse narrat[2]), ille: „cum in publico deesset aurum ex quo summa pactae mercedis Gallis confieret, a matronis conlatum acceperant ut sacro auro abstineretur. matronis gratiae actae honosque additur, ut earum sicut virorum post mortem sollemnis laudatio esset."[3]) Quibus duobus testimoniis quippe quae et inter se discrepent et suspicionem moveant aetiologicae quam vocant fictionis nihil tribuendum est fidei.[4])

IV. Quis laudaverit.

Officium laudandi pertinuisse ad proximum agnatum iam diximus (p. 452). Hoc paene omnia exempla nobis tradita demonstrant et apertis verbis scriptores nonnulli commemorant.[5]) Per se apparet

---

1) Fortasse haec exaggeratio redit ad ipsam Caesaris orationem; neque enim verisimile est populum hoc Caesari laudi daturum fuisse, nisi ipse in oratione admonuisset.

2) Καὶ ταύταις μὲν ἡ σύγκλητος ἀποδιδοῦσα τιμὴν πρέπουσαν ἐψηφίσατο μετὰ θάνατον ὥσπερ ἐπὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναιξὶ λέγεσθαι τὸν ἄξιον ἔπαινον· οὐ γὰρ ἦν εἰθισμένον πρότερον ἐγκωμιάζεσθαι γυναῖκα δημοσίᾳ τελευτήσασαν. Aliter Livius V. 25. 9: grata ea res ut quae maxime senatui unquam fuit honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur.

3) Aliter Diodor. Sic. XIV. 116 λέγουσι δέ τινες καὶ διότι τὸν χρυσοῦν κόσμον αἱ γυναῖκες εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν εἰσενέγκασαι ταύτης ἔτυχον παρὰ τοῦ δημοσίου τιμῆς ὥστ' ἐξουσίαν ἔχειν ἐφ' ἁρμάτων ὀχεῖσθαι κατὰ τὴν πόλιν.

4) Peterus (Hist. Rom. rell. p. XXX not. 1) putat eis solis quibus etiam gratiae actae erant mulieribus honorem laudationis tributum esse. Sed haec interpretatio non tollit discrepantiam iudicii a Cicerone prolati nec respexit Peterus varietates fabularum supra commemoratas. Rectius iudicat Lewisius l. l. p. 189.

5) Plut. Fab. Max. 24. 4 „τὸ δ' ἐγκώμιον ὃ ταῖς ἐκκομιδαῖς τῶν ἐπιφανῶν οἱ προσήκοντες ἐπιτελοῦσιν . . . (Quamquam idem Plut. Popl. 9. 7 ὥστε πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς καὶ μεγάλοις ὑπάρχειν ἐξ ἐκείνου τελευτήσασιν ὑπὸ τῶν ἀρίστων ἐγκωμιάζεσθαι. Haud scio an Plutarchus scripserit ὑπὸ τῶν ἀγχίστων.) Plut. Caesar 5 addit causam cur Caesar Iuliam laudaverit ἀδελφιδοῦς ὢν αὐτῆς; item cur Nero Drusum Zonaras XI. 2. C (III. p. 7 Ddf.) γαμβρὸς αὐτοῦ ὤν, cur Gaius Liviam „a pronepote". Tiberius (Tac. ann. V. 2) „quod supremis in matrem officiis defuisset . . . magnitudinem negotiorum per litteras excusavit". — Polybius VI. 53 ἂν μὲν υἱὸς ἐν ἡλικίᾳ καταλείπηται καὶ τύχῃ παρὼν οὗτος, εἰ δὲ μή, τῶν ἄλλων εἴ τις ἀπὸ γένους ὑπάρχει . . . Hieron. ep. 60 „Moris quondam fuit ut super cadavera parentum defunctorum in contione pro rostris laudes liberi dicerent". Ipse Cicero quasi contrarium Romanorum morem inducit cum dicit (de legg. II. 26. 65) in legibus Solonis tractandis „nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis nec ab aliis nisi si qui publice ad eam rem constitutus esset dici licebat". — Romanorum usum vituperat Dio Chrysostomos or. XXIX. 1 (Melagkom. A): καὶ ἔμοιγε ἄτοπον

evenisse ut alii hoc munere fungerentur; quoties autem temporibus liberae rei publicae et priorum imperatorum dicta est oratio funebris ab aliquo non eiusdem gentis homine, certa subest causa aut testimonia sunt dubia. Exempla sunt haec.

Accepimus a Livio (II. 47) M. Fabium Vibullinum consulem laudasse C. Manlium Cincinnatum collegam in pugna contra Veientes facta (274/480) occisum. Sed videamus singula. In eadem pugna occiderat Quintus M. Fabii frater vir consularis; hunc laudare consulis erat itaque facile fieri potuit ut, cum „duo deinceps collegae fratrisque funera" duceret, „idem in utroque laudator" existeret re vera aut postea nominaretur, praesertim cum merita utriusque praecipua ab iisdem dimicationibus profecta essent et totus de hac pugna Livii locus fortasse nitatur fonte gentis Fabiae domesticis commentariis propinquo cf. Niebuhr H. R. II. 224.[1])

Iam is quem primum Romano more dixisse orationem funebrem ipsi Romani putabant (cf. Dionys. Hal. V. 17 Plut. Popl. IX. 53 auctor de vir. ill. urb. Rom. 10 Ioh. Lyd. I. 33. p. 145 Bekk.) Valerius Poplicola Bruti primi consulis quem laudavit non erat agnatus. Sed haec opinio aeque atque illa de prima mulierum laudatione promulgata (cf. p. 453) valde suspecta est neque Polybius aut Livius quicquam de hac re affert.[2]) Dionysius ipse rem in suspenso relinquit (εἰ μὲν οὖν Οὐαλέριος πρῶτος κατεστήσατο τὸν νόμον τόνδε Ῥωμαίοις ἢ κείμενον ὑπὸ τῶν βασιλέων παρέλαβεν οὐκ ἔχω σαφὲς εἰπεῖν.), Plutarchus tamquam certam ponit, Pseud-Aurelius nihil dixit nisi „corpus in foro positum a collega laudatum matronae anno luxerunt", Ioannes Lydus autem: τὸν δὲ ἕτερον ὁ θάτερος ἔτι περιὼν ἐπικηδείῳ πρῶτος ἐτίμησε. — Nobis mirum videri non potest quod ab antiquariis certas morum origines investigantibus aut fingentibus hic usus vere patricius revocatus est ad eos patricios qui in re publica libera primi summis honoribus functi sunt. Initium huius coniecturae putes fuisse quod traditum erat, Poplicolam post mortem Bruti contionem habuisse[3]) cf. Liv. l. l.

Deinde Pseud-Aurelius (de vir. ill. 27) narrat de altero Decio, qui caput in pugna Sentinensi devovit, „corpus a collega (Q. Fabio

---

φαίνεται τὸ ἐπὶ τοῖς τεθνεῶσιν ἔθος ὅτι τοῖς πλεῖστα λυπουμένοις μάλιστα προσήκειν δοκεῖ τὸ ἐπ' αὐτοῖς λέγειν . . . οἱ γὰρ σφοδρότατα ἀνιώμενοι ἀδύνατοι λέγειν ὑπ' αὐτοῦ τούτου εἰσίν.

1) cf. du Rieu, de gente Fabia p. 23 „credere ausim hoc quoque a Livio esse suppletum quod laudationem Fabium habuisse scripserit, nam ex analogia et antiquitatis scientia hoc ita descripsit".

2) Sane Liv. II. 7. 8 aliam Valeri orationem commemorat, qua suspicionem regnum petendi dissipavit; refert de ea 'consul laudare fortunam collegae, quod liberata patria in summo honore pro re publica dimicans, matura gloria necdum se vertente in invidiam mortem occubuisset'.

3) Similiter hoc in loco iudicaverunt Lewis l. l. I. p. 189 Peter, rell. p. XXIX.

Maximo Rulliano) laudatum magnifice sepultum est". (Iisdem verbis utitur quibus c. 10 laudationem Bruti refert.) Qua fide hic auctor nitatur incertum est. Si recte rettulit (quamquam universa de hoc Decio narratiuncula suspiciosa est ut quae idem de altero narret [cf. Lübbert, de Rom. comm. domest. p. 5]) possumus rem ita explicare, Decium in pugnae campo sepultum esse, non Romam translatum, id quod in fonte suo inventum ille scriptor non recte intellexit et addito adverbio „magnifice" rem ita mutavit, ut nemo possit non cogitare de pompa urbana.

Cum Sulla efferretur, Appiano teste (I. 106. p. 672. 21. Mend.) τοὺϲ μὲν ἐπιταφίουϲ λόγουϲ εἶπεν ὁ κράτιϲτοϲ εἰπεῖν τῶν τότε, ἐπεὶ Φαῦϲτοϲ ὁ παῖϲ ὁ τοῦ Cύλλα νεώτατοϲ ἦν ἔτι.

In Caesaris funere Antonius, ut Suetonius dicit (Iul. 84), „laudationis loco consul A. per praeconem pronuntiavit senatus consultum, quo omnia simul ei divina atque humana decreverat, item ius iurandum, quo se cuncti pro salute unius astrinxerant; quibus perpauca a se verba addidit." Omnino apertum est cur et quo titulo Antonius officium contionandi in se susceperit.[1]) Accedit quod C. Octavius eo tempore Romae non erat.

Imperatores sibi hoc sumpsisse videntur ut laudarent cui valde favissent. Sic Cass. Dio 57. 11. 7 de Tiberio dicit: καὶ ἐφ' ἑνί γέ τινι αὐτῶν (τῶν ἑταίρων) τελευτήϲαντι τὸν ἐπιτάφιον αὐτὸϲ εἶπεν. Ultro etiam Severus cum Pertinaci funus imaginarium duceret, eum laudavit (I. Capitolin. Pertinax 15).

Primo p. Chr. saeculo etiam quasi officium imperatae sunt laudationes funebres. Hoc testatur Quintilianus (inst. III. 7. 2): „sed mos Romanus etiam negotiis hoc munus inseruit. nam et funebres laudationes pendent frequenter ex aliquo publico officio atque ex senatus consulto magistratibus saepe mandantur."[2]) Ex ipsis Quintiliani verbis elucet etiam ei morem communem visum esse laudationem a propinquis dici. Quomodo haec laudatio a magistratu habita ('publica') cohaereat cum funere publico infra (p. 461 sqq.) exponetur. Tale, quale Quintilianus commemorat, Cassius Dio (56. 34. 4) fingit senatus consultum cum Tiberium dicentem facit: ἐπειδὴ δὲ καὶ δημοϲίαϲ τρόπον τινὰ φωνῆϲ ἡ γερουϲία καλῶϲ

1) Non satis accurate Appianus (civ. II. 143. 10) Ἀντώνιοϲ ᾑρημένοϲ εἰπεῖν τὸν ἐπιτάφιον οἷα ὕπατοϲ ὑπάτου καὶ φίλοϲ φίλου καὶ ϲυγγενὴϲ ϲυγγενοῦϲ (ἦν γὰρ δὴ Καίϲαρι κατὰ μητέρα ϲυγγενήϲ). cf. Cass. Dio 44. 36. 2 λόγον διπλοῦν, τὸν μὲν ὡϲ κληρονόμῳ γεγραμμένῳ τὸν δὲ ὡϲ ἄρχοντι ποιήϲαϲθαι.

2) Possis ex Ciceronis verbis (de legg. II. 26. 65) qui de Atheniensium civitate refert: 'nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis nec ab alio nisi qui publice ad eam rem constitutus esset dici licebat' coniunctis cum eiusdem Romanis dato praecepto (II. 10. 22 'sos leto datos divos habento, sumptum in ollos luctumque minuunto') concludere iam tum dictas esse interdum laudationes publicas fortasse ad exemplum Graecum; sed coniectura nimis incerta est.

ποιοῦϲα ἠξίωϲεν αὐτὸν (Augustum) κτλ. Quibus verbis num Dio morem postea demum usitatum falso ad Tiberium rettulerit incertum relinquitur. Certum eiusmodi mandati exemplum videmus, cum Tacitus (anno 851/97 [1]) consul laudavit L. Verginium Rufum (Plin. ep. II. 1. 6).

Ceterae quas novimus laudationes omnes a propinquis habitae sunt. Quod ut quam apertissimum sit componimus singula exempla.

Laudaverunt:

patrem: Appius 284/470 Marcellus 546/208 Q. Metellus 533/221 Tiberius 721/33 C. Caesar 791/37 Antoninus Pius et L. Verus 915/161
vitricum: Tiberius 768/14 Nero 808/54
vitricum patris: Drusus 768/14
fratrem: M. Fabius Vibullinus 274/480 Tiberius 745/9
filium: Q. Fabius Maximus 541/213 Serranus 700/54 Tiberius 776/23
generum: Augustus 721/33 Marcellum, 742/12 Agrippam.
avunculum: Q. Fabius Maximus Allobrogicus 625/129
privignum: Augustus 745/9
matrem: Q. Lutatius Catulus cos. 652/102 Augustus 721/33 Atticus 712/42 Agricola (cf. Tac. Agr. 7) Murdiae fil.
amitam: Caesar 686/68 Drusus 743/11
uxorem: Caesar 686/68 M. Lepidus 792/38 Nero 820/66 Q. Lucretius Vespillo (? c. 8—2 a Chr.)
aviam: Augustus 703/51
sororem: Augustus 743/11
proaviam: C. Caesar 782/29
socrum: Hadrianus 873/119.

Vix opus est commemorare antiquioribus temporibus neminem laudationem funebrem habere potuisse nisi cui etiam alias in contione verba facere licuerit. Itaque omnino nunquam laudavit mulier neque pueris licuit ante sumptam togam virilem. Qua de causa Sullam non laudavit Faustus filius sed ὁ κράτιϲτοϲ εἰπεῖν τῶν τότε (cf. p. 456). Triginta autem fere annis post iam neglectam videmus hanc legem; „duodecimum annum agens aviam Iuliam defunctam pro contione laudavit" C. Octavius (a. 703/51 Suet. Aug. 8 Quint. XII. 6. 1 Nicol. Damasc. Aug. 3 ubi recte Muellerus legit ἕνδεκα), cum antea pueri gravissima iudicia suscepissent Calvus Caesar Pollio (Quint. XII. 6. 1). Deinceps saepius puerum hunc honorem perpetrasse scriptores testantur. Tiberius „novem annos natus defunctum patrem pro rostris laudavit" (Suet. Tib. 6 anno 721/33). C. Caesar proaviam „praetextatus etiam tunc pro rostris laudavit" (Suet. Cal. 10) — Quamquam omnes hi pueri sunt domus Augustae.

1) Vide Klebs Rh. Mus. XLIV. p. 273 sqq.

V. De loco laudationum.

Locus laudationum sollemnis erat forum, ubi mortuus ante rostra positus iacebat, dum oratio habebatur.[1]) De aetiologia huius moris in scholio (ad Hor. epod. 16. 13) prolata vide pag. 450 not. Imperatorum demum aetate relictus est sed ita tantum, ut, si duae laudationes haberentur, altera fieret in foro pro rostris altera alio loco. Bis audimus aliquem et pro rostris veteribus et pro novis Iuliis laudatum esse ut Octaviam, Augusti sororem (Cass. Dio 54. 35 καὶ αὐτός τε (Augustus) ἐκεῖ (ἐπὶ τοῦ Ἰουλίου ἡρῴου) τὸν ἐπιτάφιον εἶπε καὶ ὁ Δροῦσος ἐπὶ τοῦ βήματος). Atque etiam Augustus „bifariam laudatus est: pro aede Divi Iuli a Tiberio et pro rostris veteribus a Druso Tiberii filio" (Suet. Aug. 100 cf. Cass. Dio 56. 34. 4). — Unum praeterea exemplum habemus laudationis alio loco habitae; tradit Cassius Dio (55. 2. 2) καὶ αὐτοῦ (Drusi) ἐν τῇ ἀγορᾷ προτεθέντος διπλοῦς ὁ ἐπιτάφιος ἐλέχθη· ὅ τε γὰρ Τιβέριος ἐνταῦθα αὐτὸν ἐπῄνεσε καὶ ὁ Αὔγουστος ἐν τῷ Φλαμινίῳ ἱπποδρόμῳ. Causam ipse Cassius affert: ἐξεστράτευτο γὰρ καὶ οὐκ ἦν οἱ ὅσιον μὴ οὐ τὰ καθήκοντα ἐπὶ τοῖς κατειργασμένοις παρ' αὐτὴν τὴν εἴσω τοῦ πωμηρίου ἔσοδον ἐπιτελέσαι, quam Casaubonus ad Sueton. Claud. I sic interpretatus est „praecipua siquidem cura urbem ingredientibus post victoriam partam fuit, Iovi Capitolino aliisque diis gratias in ipsorum templis agere, quod Augustus funesta ipsius domo facere non poterat, ideo ad urbem mansit."

Neque vero in senatu habita est laudatio funebris, quod fortasse cum Graffio (p. 50) crederemus, si solum Cassium Dionem testem haberemus funeris Drusi minoris. Hic enim dicit (57. 22): τότε δ' οὖν (Tiberius) ἐσῆλθέ τε ἐς τὸ συνέδριον καὶ τὸν προσήκοντα ἐπὶ τῷ παιδὶ ἔπαινον ποιησάμενος οἴκαδε ἐκομίσθη. Bene evenit ut Zonaras (XI. 2 C III p. 7 Ddf.) eandem rem non praetermitteret sed accuratius et rectius referret: ὁ μὲν οὖν (Drusus) οὕτως διώλετο· ὁ δέ γε Τιβέριος εἰς τὸ συνέδριον ἀφικόμενος ἐκεῖνόν τε ἀπωδύρατο καὶ τὸν Νέρωνα τόν τε Δροῦσον τοὺς τοῦ Γερμανικοῦ παῖδας τῇ γερουσίᾳ παρακατέθετο, καὶ τὸ σῶμα τοῦ Δρούσου προὐτέθη ἐπὶ τοῦ βήματος· καὶ ὁ Νέρων γαμβρὸς αὐτοῦ ὢν ἐπαίνους ἐπ' αὐτῷ εἶπεν. Tiberius

1) „in foro" de vir. ill. urb. Rom. 10 Dion. Hal. A R. IX. 54. Plut. Fab. Max. 24. 4 Appian B. C. I. 106 Plut. Caes. 5 Cass. Dio 39. 64 54. 28 55. 2 Plut. Brut. 20 Anton. 14. 3

„pro rostris" Suet. Caes. 6 Iul. Tib. 6 Aug. 100 Quintil. XII. 6. 1 Tac. ann. III. 76 V. 1 III. 5 IV. 12 Sen. ad Marc. 15 Cass. Dio LIV. 35 Zonar. XI. 2. C. Suet. Cal. 10.

„apud rostra" Tac. ann. XVI. 6.

„foro et rostris" Plin. ep. II. 1. 6 cf. Iul. Capitol. VII. 11 Polyb. VI. 53.

„pro contione" Suet. Aug. 8.

„δημηγοροῦντι" Nic. Dam. Aug. 3.

„in contione" Cic. ad Att. XV. 20. 2 cf. XV. 11 Suet. Claud. 1.

igitur senatum certiorem fecit de morte filii, sane non omittens eum laudibus ornare, ipsam autem solitam et sollemnem laudationem — nescimus qua de causa — secundum Zonaram non Tiberius sed Nero habuit.[1]) Sed de hac laudatione omnino testes non consentiunt; Tacitus enim (ann. IV. 12) tradit Tiberium filium pro rostris laudasse. Fortasse etiam hoc in funere pro binis rostris laudationes sunt habitae.

In senatu nonnunquam orationes esse habitas laudationi funebri simillimas facile credas et optime illustratur Ciceronis oratione Philippica IX., qua C. Pansae rogationem, ut Ser. Sulpicius, qui cum L. Philippo et L. Pisone ad Antonium missus quamquam aegerrimus erat tamen profectus prope castra M. Antonii erat mortuus, sepulcro et statua publice honestaretur suasit. Exit haec oratio in formulam sollemnem, quae et ipsa Sulpicii Rufi merita breviter comprehendit. Sententia admodum similis invenitur in inscriptione inventa in Kef oppido Africae, publicata ab Ioanne Schmidt in Eph. epigr. V. 628, inde a lin. 5:

„L. Calpurnius M[a]ximus Albinus sententiam interrogatus censuit in v[er]ba infra scribta: Cum Licini Paterni viri de primorib[us] nostris et vitae moderatio et morum maximum ac practi[c]um testimonium, in fovendis etiam rei p[u]b(licae) nostrae opibus non modica doc[u]m[e]nta emic[ent, par]entum quoque ac maiorum ipsius [eti]am in a[edificandi]s excol[e]ndisq(ue) moenibus nostri[s at]que[2]) in sustinendis alendisq(ue) civibus egregia atq(ue) eximia liberalita[s] eniteat, ac per [h]oc tametsi ingentis ac maximi luctus eius Paterni minima sint apud eum nostra solacia, tamen ad leniend[os] conpescendosq(ue) do[lor]is [i]mpetus et ad honorandam etiam puellae rudimat[u]rae (?) memoriam cum c[as]u tris[ti a]bra[ptae? e]xi[tui?] eius de publ(ico) erogando statuam [in l]o[co civitati]s pulcherrimo [at]q[ue] celeberrimo publ(ica) pec(unia) [e]idem Liciniae Severae constituendam, [ut] pietatis ordinis nostri erga Paternum adfect[i]o perpetuo si[t] contestata."

Mors igitur filiae locum dedit decurionibus merita patris laudandi. Eiusdem generis est titulus Campanus C. I. L. X. 3903. 4—9.

„[c]um L. An[tistius Campanus emeriti]s mIlitiae stipe[ndiis per gravissi]ma et periculo[si]ssima bella Iúdicia dei C[aesaris consecutus] deductusque a[b hoc in coloniam] nostram adeo [p]rIvatim publicéque munifi[centiam exercue]rit, ut et patrimo[nium paene partir]étur cum ré p[ub]licá varIls et plúrimis in[pendiis in se receptis et] laetior sempe[r videretur in univer]sos inpendis[se] quam quod

1) Est hic locus ex iis quibus demonstratur Zonaram pleniores legisse Cassii libros quam nobis servati sunt. De hac re vide imprimis Rankii histor. orbis III. p. 256.

2) 'nostri[s at]que' ego 'nostri[s]que' Schmidt.

sibi ac suis i[nserviret et in cumulatio]ne officiórum r[ei p(ublicae) praestitorum co]nsenésceret, ut [nu]nc quoque in maximI[s negotiis versaretur, ips]e iam déficiéns, r[everendus tam]en annIs suIs, [pl]acére cónscrIptIs" et q. s.[1])

VI. Qui bis laudati sint.

Cum de loco laudationum quaereremus, iam commemoravimus interdum duas habitas esse in uno funere orationes. Primae[2]) quod sciamus hic duplex honor tributus est Octaviae sorori Augusti quam princeps ipse et Drusus laudaverunt. Duobus annis post item Drusum et Tiberius et Augustus laudibus extulerunt, ipsum imperatorem postea Tiberius cum filio. Per longum deinceps tempus hic mos oblitteratus fuisse videtur; Antoninum demum Pium audimus bifariam laudatum esse a filiis. Augusteo aevo si duae habebantur orationes diversis locis steterunt oratores. M. Aurelius et L. Verus in funere Antonini patris videntur pro iisdem rostris contionati esse; Iulius saltem Capitolinus simpliciter dicit „laudavere uterque pro rostris patrem" (VII. 11). — Per se intellegitur, necesse fuisse ut argumenta duarum orationum aliquantum distarent et facile conicias in funeribus Drusi Augusti Antonini materiam ita inter oratores partitam fuisse, ut alter privatas alter publicas res tractaret. Quam coniecturam comprobat Cassius Dio, qui (56. 34. 4) Tiberium in funere Augusti sic incipientem facit: ὅσα μὲν ἰδίᾳ καὶ παρὰ τῶν συγγενῶν ἐπὶ τῷ θείῳ ἐκείνῳ Αὐγούστῳ λεχθῆναι ἔδει, Δροῦσος εἴρηκεν· ἐπειδὴ δὲ καὶ δημοσίας τρόπον τινὰ φωνῆς ἡ γερουσία καλῶς ποιοῦσα ἠξίωσεν αὐτόν, οἶδα μὲν προσήκοντα ἐμαυτῷ τὸν λόγον τόνδε ἐπιτραπείς .... οὐ μέντοι καὶ θαρρεῖν ἔχω .....[3]) Quamquam nulla subest causa cur hanc orationem non a scriptoris ingenio profectam

---

1) Mommseni huius tituli supplementa in C. I. L. addita ipse retractavi et mutavi. Titulus potest esse aevi Augustei; ideo omisi quod Mommsenus suppleverat lin. 5 'et divi Augusti' nam spatium quoque haec verba excedunt.

2) Namque quod Cicero (de orat. II. 84. 341) obiter commemorat „Q. Tuberoni Africanum avonculum laudanti scripsit C. Laelius", puto eum memoriam fefellisse et commutasse eum duos Africani propinquos, cum ipse (pro Mur. 36. 75) et schol. Bob. (ad Cic. pro Milone VII. 2 p. 283 Orelli) testetur Africanum scripto Laelii laudatum esse a Q. Fabio Maximo. Si revera utrique Laelius scripsisset laudationem non dubito quin Cicero alterutro loco expressis verbis hoc dicturus fuerit.

3) Idem Dio 44. 36. 1 Antonium in funere Caesaris haec dicentem inducit: Εἰ μὲν οὗτος ἰδιωτεύων ἐτεθνήκει κἀγὼ ἐν ἰδιωτείᾳ ὢν ἐτύγχανον, οὔτ' ἂν πολλῶν ὦ Κυιρῖται λόγων ἐδεήθην ..... ἐπειδὴ δὲ οὗτός τε τὴν μεγίστην ἐν ὑμῖν ἡγεμονίαν ἔχων ἀπόλωλε καὶ ἐγὼ τὴν δευτέραν ἄρχω λαβών, τόν τε λόγον ἀνάγκη μοι διπλοῦν τὸν μὲν ὡς κληρονόμῳ γεγραμμένῳ τὸν δὲ ὡς ἄρχοντι ποιήσασθαι.

sed genuinam Tiberii translatam putemus, tamen hac in re videtur Cassius imperatorem recte imitatus esse. — Quomodo duo oratores laudes Octaviae inter se partiti sint vix dicas.[1])

VII. De laudationibus publicis.

Supra vidimus Quintiliani temporibus laudationes frequenter iam pependisse ex aliquo publico officio. Facile est conicere hoc usu venisse, cum publicum funus alicui decerneretur. Quod comprobatur ipsius Quintiliani verbis 'ex senatus consulto magistratibus saepe mandantur', nam et ipsum funus publicum fit ex senatus consulto Romae, in municipiis ex decreto ordinis. Neque tamen habemus cur ponamus semper cum funere publico coniunctam fuisse laudationem publicam i. e. a magistratu habitam; multae enim exstant inscriptiones, in quibus funeris publici decretum commemoratur, laudationis publicae nulla fit mentio. Sane hoc pro certo demonstrari nequit. Miro enim modo testimonia iudicium turbant. Ea funera publica, quae scriptores nobis nominant, fere omnia sunt aevi imperatorum eaque hominum de gentibus imperatoriis quibus et funus publicum et laudationem a magistratu (ab Augusto vel Caesare) habitam data esse non est mirum. In hominum minus insignium funeribus publicis quotcunque nobis traduntur laudationes non commemorantur. Lapides, qui laudationes publicas testantur, omnes sunt Hispanici. Neque tamen credi potest sola in Hispania laudationes publicas hominibus non imperatoriis decretas et habitas

1) Operae pretium est hic breviter exponere cur Augustus hanc laudationem habuerit παραπετάϲματι καὶ τότε ἐπὶ τοῦ νεκροῦ χρηϲάμενοϲ (Dio 54. 35. 4). Καὶ τότε particulae nos revocant ad illum eiusdem scriptoris locum, ubi Agrippae funus describit et narrat Augustum mortuum laudasse παραπέταϲμά τι πρὸ τοῦ νεκροῦ παρατείναντα (54. 28. 3). Ibidem de causa tegendi haec addit: ὅπερ ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα διὰ τί ἐποίηϲεν, εἴρηται δὲ ὅμωϲ τοῖϲ μὲν ὅτι ἀρχιέρεωϲ ἦν, τοῖϲ δὲ ὅτι τὰ τῶν τιμητῶν ἔπραττεν, οὐκ ὀρθῶϲ φρονοῦϲιν· οὔτε γὰρ τῷ ἀρχιέρεῳ ἀπείρηται νεκρὸν ὁρᾶν οὔτε τῷ τιμητῇ πλὴν ἂν τὸ τέλοϲ ταῖϲ ἀπογραφαῖϲ μέλλῃ ἐπάξειν· ἂν γάρ τινα πρὸ τοῦ καθαρϲίου ἴδῃ, ἀνάδαϲτα τὰ πραχθέντα αὐτῷ πάντα γίγνεται. Etiam Seneca (ad Marc. 15) mentionem facit huius παραπετάϲματοϲ cum scribit „Tiberius . . . . ipse . . . . pro rostris laudavit filium stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento quod pontificis oculos a funere arceret." Seneca igitur illud profert iudicium quod nonnullis probari Dio dicit ipse tamen cum altero reicit. Neque recte iudicat Dio; pontifices enim contaminatos esse aspectu corporis mortui saepius testantur scriptores. cf. Serv. ad Aen. VI. 176 Dio 56. 31. 3 Lipsius ad Tac. ann. I 62 ubi Tiberius dicitur Germanicum vituperasse quod relliquias cladis Varianae condidisset, nam „neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum adtrectare feralia debuisse". Meursius in thes. Gronov. XI. p. 1102. — Obiter rem refert Suidas s. v. Αὔγουϲτοϲ: Ὅτι Αὐγούϲτου Καίϲαροϲ ἀποθανόντοϲ Τιβέριοϲ καὶ Δροῦϲοϲ προηγοῦντο τοῦ πένθουϲ, τοῦ νεκροῦ παντελῶϲ μὴ ἁπτόμενοι· οὐ γὰρ ἐξὸν τοῖϲ μοναρχοῦϲιν.

esse; id quod per se non veri simile est et cum aperto Quintiliani, qui hoc loco non patriam suam solam sed imperium Romanum respicit, testimonio pugnat. Possis igitur conicere laudationem publicam decreto funere publico contineri. Una res videtur comprobare hanc coniecturam. Nullo in titulo Hispaniensi ponuntur ipsa verba 'funus publicum'[1]); semper legimus 'impensa funeris', ut possis ponere 'funus publicum' verba latius patere quam 'impensam funeris'. At non desunt tituli, in quibus 'impensae funeris' decretae nominantur, non 'laudationes'. Restat ut moneam 'laudationem' sine funere publico etiam in Hispanicis titulis non commemorari nisi in iis, qui complurium municipiorum in unum conlatos honores enumerant (II. 3251 et 3252), in quibus non mirum est impensas funeris non decerni cum ab aliis municipiis decretae sint. Quae res si cui satis dilucide demonstrare videntur, laudationem 'funere publico' contineri, credat; ego iudicium cohibeo.

Miro casu sed tamen casu puto accidit ut praeter Rufi laudationem a Tacito consule ex publico officio habitam (Plin. ep. II. 1. 6) urbanum publicae laudationis exemplum in nostris fontibus non inveniatur neque lapides provinciales ullam commemorent nisi Hispanici.[2]) Tituli illi Hispanici plerique inventi sunt in municipiis Flaviis, quibus etiam gravissima rei municipalis testimonia debemus. Nullus quantum video Vespasiano imperatore antiquior est. Certum annum (854/101 cf. Klein fast. cons. p. 53) indicat

C. I. L. II. 2344 (Mellariae Baeticae; apographa antiquiora)

C. Sempronio Sperato flamini divorum Aug(ustorum) provinciae Baeticae. imp(eratore) Nerva Traiano Caes(are) Aug(usto) Germ(anico) III Vicerio Alariano et L. Marcio Postumo coss. hic provinciae Baeticae consensu flamini(s)[3]) munus est consequutus. peracto honore flamin(um) et feciali(um) omn(ium)

---

1) In uno II. 2150 componuntur laudatio exsequiae publicae, funeris impensa vide p. 464.

2) Urbanum esse data opera repperi titulum, quem secundum Maffeium (Mus. Ver. 124. 1) exhibet Orelli II. 3576). Editus nunc est recte C. I. L. VI. 1. 3617 (tabella marmorea rubra; descr. Mommsenus). Exstant haec verba: '. . . . . us T. l(ibertus) Numenius |'. . . . . [hono]r(atus) ab exerc(itu) corona aur(ea) | . . . . . i laudation(e) publice | . . . . [Ped]ucaeI latroni.' Quantum de verbis mutilis iudicare licet, videtur agi non de laudatione mortui sed militis in contione ab imperatore habitae, de qua Polybius (VI. 39. 2) refert: καλῶς δὲ (scil. οἱ Ῥωμαῖοι) τοὺς νέους ἐκκαλοῦνται πρὸς τὸ κινδυνεύειν. ἐπειδὰν γὰρ γένηταί τις χρεία καί τινες αὐτῶν ἀνδραγαθήσωσιν συναγαγὼν ὁ στρατηγὸς ἐκκλησίαν τοῦ στρατοπέδου καὶ παραστησάμενος τοὺς δόξαντάς τι πεπραχέναι διαφέρον, πρῶτον μὲν ἐγκώμιον ὑπὲρ ἑκάστου λέγει περί τε τῆς ἀνδραγαθίας κἂν τι κατὰ τὸν βίον αὐτοῖς ἄλλο συνυπάρχῃ τῆς ἐπ' ἀγαθῷ μνήμης ἄξιον, μετὰ δὲ ταῦτα τῷ μὲν τρώσαντι πολέμιον γαῖσον δωρεῖται τῷ δὲ καταβαλόντι καὶ σκυλεύσαντι τῷ μὲν πεζῷ φιάλην, τῷ δ' ἱππεῖ φάλαρα.

3) Rectius fortasse solves abbreviationem 'flamini(um)'.

concil(ium) et consensus[1]) statuam decrevit. huic ordo Mellariensis decreverunt sepult(uram), impens(am) funeris, laud(ationem), statuas equestres duas ...... Venusta uxor honore accept(o) imp(ensa) remissa p(osuit).

Decernunt hos honores ordines decurionum, saepe viris honoratis saepe aliis interdum feminis (cf. 1089. 2188. 2345 Eph. ep. III. 9). Neque est cur dubitemus quin hae laudationes sicuti Romae in foris municipiorum habitae sint, cum corpora efferrentur. Inter eos titulos, qui laudationis publicae honorem testantur, sunt qui probent, uni eidem viro a compluribus municipiis laudationes decretas esse (cf. 3251. 3252). Quinam homines has laudationes habuerint, nusquam dicitur; licet tamen concludere a magistratu dictas esse, fortasse ab altero IIviro. Unum videtur exstare huius generis laudationum fragmentum quod videsis inter fragmenta n. 20 p. 526 sq.

Tituli laudationum municipalium testes sunt hi:[2])

C. I. L. II. 1065 (rep. Arvae Baeticae; apographa antiquiora)

Q. Traio Q. TraI Areiani fil(io) Quir(ina) Areiano Arvensi. huic ordo municipI FlavI Arvensis ob merita laudation(em), impensam funeris, locum sepulturae et statuam decrevit. Aemilia Lucilla mater et Sergius Rufinus frater eiius h(onore) u(si)[3]) impensam remisere.

C. I. L. II. 1089. (rep. Ilicae Baeticae, descr. Huebner.)

Dasumiae L. f. Turpiliae Popul(ari?) laudation(em) public(am), inpensam funer(is), locum sepultur(ae) d(ecuriones) d(ecreverunt).

C. I. L. II. 1186 (rep. Hispali Baeticae, descr. Huebner.)

Q. Iunio Quirinae[4]) Venusto. huic ordo Ro[mu]lensium locum sepulturae, funeris impensam, laud[ationem pu]blicam, item [decurionatus] orna[menta decrevit]. Q. Iunius [. . . . pate]r honore accepto impensam remisit.

C. I. L. II. 1286 (rep. Salpensae Baeticae; apographa antiquiora)

L. Marcius L. f. L. n. L. pron. C. abn. Quirin(a) Saturninus ann(orum) XIIX mensium V h(ic) s(itus) e(st). huic ordo municipI FlavI Salpesani laudationem, locum sepulturae, impensam funeris, clupeum, statuam pedestrem et ornamenta decurionatus decrevit [e]Idemque omnes honores a populo et

1) Locus hic videtur non recte descriptus esse ab iis, qui lapidem viderunt. Mommsenus et Huebnerus legunt: 'flamin(is) et [l]e[g]a[t]i omn(is) concil(ii) e[i] consensus'.

2) Titulum falsum vide C. I. L. II. 339.

3) h(onore) u(si) cf. C. I. L. II. 1184. 13 XIV. 413. 6. Hic honos non solam laudationem spectat sed praecipue gloriam decreti honorifici.

4) De tribu genitivo casu posita vide indices voluminis II. C. I. L.

incolis habiti sunt.[1]) [L. Marcius L. f. Qui]rina pater honorem [accepit, impensa]m remisit.

C. I. L. II. 1342 (rep. Lacilbulae Baeticae; litterae II. saec. exeuntis; ectypum descr. Huebner.)

L. S[emp]ronio Quir(ina) I.... ano. [hui]c ordo Lacilbulensium dec(revit) laud(ationem), loc(um) sep(ulturae), fun(eris) inpensam, statuam. [Iu]nia L. f. LucIlla uxor honore usa Inpensam remisit.

C. I. L. 1735 (rep. Gadibus Baeticae; apogr. antiquiora)

...... a h(ic) s(itus[a?]) e(st) .... impensa [funeri]s locus sepul[turae lau]datio statua d ......

C. I. L. II. 2131 (rep. Obulcone Baeticae; cont. Huebner.)

L. Porcius L. f. Galeria Stilo Obulconensis an(norum) LXV aedilis II vir designatus p(ius) i(n) s(uis)[2]) h(ic) s(itus) e(st). s(it) t(ibi) t(erra) l(evis). huic ordo Pontificiensis[3]) Obulconensis locum sepulturae, impensam funeris, laudationem, statuam equestrem decrevere.

C. I. L. II. 2150 (rep. in vico Baiulance Baeticae; apographa antiquiora; fractam esse indicavit et supplevit Huebner.)

C. Pomponio Quir(ina) Marullo II vir(o) L. Aemilius Avitus avonculus et C. Pomponius Lupus frater heredes statuam, quam is testamento ex HS IIICC sibi poni iussit, adiectis HS CC [posuerunt]. huic ordo ..... laudatio[nem, exse]quias pub[licas, fune]ris inpensam, [lo]cum sepulturae, statuam ...... [decrevit].

C. I. L. II. 2188. (rep. Sacilis Martialibus; apographa antiquiora)

D(is) M(anibus) s(acrum). L. Acilius L. f. Gal(eria) Barba II vir v(ixit) ann(is) LXIIII. Acilia L. f. Lepidina [ann(orum) L]VI. L. Acilius L. f. Gal(eria) Terentianus II vir ann(orum) LVI Corneliae Q. f. Lepidinae annor(um) LX[I] uxorI indulgentissumae marItus pIissumus flaminic(ae) m(unicipi) S(aciliensis) d(ecuriones) d(ecreto) funerum impensas, laudationes, loca sepulturae, statuas d(ederunt) h(ic) s(iti) s(unt). s(it) v(obis) t(erra) l(evis).

C. I. L. II. 2344 (vide supra p. 462)

C. I. L. II. 2345 (rep. Mellariae Baeticae; apographa antiquiora)

Semproniae Varillae. huic Mellarienses locum sepulturae, funeris impensam, statuam, laudationem decrevere. Sempronia

---

1) h. e. populi et incolarum magna pars exsequias prosecuta est, mortuum lugens et plangens.

2) cf. C. I. L. II. 2133. 5 2189. 2 2190. 4 et saepius.

3) cf. C. I. L. II. p. 298.

Varilla f(ilia) honore accepto impensa remissa piissumae matri posuit.

C. I. L. II. 3251 (rep. Baesuccis Tarraconensis; descr. Huebner.; litterae bonae saec. I. exeuntis)

[C. Se]mproni[o] C[eleris f. Ce]lerI f(ilio) d(ecreto) d(ecurionum) munic[ip]i Baesuccitani [h]uic municipium Flavium Baesuccitanum laudationem, locum sepulturae, inpensam funeris, exsequias, statuam decrevit; municipium Flavium Laminitanu[m] d(ecreto) d(ecurionum) laudationem, statuam; municipium Flavium Tugiense d(ecreto) d(ecurionum) laudationem, locum sep[ul]turae, inpensam funeris; municipium Flavium Vivatiense (decreto) d(ecurionum) laudationem, locum sepulturae, inpensam funeris; [c]ives Baesuc(citani) et incolae statuas. [C. Se]mpronius Celer pater et Sempronia Auge(?) mater honore accepto inpensam remiserunt. [l(ocus) d(atus) d(ecurionum)] d(ecreto).

C. I. L. II. 3252 (rep. Baesuccis Tarraconensis; apographa antiquiora)

C. Sempr[onio Celeris f.] Celeri f(ilio) d(ecreto) [d(ecurionum) municipi] F(lavi) Laminit[ani]. huic mun(icipium) F(lavium) Laminit[anum lau]dationem, statuam [decrevit]; munic(ipium) [F(lavium)] Baesucc[itanum] d(ecreto) d(ecurionum) laudationem, [locum sepu]lturae, inpens[am funeris, exsequia(?)]s, statuam; munic(ipium) F(lavium) Vivat[i]e[nse d(ecreto) d(ecurionum) lau]dationem, locum [sepulturae], inpensam funeri[s]; munic(ipium) [F(lavium)] Tugiense d(ecreto) d(ecurionum) laud[atio]nem, locum sepulturae, inpensam funeris; [civ]es Baesuccitani et incolae statua[s]. [C. Sem]pr[onius] Celer pater [et Sempronia Auge] mater ho[nore accepto inpensam remiserunt. l(ocus) d(atus) decurionum) d(ecreto)].[1])

C. I. L. II. 3746 (rep. Valentiae Tarraconensis; apographa antiquiora)

...... do ...... publicam lau[dationem, funeris] impensam, loc[um sepulturae], statuam MCC .... Claudia Gemell[a] ....

Eph. ep. III. 9 (rep. Grazalema; contulit Gago)

Memmiae ...... f(iliae) Aeli[ae] ...... as .... huic ordo Lacidul[e]n(sis) decrevit laudation(em), impensam funeris, locum sepulturae, monument(um), statuam. Aelia M. f. Bassina mater honore accepto impens(am) remis(it).

---

1) Apparet hos duos titulos eosdem honores eiusdem iuvenis mortui enumerare; alteruter scriptus erat in basi eius statuae, quae a municipio in inscriptione primo loco nominato posita est.

Veri simile est laudationem etiam iis decretam esse, quibus lapides dicunt 'honores' vel 'omnes honores' ab ordine tributos esse. Talis formula legitur in his titulis:

C. I. L. II. 4217 (rep. Tarracone; apogr. antiquiora)

.... rio Q. [fil(io) Galeria)] Fus[c]o II vir(o) flam(ini) divi Claudi praef(ecto) orae marit(imae) flamini Divorum et Augustor(um) p(rovinciae) H(ispaniae) c(iterioris) provincia Hispania citerior. [or]do Tarraconens(is) honores decrevit.

C. I. L. II. 4611 (rep. Baetulone Tarracon.; apogr. antiquiora)

Deis Manibus C. Picarii C. f. Pub(lilia) Novati. huic ordo B[a]etulon(ensis) locum sepulturae eius, impensa funeris publica[1]) et omnes honores dedit. C. Picarius[2]). h(oc) m(onumentum) h(eredem) n(on) s(equitur) n(ec) l(ocus) s(epulturae).

Ex ceteris, ut iam dixi, imperii Romani provinciis nullum novi titulum ubi mentio fiat laudationis publicae. Viguisse tamen etiam in Italia hunc morem vel ex eo efficitur quod per medium aevom obtinuit, id quod exposuit de Rossi (Studi e documenti I p. 29 not. 3). In Morcelli operibus epigraphicis exempla inveni quibus demonstratur initio nostri XIX. saeculi eadem formula eosdem mortuis tributos esse honores. Ex. gr. in titulo Tiburtino (Morcelli V. 109. n. 230) praedicatori e societate Iesu posito legimus 'cui ordo splendidissimus funus publicum et laudationem decrevit' (anno 1802). Et (Morcelli II. 86) de presbytero doctore theologiae 'huic ordo Viterbiensis honorem decurionatus, imaginem in curia, funus publicum, laudationem, locum sepulturae decrevit' (a. 1779) cf. V. 119 n. 251 (a. 1792) V. 84 n. 189 (a. 1796) V. 122 n. 277 (a. 1810) V. 150 n. 312 (a. 1814). In schola sodalium Antoniniorum etiam anniversaria laudatio decernitur IV. p. 301 n. 231 (a. 1778). — Sine dubio hi lapides imitantur veteres et suspicio mihi orta est, num forte lapides veteres deletis nominibus denuo in honores hominum aevi multo posterioris usurpati sint. Sed hoc respicient quibus obtinget, ut lapides ipsos inspiciant.

VIII. De scriptis laudationibus.

Notum est ut alias orationes ita laudationes multas scriptas esse, primum sine dubio eas solum, quae habitae sunt, post etiam fictas. Saepissime laudantur loci Ciceronis et Livi, ubi queruntur talibus libellis vitiatam esse rerum historiam. Cicero enim in Bruto

1) Hi accusativi sermonem sapiunt plebeium.

2) Videtur aliquid omissum esse aut a lapidario aut ab iis qui descripserunt titulum. Cogita: „C. Picarius . . . . . filius honore usus impensam remisit."

(16. 62) „Et hercules hae quidem (laudationes mortuorum) exstant; ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam. Quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus, ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consul anno decimo post exactos reges fuit.“ Haec Ciceronis vituperatio, quae nobis statim incidit in mentem cum (de legg. II. 63) de Atheniensium funeribus legimus: „Sequebantur epulae, quos inibant propinqui coronati, apud quos de mortui laude quom quidquid veri erat praedicatum — nam mentiri nefas habebatur — iusta confecta erant“, in ore hominis novi et ipsius honoris cupidi levior forsitan videatur et nimis exaggerata; sed duo exempla ab aliis scriptoribus prolata rem comprobant. Livius cum agit de aliquo Fabio (VIII. 40) dubitationem suam excusat his verbis: „nec facile est aut rem rei aut auctorem auctori praeferre. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familiae ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa.“ Et quod maximi momenti est videmus auctorem saeculo uno antiquiorem et eum gravissimum L. Coelium Antipatrum in singulari aliqua re suum iudicium anteponere iis, quae in laudatione scripta erant; cf. Liv. 27. 27. 12 „Multos circa unam rem ambitus facerem, si quae de Marcelli morte variant auctores omnia exsequi velim. Ut omittam alios, Coelius triplicem rei ordinem ('memoriam' coniecit Luchs) edit, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione fili, qui rei gestae interfuerit, tertiam quam ipse pro inquisita ac sibi comperta adfert.“ Optime causas talium mendaciorum exponunt Cicero et Livius et rectissime comparat hic imaginum titulos, qui quam astute compositi sint docet elogium Marcelli (cf. Henzenium in C. I. L. I. p. 278). Cf. etiam Plinii l. p. 469 not. 2 laudatum.

Satis antiquis iam temporibus laudationes litteris mandatas et editas esse testatur generatim Cicero (l. l. Bruti), qui hos libellos inter vetustissima artis oratoriae exempla enumerat. In his erat laudatio Q. Fabii Maximi in filium habita cf. Plut. Fab. Max. 1. 5 διαςῴζεται γὰρ αὐτοῦ λόγος ὃν εἶπεν ἐν τῷ δήμῳ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ μεθ' ὑπατείαν ἀποθανόντος ἐγκώμιον cf. 24. 4 τὸ δ' ἐγκώμιον ..... αὐτὸς εἶπε καταςτὰς ἐν ἀγορᾷ καὶ γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκεν. Cf. Cic. Cato mai. IV. 12 ubi Cato dicit: 'est in manibus laudatio.' — Alteram novimus L. Metelli pontificis a Quinto filio laudati (a. 533/221); servatus erat hic liber ut videtur etiam Plinii aetate (cf. H. N. VII. 43) vel eius quem secutus est scriptoris. — Tertia laudatio scripta est Marcelli eius qui Syracusas cepit

a. 542/212 et mortuus 546/208 laudatus est a filio; quam Coelius Antipater legit (Liv. XXVII. 27. 12). Non dicitur definite, eam laudationem etiam habitam esse sed admodum veri simile est. — Diu etiam circumferebantur laudes P. Scipionis Aemiliani scriptae a C. Laelio, habitae a Q. Fabio Maximo anno 625/129. (Cf. p. 460 not 2.) Vidit eum librum auctor scholii Bobiensis ad Cic. pro Mil. VII. 2 et fragmentum servavit. — Scriptam esse apparet laudationem Iuliae a Caesare laudatae (686/68), cum Suetonius (Iul. 6) frustulum ex ea attulerit. — Cicero ipse testatur (ad Q. fr. III. 8. 5) se scripsisse laudes Serrani Domestici elati a. d. IX. Kal. Dec. anni 700/54, quas pater in funere pronuntiavit. Eas in publicum editas esse inde non colligitur nec magis verisimile est quam laudationem Claudii scriptam a Seneca in usum Neronis (Tac. ann. XIII. 3) editam esse. — Num Antonii laudatio in honorem Caesaris habita edita sit, non liquet. Cicero (ad Att. XIV. 11) scribit ille quidem: „Cum equidem contionem lego de tanto viro, de clarissimo cive, ferre non queo, etsi iam ista ad risum“ . . . ., Suetonius autem (cf. p. 456) narrat Antonium „perpauca a se verba addidisse“, quae edere vix operae pretium erat. Adde quod Cassius Dio admodum licenter orationem Antonii finxit, ut paene non possit credi genuinam in manibus hominum fuisse. — Ex laudatione Augusti in funere Marcelli dicta affert verbum Servius (ad Verg. Aen. I 712); etiam Plutarchum eam legisse apparebit infra (p. 484). — Denique Suetonius (Claud. I) refert Augustum Drusum, Claudii patrem, non solum pro contione laudasse sed etiam elogium tumulo eius versibus a se compositis insculpsisse et „vitae memoriam prosa oratione“ composuisse. Non ita falsum erit conicere hunc librum maximam partem cum laudatione congruisse (cf. Graffium p. 70).

IX. De libris affinibus.

Hae sunt quas novimus orationes funebres et dictas et scriptas editasque esse. Neque tamen nobis licet silentio praeterire eos libellos, qui laudationum forma induti easdem res quae iis conveniunt continent. Namque recte Cicero sensit hos tam arte cum illis cohaerere, ut in arte oratoria eodem loco sint tractandi. Cf. de orat. II. 84. 341 „Sed tamen quoniam est utendum aliquando (laudationibus) nonnunquam etiam scribendum . . . . vel ut nosmet ipsi ornandi causa Graecorum more si quos velimus laudare possimus, sit a nobis quoque tractatus hic locus.“ Nec minus recte ille hos libros cum Graecis confert; nam eiusmodi laudationum in Graecis exempla non modo commemorantur (ut ipse Cicero paullo ante nonnulla nominavit) sed etiam exstant. Memineris Xenophontis Agesilai, Isocratis Euagorae aliorum. Romanos tamen non sola imitatione Graecorum ad id genus litterarum videmus delatos, sed ab ipsorum more profectos quasi casu quodam ad idem pervenisse.

Namque antiquissima laudationum Romanarum quae non dictae sed scriptae tantum sunt exempla[1]) demonstrant scriptas esse laudes, si agnatis non liceret in funere contionari.[2]) Prima huius generis laudatio est Appi Claudi scripta a Bruto genero brevi tempore ut videtur post Appi mortem (a. 706/48). Constat enim (ex. gr. ex Lucano V. 195 seqq. et Val. Max. I. 8. 10 cf. Drumann II. p. 197. Meyer, orat. Rom. frgta. ed. 2. p. 448) Claudium in Graecia mortuum esse, ut funus eius Romae duci non posset. Nota autem est haec laudatio ex Diomede (G. L. I. p. 367. 27), qui fragmentum servavit. — Similis occasio origo fuit novi ut ita dicam librorum generis. Cum enim M. Porcius Cato Uticae ipse sibi mortem conscivisset, M. Brutus qui avonculum extra patriam mortuum sollemni funere laudationeque ornare non poterat, imprimis[3]) auctor fuit Ciceroni ut „laudem Catonis" scriberet. Quaenam fuerit causa cur non statim ipse ut in Appio Claudio hoc negotium in se susciperet, nescimus. An putavit Ciceronis librum maioris fore momenti quam a se conscriptum an praevidit hunc libellum non mansurum sine responso et necesse fore ut alter conscriberetur? Ciceronis „laudem Catonis" formam orationis habuisse contra schol. Iuvenal. (VI. 338), quem apparet, cum de dialogo verba faceret, laudem Catonis confudisse cum libro de senectute, recte iam tutatus est Goettlingius (opusc. acad. p. 154) verbis Cremuti Cordi apud Tac. ann. IV. 34 „M. Ciceronis libro, quo Catonem coelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione velut apud iudices respondit", et nobis originem operis intuentibus per se liquet. Ceterum videtur Cicero neque materiem laudationis funebris valde egressus esse, nam Brutus demum, cuius liber de Catone plane aliam, magis politicam speciem praebuit, acta Catonis publica subtilissime licet non verissime — id quo Cicero admodum vituperat — tractare conatus est, cf. Cic. ad Att. XII. 21. 1 ex qua epistula discimus Brutum paullo ante librum in Attici officinam dedisse ut ederetur in publicum. Accedit quod Sulpicius Apollinaris apud Gellium (XIII. 20) de ipsis iis rebus quae grave aliquod laudationum funebrium caput explebant, de genere et maioribus, notitiam suam ad Ciceronis librum revocat. — Ipsius Bruti, M. Fadii Galli (ad fam. VII. 24. 2) libri de Catone, magis etiam Caesaris aliorumque „Anticatones" longius a nostra re

1) Errat Huebnerus qui Ciceronis laudem Catonis antiquissimum putat (Hermes I. p. 447).

2) Tale quid ipsos Romanos sensisse si non probat at illustrat Plinius (ep. VIII. 12. 5) qui quod recitationes Titinii Capitonis quibus tractaturus erat „exitus inlustrium virorum in his quorundam mihi carissimorum" audire cupiebat amico scribit: „Videor ergo fungi pio munere quorumque exsequias celebrare non licuit horum quasi funebribus laudationibus seris quidem sed tanto magis veris interesse".

3) Cicero orat. X. 35 „quem (Catonem) ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti et illius memoriam caram excitanti non parere nefas esse duxissem."

abscedunt, quamquam in Caesaris libro priore vitia quoque privata traducta sunt, ut demonstravit Goettlingius l. l. p. 160 sqq.

Propius autem ad ipsas laudationes funebres accedere videtur eiusdem Ciceronis liber de Porcia[1]) scriptus, quem ipse semper nominat „laudationem Porciae" (ad Att. XIII. 37. 3 48. 2). Quem cur Teuffelius (H. R. L.[4] p. 316) anno 703/51 scriptum esse contendat nescio. Commemoratur solis in his duabus epistulis anno 709/45 datis, ex quibus intellegitur Ciceronem eam paullo ante Attico ut ederetur misisse necdum omnium honoratorum virorum in manibus eam fuisse (XIII. 37. 3). Atticus autem Ciceroni nonnulla corrigenda proposuit, quibus demum correctis auctor voluit hanc laudationem dari Bruto et Domitio (XIII. 48. 2). Neque crediderim laudationem Porciae scriptam esse aut ante Catonis laudes aut viva etiam Porcia[2]), immo quantum nunc video Porciam anno 709/45 mortuam esse dico.[3])

Ad haec similiaque exempla videmus uno saeculo post totum genus litterarum procreatum excultumque esse. Vitas scribebant mortuorum et propinqui et amici licet haut ita multis innotuerint quos lugebant.[4]) Ita Seneca (consol. XVIII. 1. p. 235 H.) Polybium admonet ut se luctu liberet producendo fratris memoriam aliquo scriptorum monumento.[5]) Neque tamen ab hac una radice enatum

---

1) Catonis filia, Bibuli et Bruti uxore (cf. Ruehl, I. I. 121 p. 147 sq.).

2) Hoc autem necesse esset si, ut supra vidimus, anno u. c. 709 laudatio edebatur et Porcia a. 711 demum mortua esset quod adhuc vv. dd. credidisse videntur, cum epistolam Ciceronis (ad Brut. I. 9) consolatoriam putarent de morte coniugis datam (sic etiam Mommsenus [Hermes XV. 102. not. 2]). Quam epistulam quominus duobus annis ante scriptam dicamus impedit quod Brutus iam cum exercitu extra Italiam est. Quae cum ita sint quamquam concedo Ciceronis verba satis obscura optime quadrasse si consolaretur ob mortem Porciae, tamen quoniam mortuus vel mortua nullo verbo aperte significatur, nego hanc epistulam spectare ad mortem Porciae.

3) Laudatio Caesaris a Cicerone scripta, quae adhuc in nonnullis libris commemoratur (ex. gr. in Teuffelii H. L. R.[4] p. 316), fabula est et recte omissa in novissimis Ciceronianorum fragmentorum collectionibus. Fuisse talem librum qui putabant nitebantur interpretatione minime probabili epistulae ad Att. IV. 5. 1.

4) Quamquam Plinius (ep. VII. 31. 6) de huius generis libro dicit: „pulcrum istud (librum de vita amici) scribere et raritate ipsa probandum, cum plerique hactenus defunctorum meminerint ut querantur".

5) Complura exempla vitarum congessit L. Urlichs, de Tac. vit. et hon. Wirceb. 1879. p. 21. Antiquiores etiam Agricola sunt libri Aruleni Rustici de Paeto Thrasea, Herenni Senecionis de Prisco Helvidio scripti, quos Tac. (c. 2) quasi exempla sua commemorat. Notandum est posteriorem saltem rogatu Fanniae uxoris laudati compositum esse, quam antiqui animi feminam propterea in exilium relegatam esse testatur Plinius ep. VII. 19. 5. — Non incidit in simile atque hi viri periculum Plinius cum scriberet laudationem Cottii (cf. ep. II. 7) praecipue ut suum dolorem levaret et parentes consolaretur. Scripsit eam, recitavit, deinde cum parentibus communicavit ut adderent commutarent omitterent in libro, qui si quando placeret in publicum ederetur. (Plin. ep. III. 10.)

est hoc vitas scribendi studium; aliis quoque viis ad idem Romani pervenerunt nempe profecti a more sat antiquo litteris mandandi suas ipsorum res gestas, cuius principes quantum scimus sunt Scaurus et Rutilius Rufus. Deinde ut supra (p. 468) vidimus etiam Graeca ἐγκωμίων exempla Romanis non ignota manserunt. Ex his tribus rivulis coaluit mixtum aliquod genus, quod nullum iam certum antiquius exemplum accurate exprimit. Itaque nimium processit Huebnerus (in Hermae vol. I. p. 447) cum scriberet de Taciti Agricola „der Agricola ist wie ich glaube eine in buchmässiger Form publizierte laudatio funebris"[1]) recteque hanc opinionem impugnavere L. Urlichs (de Tac. vita et hon. Wirceb. 1868) et Guethling (de Tac. Agr. Liegnitz 1878) nec sine fructu composuit Urlichs (in Tac. vit. et hon. gratulatio Wirceburgensis 1879) ordinem rerum Iugurthae Sallustiani, Attici Nepotiani, Agricolae Taciteі. Hoc tamen Huebnero concedendum est, si in aliquo huius generis libro, certe in Agricola apparet laudationes funebres fuisse aliqua ex parte parentes biographiarum saeculis christianis valde adamatarum.[2])

X. De laudationibus Graecis et Christianis.

Restat ut laudationis funebris Romanorum duas propagines tangam breviter.

Per Romanos iuvenes, qui in Graecia philosophos et rhetores audiebant, et per Graecos philosophos et rhetores, qui aliquantum temporis Romae versati erant, laudatio funebris singulorum hominum sensim etiam Athenis Rhodi in aliis sophistarum rhetorumque scholis innotuisse et quicquid similis moris apud Graecos restabat resuscitasse et auxisse videtur. Aptam enim orandi exercitationem et demonstrationis occasionem praebebat. Tales declamationes etiam scriptae sunt, nonnullae nobis servatae. — Primum quod novi exemplum veri simile est Romae ortum esse. Est Dionis Chrysostomi Melancomas A, memorabilis oratio eo quod bonum quendam athletam, non propinquom aut magistrum praedicat. Dion exponit de εὐγενείᾳ, κάλλει, ἀνδρείᾳ, ἀθλήσει, κλέει, νίκαις, εὐψυχίᾳ, ἐγκρατείᾳ, σωφροσύνῃ aliis virtutibus. — Laudationem vere funebrem dixit Herodes Atticus (natus a. 103 p. Chr.) in magistrum suum mortuum Secundum (cf. Philostrat. vit. soph. I. 26. p. 225 ed. Didot.), in ipsum Herodem successor et discipulus Adrianus Tyrius (ibid. II. 10. p. 245 D.). Exstant duae P. Aeli Aristidis orationes funebres. Altera (ed. Dindorf. I. p. 126) 'εἰς Ἐτεωνέα ἐπικήδειος', habita ut videtur in funere publico a Cyzicenis in honorem nobilis

1) Cautius et rectius idem iudicat p. 441. — Non satis accurate hanc quaestionem tangit Asbach (Histor. Taschenbuch 1886. p. 69).

2) Memineris vitarum martyrum et sanctorum, quae a laudationibus non procul absunt.

iuvenis dato cf. § 1 'ἡ μὲν ἐπίδειξις οὐδαμῶς εὐτυχὴς οὐδὲ κατ' ἐλπίδας, ἀναγκαία δὲ τῆς τε πόλεως ἕνεκα καὶ τῶν οἰκείων τῶν Ἐτεωνέως καὶ προσέτι γε ἡμῶν αὐτῶν παραμυθίας' et finem orationis 'τάδε σοι τὰ παρ' ἡμῶν, τὰ δὲ λοιπὰ μελήσει τῇ πόλει κοινῇ.' Altera est ''Ἐπὶ Ἀλεξάνδρῳ ἐπιτάφιος' quam declamationem in honorem praeceptoris sui scriptam Aristides forma induit epistolae ad ordinem populumque Cotyaeorum datae. Notatu quoque dignus est locus Eunapii in vita Iuliani extr. (p. 485 ed. Did.): Εὐδοκιμᾶν δὲ καὶ αὐτὸς ἄγαν καὶ διὰ τῶν ὁμιλητῶν Ἀθήνησιν ἐτελεύτα μέγαν ἐπιτάφιον ἀγῶνα τοῖς ἑαυτοῦ παραδεδωκὼς ἑταίροις. — Inter has orationes referendus est etiam Libanii ille clarissimus ἐπιτάφιος ἐπ' Ἰουλιανῷ. Ceteras enumeravit Westermannus (quaestt. Demosthen. II. p. 42 sqq.).

Alterum genus quod ex Romanorum laudationibus funebribus originem ducit, sunt Christianae orationes funebres. De his fusius agere non licet; nemo tamen adhuc diligentius hanc provinciam tractavit. [1])

Non novi antiquius exemplum quam Constantini imperatoris, de quo Eusebius (in vita Constant. IV. 55 = II. p. 180 ed. Heinichen) Μνημονεῦσαι δ' ἄξιον ὡς πρὸς αὐτῇ γεγονὼς τῇ τοῦ βίου τελευτῇ ἐπικήδειόν τινα λόγον ἐπὶ τοῦ συνήθους διῆλθεν ἀκροατηρίου, in quo egit de immortalitate animi.[2])

Aetatem tulerunt nonnullae orationes episcoporum clarissimorum quarti p. Chr. saeculi, graece vel latine habitae aut in ipso funere ad tumulum vel in ecclesia, in qua corpus mortuum exponebatur, aut in anniversariis ad tumulum vel in ecclesia.[3])

---

1) Brevis est in hoc loco Binghamius (antiquitt. eccles. latine vertit Grischovius Halae 1729 tom. X. p. 59 sq.), brevior etiam Augustius (Handb. d. christl. Archaeol. Lpzg. 1837. III. p. 305). Sat prudenter et diligenter (legit etiam Kirchmanni librum de funebribus) inquisivit Io. Ern. Franzen (Antiquitt. circa funera et ritus veterum Christianorum autore I. E. F. V. L. cum praefatione I. Fabricii, Lipsiae 1713. p. 150—70). Inter ceteros dignus fortasse qui commemoretur est Binterimus (Denkwürdigkeiten der christkathol. Kirche, Mainz 1831. tom VI. 3. p. 435—43) quem secuntur novicii vv. dd. ut F. X. Kraus.

2) Quem Morellius (in edit. Parisina a. 1616) putat in Constantini filium minorem (occisum a. 340) scriptum esse epitaphium, iam Wesselingius (observ. var. lib. I. cap. 27) demonstravit non quadrare in Constantinum illum minorem. Auctorem huius μονῳδίας fuisse Georgium Gemistum Plethonem coniecit Frotscherus, qui eam edidit adnotationibus ornatam Fribergae 1855.

3) Tituli christiani, quos laudationes esse putat De Rossi, volgaribus illis formulis: VIXIT . ANNIS . etc. et universo argumento demonstrant se esse longiores solito titulos sepulcrales. Adde quod nullum ad contionem adlocutionis inest vestigium. Sunt autem hi:

Bulletino di archeol. crist. II. (1864) p. 34 inscripto inventa Romae in basilica S. Laurenti in agro Verano — „Lo stile del nostro elogio è quale s'addice ad un marmo del secolo IV°" de Rossi. — Lapis videtur dimidiatus esse.

Eius modi laudationes sunt:

Gregorii Nazianzeni in Caesarium fratrem habita brevi post terrae motum V. Id. Oct. 368 Nazianzi(?) cf. editionis Maurinorum (Paris 1778) vol. I. p. 195—216 —

'C]ui ria ce
qua]mqnam nul(l)um ab his sorte et cond[ici]one esse inmunem
liqu]ido constet, verum id nobis dolori est, quod rari exempli
fem]ina, in qua iustitia mirabilis, innocentia singularis, castitas
inc]onparabilis, obsequentissima in omnibus,
abs]tinentissima orbatis tribus lib[eri]s, qui una mecu(m) huic sepulcr[o]
prae]conia laudis eiusdem indiderunt, inmaturis
an]nis sit a nobis ad quietem pacis tr[a]nslata. Cuique pro vitae suae
tes]timonium sancti martyres aput deum et (Christum) erunt advocati.
Qu]ae vixit mecum inculpabiliter et cum omni suavitate
du]lcissime annis IV, mensibus quinque, diebus duodecim
im vixit.

2 'ab his' ex. gr. morbo et morte — 4 sermo obscurus fit eo quod in sententia relativa omittitur 'inerat', quod ponas ex. gr. post 'incomparabilis' — 6 'orbatis tribus lib[eri]s' dativus commodi. Lapis exhibet 'libins' et 'sepulcrq' — 8 'an]nis' ego 'hym]nis' de Rossi — Lapis habet 'trunslata' et notam Christi notam — 9 'advocati' explicavit de Rossi p. 35 — 12 hunc versum errore addidit lapidarius.

Roma sotteranea III. 243 sqq. 'alla metà del secolo IV° ed ai tempi in circa dell' impero di Giuliano' de Rossi. Lapis totus dilapsus ex plus L particulis recompositus est ita ut multae restent lacunae et unum fragmen, litteras 'or tu' exhibens, non possit suo loco restitui.

vi]xit annis XVII, menses III, [dies . . . .
prid]ie Kal . . . . [h]ora noctis sexta amotus animo [caelest]es videre [sedes
prop]er[ast]i . infelicissimo animo habui sem[p]er ego cr . . . .
opsaequentiae tuae nati mei contrarius tib[i . . . .
. . . . s innocent[iae tuae a]man[tes n]on h(a)bui lisquo ci[rca cura]m a [gebas
anim]o defecto amantes tuo[s pr]aecario vel iure [benig]nio[r cum]ulast[i
. . . . nunqua]m mea videri[t] mens mala quae non possit vivere. averti animo
timores de te n]on sperans te lucem karerae, quo[d] ego nunqua(m) vit[at]urus sum.
. . . . o carus orat[o] dominum tu[u]m, quod [ego] non mereor; uniter dominum
. . . . re prestes in oratio[n]is tuis, ut possit amartias meas in[du]lgere . Te in pacae.

2 suppl. de Rossi — 3 nam 'ego cr[edo' ? versus sequens videtur continere locum S. Script. — 5 medium suppl. de Rossi; finem et v. sequentem ego — 7. 8 ego dubitans suppl. — 9 puto nomen excidisse ante 'o'; '[si tibi fui in saecul]o carus' vel '[tu nunc de]o carus' de Rossi — 10 '[deprecemur . . . . et hoc pro tuo amo]re pr(a)estes' de Rossi. — 'oratio[n]is' ablativus plebeius. — 'amartias' alibi in Latinis litteris non legitur. Fortasse servatum erat Graecum verbum in translatione aliqua S. Script.

eiusdem in Gorgoniam sororem, habita inter 369—374 p. Chr. (ed. Maur. I. p. 217—232) —

eiusdem in Gregorium patrem, habita medio anno 374 Nazianzi (ed. Maur. I. p. 327—362) —

Ambrosii latina in Satyrum fratrem mortuum a 379 (cf. Ihm, stud. Ambros. p. 38), quae coniuncta cum altera die septimo ad tumulum de fide resurrectionis habita exstat = de excessu fratris libri II. —

Anno 381 mortuus Meletius episcopus Antiochenus variis epitaphiis laudatus est cf. Theodoreti hist. eccl. V. 8 (p. 404 ed. Gaisford.): Ὀλίγου δὲ χρόνου διελθόντος ὁ μὲν θεῖος Μελέτιος εἰς τὴν ἄλυπον μετέστη ζωὴν ὑπὸ πάντων τῶν λόγου μετειληχότων ταῖς ἐπιταφίοις ταινιωθεὶς εὐφημίαις. Inter eos erat Gregorius Nyssenus cf. Socrates Hist. eccl. IV. 26. (II. p. 544 ed. Hussey) ⟨Γρηγόριος⟩ καὶ ἐπιτάφιον εἰς Μελέτιον τὸν Αντιοχείας ἐπίσκοπον ἐν τῇ Κωνσταντίνου πόλει διεξῆλθε, cuius oratio exstat (ed. Paris. 1638. III. p. 587). Quinque annis post mortem Meletii die episcopi memoriali eum oratione laudavit Ioannes Chrysostomus.

Idem Gregorius Nyssenus die memoriali Basilii Magni fratris defuncti a. 379 (cf. Fabric. Bibl. Gr. IX. p. 117) orationem habuit (cf. Socrates Hist. eccl. V. 9. II. p. 588 ed. Hussey) editam in ed. Paris. III. 479.[1]) Laudavit eundem Basilium „μετὰ τοσούτους ἐπαινέτας ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ τὰ ἐκείνου σεμνύναντας" Gregorius Nazianzenus (or. XLIII. ed. Maur. I. p. 769—833) „in celeberrima Caesariensis Ecclesiae contione fortasse anno 381" (Maurini p. 769).

Duas imperatoriae domus feminas orationibus funebribus praedicavit Gregorius Nyssenus, Pulcheriam, Theodosii Magni et Flaccillae filiam, mortuam brevi ante obitum matris, et matrem eius defunctam a. 385 (ed. Paris. III. p. 514 sqq. et 527 sqq.).

Duos imperatores laudibus extulit S. Ambrosius: anno 392 (mense Aug. cf. Ihm. l. l. p. 38) Valentinianum praesentibus sororibus eius et die 26. Febr. 395 Mediolani Theodosium Magnum. Utraque exstat oratio.

Posteriores orationes funebres enumeravit Westermannus (l. l. p. 47) cf. Villoison. Anecd. Gr. II. p. 21 Fabric. B. Gr. IX. p. 760 sqq.

Hae omnes toto ordine et tenore aperte domonstrant conexum quendam cum laudationibus Romanorum funebribus.[2]) Atque secuntur hi episcopi praecepta antiqua rhetorum, licet nonnullis locis — rhetoricis scilicet locutionibus — ea reiciant. Conferas Gregor.

1) Laudationem Basilii habitam esse in aliqua ecclesia Cappadociae neque vero a Gregorio fratre ponit Usenerus (Religionsgesch. Untersuch. I. p. 248 not. 22).

2) Quamquam erat theologus qui orationes funebres a Christianis inventas esse scriberet; Romanos paganos semper noctu extulisse mortuos legere possis etiam apud Augustium (Kirchl. Altertüm. IX. p. 549).

Naz. or. VIII. 3 (ed. Maur. I. p. 219 E) ἄλλος μὲν οὖν πατρίδα τῆς ἀπελθούσης ἐπαινείτω καὶ γένος νόμους ἐγκωμίων αἰδούμενος, quo cum loco concinit id quod Hieronymus, cuius nonnullae epistulae admodum similes sunt laudationibus, dicit ep. LX. 8: „Haec praecepta sunt rhetorum ut maiores eius qui laudandus est et eorum gesta altius repetantur sicque ad ipsum per gradus sermo perveniat .... ego carnis bona non requiram ... ab eo tempore censemur ex quo in Christo renascimur."

XI. De argumentis laudationum.

Admodum varias res in laudationibus funebribus esse tractatas facile intelleges reputando quam variae fuerint hominum mortuorum fortunae et res gestae. Quibus autem regulis qui laudaverunt tam vastum campum permensi sint, optime perspicies ex verbis Ciceronis (de orat. II. 11. 46): „qui laudabit quempiam, intelleget exponenda sibi esse fortunae bona. Ea sunt generis, pecuniae, propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, formae, virium, ingenii et ceterarum rerum quae sunt aut corporis aut extraneae, si habuerit, bene iis rebus usum, si non habuerit, sapienter caruisse, si amiserit, moderate tulisse. Deinde quid sapienter is quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit aut tulerit." Quibuscum conferas quae leguntur ibidem II. 84. 342 „Perspicuum est igitur alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, divitiae ceteraque quae fortuna dat aut extrinsecus aut corpori, non habent in se veram laudem, quae deberi virtuti uni putatur; sed tamen quod ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda in laudationibus etiam haec sunt naturae et fortunae bona, in quibus est summa laus: non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae, ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse. (343) Virtus autem, quae est per se ipsa laudabilis et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes, quarum alia est alia ad laudationem aptior. Sunt enim aliae virtutes, quae videntur in moribus hominum et quadam comitate ac beneficentia positae, aliae, quae in ingenii aliqua facultate aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus iucunda est auditu in laudationibus. (344) Omnes enim hae virtutes non tam ipsis qui eas habent quam generi hominum fructuosae putantur. Sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae tenues ac pro nihilo putantur et in excogitando vis quaedam ingenii et ipsa eloquentia admirationis habent non minus, iucunditatis minus: ipsos enim magis videntur, quos laudamus, quam illos, apud quos laudamus, ornare ac tueri. Sed tamen in laudando

iungenda sunt etiam haec genera virtutum. Ferunt enim aures hominum cum illa, quae iucunda et grata, tum etiam illa, quae mirabilia sunt in virtute, laudari. (85.) (345.) Et quoniam singularum virtutum sunt certa quaedam officia ac munera et sua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude iustitiae, quid cum fide, quid cum aequabilitate, quid cum eiusmodi aliquo officio is qui laudabitur fecerit. Itemque in ceteris res gestae ad cuiusque virtutis genus et vim et nomen accomodabuntur. (346.) Gratissima autem laus eorum factorum habetur, quae suscepta videntur a viris fortibus sine emolumento ac praemio; quae vero etiam cum labore ac periculo ipsorum haec habent uberrimam copiam ad laudandum, quod et dici ornatissime possunt et audiri facillime. Ea enim denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi aut laboriosa aut periculosa aut certe gratuita. Magna etiam illa laus et admirabilis videri solet tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. (347.) Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis praemia, res gestae iudiciis hominum comprobatae; in quibus etiam felicitatem ipsam deorum immortalium iudicio tribui laudationis est. Sumendae autem res erunt aut magnitudine praestabiles aut novitate primae aut genere ipso singulares. Neque enim parvae neque usitatae neque volgares admiratione aut omnino laude dignae videri solent. (348.) Est etiam cum ceteris praestantibus viris comparatio in laudatione praeclara. De quo genere libitum mihi est paullo plura quam ostenderam dicere non tam propter usum forensem qui est a me in omni hoc sermone tractatus quam ut hoc videretis, si laudationes essent in oratoris officio quod nemo negat oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio effici non possit, esse necessariam." Cf. etiam Quintil. III. 7. 10—18 praecipue § 17 'tempus, quod finem hominis insequitur, non semper tractare contingit: non solum quod viventes aliquando laudamus sed quod rara haec occasio est ut referri possint divini honores et decreta et publice statuae constitutae'. Breviter Antonius in ficta oratione apud Cass. Dio. (44. 36. 1) argumentum laudationis funebris privatae sic componit: Εἰ μὲν οὗτος ἰδιωτεύων ἐτεθνήκει κἀγὼ ἐν ἰδιωτείᾳ ὢν ἐτύγχανον, οὔτ' ἂν πολλῶν, ὦ Κυιρῖται λόγων ἐδεήθην οὔτ' ἂν πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πεπραγμένοις ἐπεξῆλθον ἀλλ' ὀλίγα ἂν περί τε τοῦ γένους καὶ περὶ τῆς παιδείας τῶν τε τρόπων αὐτοῦ εἰπὼν καί πῃ καὶ τῶν ἐς τὸ κοινὸν αὐτῷ πεπολιτευμένων μνησθεὶς ἠρκέσθην ἵνα μὴ καὶ δι' ὄχλου τοῖς οὐδέν οἱ προσήκουσι γένωμαι.

Usitatum fuisse videtur post prooemium oratorem tractare gentem et originem mortui. Itaque in tribus illis per lapides nobis servatis laudationibus huius rei nec vola nec vestigium, cum omnium initia perierint. Veri simile est fragmentum servatum ex Caesaris laudatione in honorem Iuliae amitae habita dictum esse statim post exordium (cf. Graff, p. 67). In Ciceronis Catone accu-

rate expositum esse de maioribus et familia eius probat Gellius (XIII. 20). Augustus in laudatione Marcelli de eius Marcelli morte qui Syracusas cepit diligenter exposuit. Generis antiquitatem in oratione funebri Claudii scripta a Seneca habita a Nerone primo loco commemoratam esse testis est Tacitus (ann. XIII. 3). Atque nisi in laudationibus genus gravissimum caput fuisset, inutile sane fuisset quod Cicero narrat (Brut. 16. 61) „familiae (laudationes) servabant ad usum si quis eiusdem generis occidisset". Dignus qui commemoretur est etiam Hieronymus, cuius locum ex epitaphio Nepotiani petitum supra (p. 475) laudavimus.

Non prorsus concinit cum his exemplis antiquissimum et gravissimum de hac re testimonium Polybii (VI. 54): ὅ γε λέγων ὑπὲρ τοῦ θάπτεσθαι μέλλοντος, ἐπὰν διέλθῃ τὸν περὶ τούτου λόγον, ἄρχεται τῶν ἄλλων ἀπὸ τοῦ προγενεστάτου τῶν παρόντων (h. e. maiorum per imagines personatorum) καὶ λέγει τὰς ἐπιτυχίας ἑκάστου καὶ τὰς πράξεις. Sed tamen haud difficile est hanc discrepantiam removere. Concedendum enim erit Polybio antiquitus in fine orandi post laudes ipsius mortui maiores singulos enumeratos et laudatos esse; tamen etiam in principio debuit qui laudavit exponere de gente et origine mortui. Nec mirum quod nobis non servata est illa pars vel clausula laudationis[1]) quam Polybius describit, namque perspicuum est, eam in ipso quidem funere multum valuisse ad animos extollendos et consolandos, in scriptis autem laudationibus facile molestissimas repetitiones parturam fuisse, si uni cuique eiusdem gentis laudationi adderetur.

Post laudes generis enarrabant qui laudabant iuventutem mortui, institutionem, quando quibus muneribus et honoribus functus esset, quid in singulis exsecutus; deinde verba faciebant de moribus et ingenio mortui, de rebus privatis, praesertim de re familiari (cf. Plin. N. H. VII. 43. 129 in fragmento laudationis Metelli: 'pecuniam magnam bono modo invenire' cf. titt. Turiae et Murdiae[2])) sim. Cum feminae laudarentur, vices gerebant honorum publicorum matrimonia. Inter haec omnia non deerant luctus et consolationis formulae, quarum magna pars ut in titulis sepulcrorum et consolationibus admodum stabiles erant.

Finem faciunt plerumque exhortationes ad superstites et vota de mortuis vel de propinquis dicta.

---

1) Vestigia huius antiqui moris fortasse agnoscas apud Ambrosium. Is in fine laudationis Valentiniani Gratianum fratrem in coelo cum gaudio excipientem, in fine orationis in exsequiis Theodosii habitae propinquos eius imprimis S. Helenam laudibus extollit.

2) De re familiari etiam scriptores „de vita sua" non fastidiebant in libris referre cf. Val. Max. IV. 4. 11 (Peter, hist. R. frgta. p. 120) „M. autem Scaurus quantulam a patre hereditatem acceperit in primo libro eorum, quos de vita sua tres scripsit, refert."

XII. De arte et actione laudationum.

In elaborandis laudationibus funebribus Romanos artem aliquam posuisse recte sibi persuasum habet Graffius (p. 61—5) cf. p. 516 Taciti de Senecae laudatione iudicium. Quamquam praecepta ad ipsam hanc rem data non novimus Romana (sicut Graeca cf. p. 450) neque ea dare opus esse putat Cicero (de orat. II. 11. 44 „sed non omnia quaecunque loquimur mihi videntur ad artem et ad praecepta esse revocanda.“ 50 „Ergo . . . illa, quae saepe diserte agenda sunt et quae ego paullo ante, cum eloquentiam laudarem, dixi oratoris esse neque habent suum locum ullum in divisione partium neque certum praeceptorum genus et agenda sunt non minus diserte quam quae in lite dicuntur obiurgatio, cohortatio, consolatio; quorum nihil est quod non summa dicendi ornamenta desideret sed ex artificio res istae praecepta non quaerunt.“) Ex verbis Ciceronis de orat. II. 84. 341 „laudationes scribuntur ad funebrem contionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est“ non efficitur orationes funebres arte caruisse (nec recte Rudorffius ex animo Romanorum dicit l. postea l. p. 242 „langweilige Trockenheit eines Leichensermons“) immo Cicero dicit non decuisse artem laudatoris plausu comprobare ac laudare.

De actione harum orationum a Quintiliano nil discimus nisi quod per se intellegitur; dicit XI. 3. 153 „funebres contiones, consolationes, plerumque causae reorum (deorum B) tristes atque submissae“.[1])

XIII. Exempla habitarum laudationum secundum tempus digesta.

Laudati sunt:

? a. 245/509 Brutus a Valerio Dionys. Hal. A. R. V. 17 Plut. Popl. 9. 7 auct. de vir. ill. urb. Rom. 10 Ioh. Lyd. I. 33. p. 145. cf. supra p. 455

a. 274/480 C. Manlius Cincinnatus et Q. Fabius a M. Fabio Vibullino Liv. II. 47. cf. supra p. 455

a. 284/470 Appius Claudius a filio Liv. II. 61 Dion. Hal. A. R. IX. 54

? a. 459/295 P. Decius a Q. Fabio Maximo Rulliano auctor de vir. ill. 27. cf. supra p. 455

a. 533/221 L. Caecilius Metellus a Q. filio Plin. H. N. VII. 43. 139

a. 546/208 Q. Claudius Marcellus a M. filio Liv. XXVII. 27

inter 547/207 et 551/203 (cf. du Rieu de gente Fabia p. 360)

---

1) cf. Dionys. τέχνη 6. 6 Ἡ δὲ ἀπαγγελία ποικίλη ἐν μὲν τοῖς ἀγωνιστικοῖς, συνεστραμμένη ἐν δὲ τοῖς ἐνδόξοις καὶ μέγεθος ἔχουσιν οἷον ὅσα περὶ ψυχῆς διῃρημένη καὶ μέγεθος ἔχουσα καὶ ἐγγὺς βαίνουσα τῆς τοῦ Πλάτωνος.

Q. Fabius Maximus a patre Cunctatore Cic. Cato mai. IV. 12 Plut. Fab. Max. 1. 5 24. 4

a. 625/129 P. Scipio Aemilianus a Q. Fabio Maximo Cic. pro Mur. 36. 75 schol. Bob. ad Cic. pro Mil. VII. 2. p. 283 Orelli

a. 652/102 Popilia a Q. Lutatio Catulo filio Cic. de orat. II. 11. 44

a. 676/78 L. Cornelius Sulla a τῷ κρατίστῳ εἰπεῖν τῶν τότε[1]) Appian civ. I. 105

a. 686/68 Iulia et Cornelia a C. Iulio Caesare Sueton. Caes. 6 Plut. Caes. 5

a. d. IX. Kal. Dec. 700/54 Serrani Domestici filius a patre Cic. ep. ad Q. fr. III. 8. 5

a. 700/54 Iulia, Caesaris filia, a propinquo quodam. Cass. Dio 39. 64

a. 703/51 Iulia, Caesaris soror, ab Octavio. Nicol. Damasc. Aug. 3 (= Fr. H. Gr. III. p. 428). Quintil. XII. 6. 1 Suet. Div. Aug. 8 cf. Drumann III. p. 767. N. 41 Weichert Aug. rell. p. 7 sq.

a. 710/44 C. Iulius Caesar ab Antonio Cic. ad Att. XIV. 10. 1 XV. 20. 2 Phil. II. 36. 90 Plutarch. Brut. 20. 2 Anton. 14. 3 Sueton. Iul. 84 Cass. Dio 44. 35 sqq.

a. 712/42 Caecilia ab Attico filio Nepos Att. XVII. 1

a. 721/33 Ti. Claudius Nero a Tiberio filio Suet. Tib. 6

a. 731/23 Marcellus ab Augusto Cass. Dio 53. 30. 5 Serv. ad Verg. Aen. I. 712

a. 742/12 Agrippa ab Augusto Cass. Dio 54. 28. 3 cf. Zonaras X. 54

a. 743/11 Octavia maior ab Augusto fratre Cass. Dio 54. 35. 4 et a Druso cf. Weichert Aug. rell. p. 118

a. 745/9 Octavia minor ab Augusto fratre Sueton. Aug. 61 at cf. Drumann IV. p. 235. N. 83

a. 745/9 Ti. Claudius Drusus ab Augusto et Tiberio Liv. perioch. 142 Tac. ann. III. 5 Sueton. Claud. 1 Cass. Dio 55. 2 cf. Consol. ad Liv. 209 sq.

a. ? Murdia L. f. a filio cf. C. I. L. VI. 10230

inter a. 746/8 et 752/2 Turia (?) a Q. Lucretio Vespillone coniuge cf, C. I. L. VI. 1527

a. 768/14 p. Chr. Augustus a Tiberio et Druso Sueton. Div. Aug. 100 Cass. Dio 56. 34 Zonaras X. 35 (II. p. 455 Ddf.)

a. 776/22 Iunia Cassii a propinquo quodam Tac. ann. III. 76

a. 777/23 Drusus a Tiberio Sen. cons. ad Marc. 15 Tac. ann. IV. 12 et a Nerone Zonaras XI. 2. C (III. p. 7 Ddf.)

a. 783/29 Livia Augusta a C. Caesare Tac. ann. V. 1 Suet. Calig. 10

a. 791/37 Tiberius a C. Caesare Sueton. Cal. 15 Cass. Dio 58. 28 59. 3

a. 792/38 Drusilla a M. Lepido Cass. Dio 59. 11

a. 808/54 Claudius a Nerone Tac. ann. XIII. 3 Suet. Ner. 9

---

1) Haud inepte Graffius (p. 60) eum fuisse Hortensium conicit.

a. 820/66 Poppaea a Nerone Tac. ann. XVI. 6
a. ? Iulia Procilla ab Agricola filio ? Tac. Agr. 7
a. 851/97 (cf. Klebs Rh. M. 44. p. 273sqq.) L. Verginius Rufus a Tacito Plin. ep. II. 1. 6
a. 873/119 a. d. X. Kal. Ian. Matidia ab Hadriano genero cf. C. I. L. XIV. 3579
a. 915/161 Antoninus Pius a M. Aurelio Antonino et L. Vero Iul. Capitol. M. Ant. phil. VII. 11
a. 947/193 ? Pertinax imp. a Servero Iul. Capitol. Pertinax 15 cf. Xiphil. epit. Cass. Dion. 74. 5. 1.

XIV. Fragmenta laudationum.

Perspicuum est ex laudationibus funebribus multa recepta esse a scriptoribus seu historicis seu qualibet de causa vitam viri illustris tractantibus (cf. Ciceronis et Livii locos supra p. 466 sq. laudatos et Perizonium, animadv. histor. ed Harless. p. 213 sq. Niebuhr R. G. II. 5. 224 Wachsmuth, ält. Gesch. p. 13sqq. Schwegler R. G. I. 16). Exemplo Plutarchi hoc demonstravit Graffius p. 76, cui alia addere facile est (ut Laelii laudes Scipionis Cic. Lael. III. 11sqq.). Sed praeterquam quod huius libelli fines collectio eiusmodi reliquiarum longe egreditur et pauca enumerare nec nobis neque aliis prodest, plurima dubia et incerta quin sint fieri non potest. Itaque satis habeo hic composuisse, quae apertis verbis laudationibus tribuuntur vel ipsa re in earum numero habenda esse cognoscuntur. Haec licet pauca sint tamen iis, qui quaestiones supra dictas tractabunt, optima erunt adminicula.

1. Laudatio L. Caecili Metelli habita a Q. filio anno 533/221.

Plin. H. N. VII. 43. 139: 'Q. Metellus in ea oratione quam habuit supremis laudibus patris sui L. Metelli pontificis bis consulis, dictatoris, magistri equitum, XVviri agris dandis, qui primus elephantos ex primo Punico bello duxit in triumpho, scriptum reliquit *decem maximas res optumasque, in quibus quaerendis sapientes aetatem exigerent, consummasse eum. voluisse enim primarium bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore uti, summa sapientia esse, summum senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere et clarissimum in civitate esse. haec contigisse ei nec ulli alii post Romam conditam.*'

l. 2 sq. Haec enumeratio admodum sapit elogium et re vera ad haec verba confictum est elogium (Gruter. p. 377 n. 4 Orelli 546), cum simile commemoraverit Dion. Hal. A. R. II. 66 cf. Mommsen in C. I. L. I. p. 282 — 2 pontificis 511/243—533/221 Cic. Cato mai. 9 — bis consulis 503/251 et 507/247 — 3 dictatoris a. 530/224 cf. Freinsheim ad Liv. XX. 46 — magistri equitum 505/249 — XVviri quando? — 4 triumpho a. 504/250 — 9 pecuniam . . . invenire cf. p. 477 — 10 multos liberos] tres filios Q. L. M.

2. Laudatio Q. Fabi Maximi habita a patre Cunctatore inter 547/207 et 551/203 (cf. p. 478).

Fragmentum apud Priscianum servatum (VIII. p. 380. 9. H.) „Fabius Maximus: *amitti quam apisci,* passive omnia sunt prolata“ recte in frgtis incertae sedis posuit Peter Hist. Rom. frgta p. 76. — Sed ex Ciceronis Catone maiore IV. 12, ubi Cato de Q. Fabio Maximo cunctatore narrat: „Multa in eo viro praeclara cognovi sed nihil est admirabilius quam quomodo ille mortem fili tulit clari viri et consularis. Est in manibus laudatio quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus?“ facile conicies fuisse in illa laudatione verba ex genere consolatorio.

3. Laudatio Q. Claudi Marcelli a. M. filio habita a. 546/208. Liv. XXVII. 27 „Multos circa unam rem ambitus fecerim si quae de Marcelli morte variant auctores omnia exsequi velim. Ut omittam alios Coelius triplicem gestae rei ordinem (‘memoriam’ coni. Luchs) edit: unam traditam fama, alteram scriptam laudatione fili, qui rei gestae interfuerit, tertiam quam ipsa pro inquisita ac sibi conperta adfert“.

Marcelli mortem copiose narrat Plutarchus (Marcell. 29. 30); idem commemorat filium rei gestae interfuisse 29. 5 ‘(Μάρκελλος) ἐξῄει τόν τε συνάρχοντα Κρισπῖνον παραλαβὼν καὶ τὸν υἱὸν χιλιαρχοῦντα καὶ τοὺς σύμπαντας ἱππεῖς εἴκοσι καὶ διακοσίους.’ — Quaenam fuerint variae illae de Marcelli morte fabulae non novi. Conicias Plutarchum sequi Marcellum filium vel potius Augustum cf. p. 483.

4. Laudatio P. Scipionis Aemiliani scripta a C. Laelio, habita a Q. Fabio Maximo a. 625/129 (cf. p. 460 not. 2). schol. Bob. ad Cic. pro Milone VII. 2 (p. 283 Orelli) „Super eius laudibus exstat oratio C. Laeli Sapientis, qua usus videtur Q. Fabius Maximus in laudatione mortui Scipionis, in cuius extrema parte haec verba sunt:
Quiapropter neque tanta diis immortalibus gratia haberi potest, quanta habenda est, quod is cum illo animo atque ingenio ⟨in⟩ hac civitate potissumum natus est, neque ita moleste atque aegre ferri quam ferundum est, quod nec morbo mortem obiit et in eodem

1 Quiapropter] recte contra Orellium, qui scripsit ‘quapropter’, tuetur Meyerus (oratt. Rom. fr. ed. II. p. 175) auxilio nisus Quintiliani, qui inter specimina antiqui sermonis affert quianam voculam (VIII. 3. 25) etiam nostris in fontibus interdum servatam. De ‘quianam’ cf. Lachmann. ad Lucr. p. 45. Neque ignoro ‘quianam’ apud antiquiores sensum interrogativom habere; sed quidni in ‘quiapropter’, licet sit ‘quia’ neutrum pluralis aut locativos, potuit teneri relativa radicis vis, quae coniunctionem causalem genuit? — 2 ⟨in⟩ addidit Maius. — 3 potissimum cod. — cf. Nepos Att. III. 3 „Igitur primum illud munus fortunae, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii“ — 4 quod nec morbo mortem obiit] ego. Scipionem insidiis necatum esse multi tradiderunt cf. Cic. Lael. III. 12 ‘quo de genere mortis difficile dictu est. quid homines suspicentur videtis’ cf. Cic. pro Mil. VII. 16. Vell. II. 4 — „quum eo morborum te movit“ cod. „eo morbo obiit“ Maius „eo morbo mortem obiit“ Orellius —

tempore oppetiit quom et vobis et omnibus, qui hanc rem p. | salvam volunt, maxime vivo opus est, Quirites."

5 „oppetiit" ego „petiit" cod. „periit" vulgo — quum cod. — 6 „opus esset" coni. Meyerus.

Eundem locum respicit Cicero pro Mur. 36. 75: „quem (divinum hominem Africanum) cum supremo eius die Maximus laudaret, gratias egit dis immortalibus, quod ille vir in hac re publica potissimum natus esset; necesse enim fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset".

5. Laudatio Iuliae habita a C. Iulio Caesare a. 686/68 Sueton. Iul. Caes. 6 „Quaestor Iuliam amitam uxoremque Corneliam defunctas laudavit e more pro rostris. Et (Sed codd. corr. Casaub.) in amitae quidem laudatione de eius ac patris sui utraque origine sic refert:

Amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum dis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Iulii, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges."

1 Iuliae Marii uxoris — 2 cf. Ovid. Fast. VI. 803 'Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco' cf. Val. Max. IV. 3. 4 Eckhel. D. N. V. p. 246 — 3 De Marciis Regibus cf. Plin. N. H. II. 31 Gell. XIII. 20. 10 — a Venere Iulii] Non recte huc rettulerunt Meyerus et Graffius Serv. ad Verg. Aen. I. 267 „occiso Mezentio Ascanium sicut I. Caesar scribit Iulum coeptum vocari vel quasi ἰοβόλον id est sagittandi peritum vel a prima barbae lanugine quam ἴουλον Graeci dicunt, quae ei tempore victoriae nascebatur" nam Caesaris verba a Suetonio servata demonstrant hoc loco non amplius de gente paterna actum esse. Rectius laudatur ut unus e multis qui hanc rem comprobant schol. Gronovianus in orat. pro Marcello p. 419 „Constat Caesarem se iactare a Venere esse natum" — 5/6 Apte confert Graffius: Hor. carm. III. 1. 5 „reges in ipsos imperium est Iovis" et Meinekii fr. com. IV. p. 11 δοῦλοι βαϲιλέων εἰϲίν, ὁ βαϲιλεὺϲ θεῶν, ὁ θεὸϲ ἀνάγκηϲ.

6. Laudatio Appi Claudi scripta a Bruto c. a. 706/48 Diomedes G. L. I. p. 367. 27 K. „amicio amicui, ut Brutus laudatione Appi Claudii

Qui te toga praetexta amicuit"

'de' codd. 'te' Putschius.

Hoc fragmentum huc revocavi quamquam haec laudatio non habita, modo scripta est cf. p. 469. Quod demonstravit contra Ellendtium Meyerus (oratt. Rom. frgta² p. 448), nam Appius a. 706/48 in Euboea insula mortuus est cf. Lucan. V. 195 sqq. Val. Max. I. 8. 10 Orosius VI. 15.

7. Fragmenta Catonis a Cicerone scripti et eiusdem laudationis Porciae collecta invenies in Cic. ed. Baiter-Kayser XI. p. 67 et 69 ed. C. F. W. Mueller IV. 3. p. 327 et 330.

8. (Laudatio?) Caesaris ab Antonio habita a. 710/44 cf. p. 456. Sueton. Iul. 84: „Laudationis loco consul Antonius per praeconem pronuntiavit senatus consultum, quo omnia simul ei divina atque humana decreverat, item iusiurandum, quo se cuncti pro salute unius astrinxerant; quibus perpauca a se verba addidit."
Cic. ad Att. XV. 20. 2 „ego, quo die audivi illum tyrannum in contione clarissimum virum appellari, subdiffidere coepi."
Cic. ad Att. XIV. 11 „Cum equidem contionem lego de tanto viro, de clarissimo cive ferre non queo, etsi iam ista ad risum."

Cassius Dio ut alias sic ne hanc quidem occasionem neglexit fingendi de suo orationem (44. 36—49), quae tamen minime spernenda est, cum nobis bonam laudationum imaginem reddat atque eam praeter Tiberi orationem (56. 34—41) unam integram. Plane diversa sunt quae Appianus (bell. civ. II. 144. p. 827 Mend.) Antonium dicentem inducit.

9. Laudatio Caeciliae ab Attico filio habita a. 712/42. Nepos Attic. XVII. 1.

„De pietate autem Attici quid plura commemorem? cum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suae quam extulit annorum nonaginta: *cum esset septem et septuaginta, se nunquam cum matre in gratiam redisse, nunquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope aequalem habebat.*"

4 cum ⟨ipse⟩ esset add. Dietsch — 'cum' mance cod. Wolfenbutt., 'esset' om. 'cum — LXX' om. cod. Haenelianus — Dietschium cum editoribus sequi non rectum puto; modo interpungas ante cum et verba „cum esset septem et septuaginta" adgnoscas Attici.

Admodum veri simile esse puto haec verba ab Attico in laudatione dicta esse, quamquam ipsa laudatio non commemoratur. Fortasse Nepos ea ita commutavit ut laudem matris faceret mutato subiecto laudem fili. — Nemodum eorum qui laudationes funebres tractavere, hunc locum respexit.

10. Laudatio Marcelli habita ab Augusto a. 731/23. Serv. ad Verg. Aen. I. 712

„devota vero de oratione Augusti translata locutio quam habuit in laudatione funeris Marcelli cum diceret illum *immaturae morti devotum fuisse*"

laudatione] translatione P — Haec varia lectio firmat suspicionem meam, verba Servi nunc mira turbata esse correctura, qua quis pro 'oratione' voluerit reponere 'laudatione'; hanc posteriores scribae falso loco in contextum intruserunt, cum antea fuerit „quam habuit in funere Marcelli".

Plut. Marcell. 30. 4 ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱϲτορήκαϲι· Λίουιοϲ δὲ καὶ Καῖϲαρ ὁ Cεβαϲτὸϲ κομιϲθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸϲ τὸν υἱὸν εἰρήκαϲι καὶ ταφῆναι λαμπρῶϲ.
Idem compar. Marcelli et Pelop. 1. 4 Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλοϲ

ὡς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν οὐδ' ἅπαξ ἐνίκησεν ἀλλ' ἀήττητος ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκιπίωνος· ἡμεῖς δὲ Λιουίῳ καὶ Καίσαρι καὶ Νέπωτι καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβα γενέσθαι.

Has de Marcello qui Syracusas cepit res tractasse Augustum in laudatione fili adoptati, id quod de priore loco primus dixit Heeren (de fontibus Plutarchi p. 124), de altero Weichertus (Aug. rell. p. 117) et Meyerus (orat. Rom. fr.^{2} p. 521), admodum probabilis est coniectura.

11. Laudatio Drusi ab Augusto habita a. 745/9. Sueton Claud. I. „cum Augustus tantopere et vivom (Drusum) dilexerit ut coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in senatu professus est: et defunctum ita pro contione laudaverit, ut deos precatus sit, *similes ei Caesares suos facerent sibique tam honestum quandoque exitum darent quam illi dedissent.*"

Haec verba Augusti fuisse in fine orationis recte Graffius p. 67 adnotat. 4 cf. Dionys. τέχνη 6. 4 ἀναγκαῖον παρακελεύεσθαι τοῖς παισὶ μιμεῖσθαι τοὺς ἑαυτῶν τοκέας καὶ ἐπὶ τὰ ὅμοια σπεύδειν. cf. Menander περὶ ἐπιδεικτ. 11 in fine τοῖς παισὶν ζηλοῦν τὰ τοῦ πατρός — honestum exitum] cf. Suet. Claud. I. „confestim initio consulatu atque expeditione repetita supremum diem morbo obiit in aestivis castris, quae ex eo Scelerata sunt appellata".

12. Laudatio Murdiae, aevi Augustei, a. incerti. C. I. L. VI. 10230. Magna tabula marmorea litteris optimis, in aedibus olim Rondinianis inventa, ubi adhuc servatur. Laeva pars deperiit. Ultimus etiam versus inferior deletus est, sed litterae certo adgnosci possunt. Edidit primus Winckelmannus, deinde Carolus Fea, secundum eius apographum Rudorffius (Abhandl. d. Berl. Akad. 1868. p. 220 sqq. inde etiam Zeitschr. f. Rechtsgesch. 9 [1870] p. 288 sqq.). Postea lapis iterum inventus et secundum eum inscriptio denuo edita est in C. I. L.

Ex rebus in titulo narratis non elucet, quonam tempore scripta sit; neque est cur Rudorffium sequamur, qui quod gens Murdia altero primi p. Chr. saeculi dimidio saepius commemoratur (l. l. p. 231—4) putat ei tempore eum tribuendum esse. Immo res orthographicae et grammaticae (apicum usus, i longae, genetivos 'liberum', ei diphthongi imprimis in dativis) evincunt, Murdiae laudationem revocandam esse ad Augusti aetatem. Sequatur conspectus orthographicus:

propriIs, meIs, dignIs virIs, meriteis, causeis, iustIs praecepteis, cetereis probeis feminIs
iudicI, meI, suI
sibI, mulierI (proprietati, ulli, mihi)
vIribus, fIlios, partItione, lIberalitas (liberos), fIdum, adquIrere, dIligentia, perIculorum.
quó (quo 9), patrimonio meó, hóc, opsequio (bis), iudicio, necessario, eó, lanificio, viro, testamento cónsilium
heredés, varietatés (omnes)
fidé 7. 28. fide 16
mé

féminárum
iús, iústIs, virtútis
íussu, úlli
consensú
reuocatá memoriá, eáque, suá, adhibitá, factá, eá, aliquá, contumeliá, propriá custodiá, boná famá, modestiá, pudicitia, dlligentia certás (nouas)
á, veritáte (varietatés, varietatibus), ámissum, máter, pár, probábilioraque, caritate
aút 30.
arduom 24 aestumatione 8 quom (praepos. 9; coniunct. 17. 20. 24)
discriptio 17 opsequio 15. 28 adqulrere 23
íussu 12 (at causeis 20)
praepositiones saepe non distinctae a nominibus suis cf. Commentar. in Turiae laud. II. 11.
Praeter punctum quod distinet singula vocabula in hoc titulo invenimus virgulam apicis formae, qua discernuntur commata sententiarum cf. Mommsen in C. I. L. VI. 2. p. 1354. Quam cum Rudorffius cum apicibus confuderit plane perversa de hac re profert. Pingitur haec interpunctio non supra sed inter literas, ut cum puncto coeat in signum ·′ interdum ubi punctum deest sola cernatur (sic 8 PRAELEGAVIT′ 28 FIDE′). Singularis est usus huius tituli et convenire videtur solo cum monumento Ancyrano praecipue eius appendice. Eadem virgula saepius quidem invenitur (non accurate rem exponit Christiansen in dissertatione Kiliensi 'de apicibus et i longis' 1889. p. 22) sed plerumque admodum licenter posita. Vicissim cum puncto verborum fines sequitur C. I. L. VI. 13713. 14210. 15065. 15104 semel in 2843. 13768. 14243. omnia vocabula separantur hoc signo in 7502. ipsa etiam verba dividuntur 13226 (FECI′T, QV′E, AGR′O) 15065. 2 (TI·CLAVDI′|O), 13713. 2. 3 (item in fine versuum APHRO′|DISIA, CONIVGI′ BE′|NEMERENTI′). Invenitur haec virgula praeter in lapidibus in papyro Herculanensi, quae exhibet 'carmen de bello Actiaco', edita a Scottio (Fragmenta Herculanensia Oxon. 1885). Ponitur ubicunque librario libitum est — nota res est signa interpunctionis apud Romanos saepius omitti quam poni — post finem coli, plerumque post versum, interdum intra eum (C. 7. E. 8. G 3. H. 6). Orthographia horum fragmentorum decet aevom Augusteum. Pictus est apex saepius (régina, ségnis, venénI, ést, déscendit — [th]a[la]mós, cónsiliIs — paratús, paratú, illúc) et praeterea notandum est non deesse i longas, id quod fugit Baehrensium (P. L. M. I. p. 213), immo interdum ex brevibus correctas esse (D_6 p]artIs, E_3 adInstantIs, 4 armIs F_2 cervIcibus 3 libIdine 7 pressIs).

Causam non subesse cur dubitemus, quin hic titulus exhibeat laudationem dicetur infra p. 495.

De personis in inscriptione notatis et de rebus iuridicis accuratius disputavit Rudorffius p. 242 sqq., hic breviter exponatur.

Verba facit Murdiae filius ex priore matrimonio susceptus. Murdia bis nupsit (non emancupata est); ex priore matrimonio filium, ex altero filios et filiam genuit. Maritus prior mortuus est, postquam Murdiam uxorem aut heredem scripsit aut partitione donavit. Murdia autem hac in re ita se gessit, ut filio, suo heredi, bona administraretur tantum, non sua putaret, ideoque testamento „reddenda“ filio „statuit, quae iudicio viri sui ex patrimonio“ filii „cepisset“ et

„certas res ei praelegavit". Praeter has possessiones etiam alias habebat Murdia sine dubio paternas earumque „omnes filios aeque fecit heredes, partitione filiae data" nec neglexit viro alteri certam pecuniam legare. Quo nomine iuris Murdia hoc testamentum fecerit nescimus; certe nisi L. Murdius pater eius iam obiisset, non poterat, debebat autem patre mortuo tutelam subire. Quem tutorem habuerit gentilemne an virum alterum non liquet.

Praeter hanc inscriptionem nullum exstat de Murdia testimonium. Tituli in quibus Murdiorum et Murdiarum mentio fit, composuit Rudorffius l. l. addas C. I. L. VIII. 10599 Reines. corp. VIII. 66.

C. I. L. VI. 10230.

laudatio] MVRDIAE · L · F · MATRIS
sed · propriIs · vIribus · adlevent · cetera · quó · firmiora
probábilioraque · sint
omnes · fIlios · aeque · fecit · heredés · partItione · filiae · data ·′ amor
maternus · caritate · liberum · aequalitate · partium · constat
viro · certam · pecuniam · legavit · ut iús · dotis · honore · iudicI · augeretur
mihi · revocatá · memoriá · patris · eáque · in cónsilium · et · fidé · suá · ad
hibitá · aestumatione · factá · certás · res · testamento · praelegavit′
neque · eá · mente · quo · mé · fratribus · meIs · quom · eorum · aliquá
contumeliá · praeferret ·′ sed memor · lIberalitatis · patris · meI
reddenda · mihi · statuit ·′ quae · iudicio · viri · suI · ex patrimonio
meó · cepisset ·′ ut · ea · íussu · suo · custodita · proprietati · meae resti
tuerentur
constitit · ergo · in hóc · sibI · ipsa · ut · á · parentibus · dignIs . virIs · data
matrimonia · obsequio ·′ probitate · retineret ·′ nupta · meriteis · gra
tior · fieret ·′ fide · carior · haberetur ·′ iudicio · ornatior · relinquere
tur ·′ post · decessum · consensú · civium · laudaretur ·′ quom · discriptio
partium · habeat · gratum · fIdumque · animum · in viros ·′ aequalita
tem · in liberos ·′ iustitiam · in veritate
quibus · de causeis · q. quom . omnium · bonarum · féminárum . simplex · sim
lisque · esse · laudatio · soleat · quod · naturalia · bona · propriá · custo
diá · servata · varietatés · verborum · non · desiderent ·′ satisque · sit
eadem · omnes · boná · famá · digna · fecisse ·′ et · quia · adquIrere
novas · laudes · mulierI · sit · arduom ·′ quom · minoribus · varieta
tibus · vita · iactetur ·′ necessario · communia · esse · colenda ·′ ne quod
ámissum · ex · iústIs · praecepteis · cetera · turpet
eó · maiorem · laudem · omnium · carissima · mihi · máter · meruit ·′ quod
modestiá · probitate ·′ pudicitia ·′ opsequio ·′ lanificio ·′ dIligentia ·′ fide′
pár · similisque · cetereis · probeis · feminIs · fuit ·′ neque · úlli · cessit ·′ vi
tútis ·′ laboris ·′ sapientiae ·′ perIculorum ·′ praecipuam · aút · certe
[*aequalem · gloriam · adsecuta · et · praeterea · in re · solitis · difficiliore · recto ·*
et · aequo · iudicio · usa · est ·]

9 FORVM lapis — 14 CONSTITIT correctum ex CONSTSTIT — 30 „aequalem · famam · adsecuta est ·" Rudorffius suppl. „nulli · secundam · memoriam · sibi · parans" Mommsenus. adscripsi mea cf. commentarium.

Commentarius.

1. Versus primus certo suppleri vix potest. Rudorffius proposuit DIS MANIBVS; sed obstat quod additur MATRIS, quod non est ex usu titulorum sepulcralium.[1]) Veri similius igitur est praescriptionem omnino recedere a forma volgari; conicies igitur in parte lapidis deperdita fuisse LAVDATIO. Fortasse nomen filii additum fuisse me monuit Buechelerus.

2. Quomodo prima sententia explenda sit non video. Rudorffii supplementum 'filiis praecepit ut bona sua non fiducia hereditatis (maternae) . . .' falsa temporum consecutione laborat. Mommsenus quod adnotat: „puta libertis maternis quiddam eum erogasse, quod ipsorum contributionibus ut augeatur desideret" nullo inscriptionis verbo comprobatur. Nonnulla ipse temptavi, nil placet.

4. *amor maternus*] 'animus maternus' Ter. Heaut. IV. 1. 24 'notus in fratres animi paterni' Horat. od. II. 2. 6 'mens materna' Ov. Met. VIII. 498. cf. Phaedr. IV. 5. 7 'harum (scil. trium filiarum) matrem fecit heredem senex sub condicione, totam ut fortunam tribus aequaliter distribuat'. — *partitio*] de hereditate primum apud Cic. de leg. II. 20. 53 'partitionis caput scriptum caute'. Communi sensu de or. I. 6 'aequalis praedae partitio'. Cf. Cic. pro Caec. V. 15 'cum praesertim pecunia ex partitione deberetur nusquam posse eam melius collocari'.

5. *liberum*] Mon. Ancyranum praebet praeter 'denarium, nummum, sestertium, triumvirum(?)' tantum 'deum' IV. 7. 17. VI. 33 'oppidum' Sulpic. ap. Cic ep. fam IV. 5. 4 (a. 709/45). Nullum in Turiae laud. exemplum. — *caritate liberum*] cf. T. Manlium apud Liv. VIII. 7 'ingenita caritas liberum'. Cic. Brut. I. 12. 2 'ut caritas liberorum amiciores parentes rei publicae redderet'.

6. *ius dotis*] hoc erat marito si pater uxoris mortuus erat aut quinque ex matrimonio liberi exstabant. Ulpian. VI. 4: 'Mortua in matrimonio muliere dos a patre profecta ad patrem revertitur quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. quod si pater non sit, apud maritum remanet'. — In Murdiae virum utrumque videtur cadere. — *honore iudici*] scil. in testamento scripti cf. lin. 11. 16. Comparari potest Sen. de benef. IV. 11 'nunquam magis iudicia nostra torquemus quam ubi remotis utilitatibus solum ante oculos honestum stetit i. e. in testamento faciendo' cf. de ira II. 7. 3 'alius iudicia patris accusat quae mereri satius fuit'. Iustin. V. 11 '(Dareus) regnum Artaxerxi Cyro civitates . . . testamento legavit. Sed Cyro iudicium patris iniuria videbatur'. — Ipsa testamenta etiam nominabantur 'suprema iudicia' cf. Val. Max. VII. 7. 4 Quint. VII. 3. 92 Plin. ep. VII. 20. 7 Sueton. Aug. 66 nude 'iudicia' apud iuris con-

1) At cf. C. I. L. VIII. 1319 Cibberciae [F]o[rt]un[at]ae matri.

sultos cf. Rudorffium Zeitschr. f. Rechtsgesch. 9. p. 300 not. 25. — *honore legati*] saepius apud ICtos.

7. *revocata memoria*] revocare memoriam non invenitur nisi apud Sen. de benef. V. 25 sensu plane alio: '(memoria) ad referendam gratiam admonitione revocanda est'. — *revocata memoria patris eaque in consilium et fide sua adhibita aestumatione facta praelegavit*] Constructio aspera sed rectissima „nam 'consilium' solet esse cum altero quolibet, recte memoria patris adhibetur in consilium, non item fides ipsius qui deliberat: observanda proprietas dictionis, inproprie nos 'ging mit dem Andenken des Todten und ihrem Gewissen zu Rat'" Buechelerus. Similiter inter duas stabilis cuiusdam locutionis partes additamentum hoc positu admodum acutum interponit Cic. ep. ad fam. I. 9. 24: 'me velim quam familiarissime certiorem et quam saepissime facias'. — Murdia dicitur iudicis modo quasi adsessorem audire memoriam coniugis prioris deinde fide sua rem diiudicare cf. Cic. Verr. II. 2, 70 'adhibitis in consilium, quos ablegarat'. Gell. XII. 13. 2 'ex istis aliquem peritis studiosisque iuris, quos adhibere in consilium iudicaturi soletis' XIV. 2. 9 'amici mei quos rogaveram in consilium' Plin. ep. V. 1. 5 'adhibui in c. duos'. — *fide sua*] cf. S. C. de Thisbaeis 12 'οἳ ἂν αὐτῷ ἐκ τῶν δημοσίων πρα[γμ]άτων καὶ τῆϲ ἰδίαϲ πίϲτεωϲ φαίνωνται' cf. 40; S. C. de philos. et rhetor. (Sueton. de cl. rhet. 1) 'uti ei e re publica fideque sua videretur'; S. C. de Asclepiade (lat. pars) 11 'u(tei) e(is) e r(e) p(ublica) f(ideque) s(ua) v(ideatur)'. — *aestumatione facta*] cf. Caes. B. C. I. 87 'militibus aequa facta aestimatione pecuniam pro his rebus dissolvit'.

8. *praelegavit*] verbum raro invenitur: C. I. L. IX. 5809: 'Hoc (monumentum) testamento fieri iussit sibi . . . ex HS ∞ ∞ praelegatis'. Val. Max. VII. 8. 4 'magna ex parte heres frater erat scriptus praelegabaturque ei centies et quinquagies sestertium'. Plin. N. H. 33. 38 'Piso Frugi filium ex privata pecunia donavit eamque coronam testamento praelegavit.' Digg.

9. *neque ea mente quo*] paene idem valet ac non quo. Haec libera constructio antiquitatem sapit; quamquam exemplum plane congruens non indagavi. 'Ea mente ut' cf. ad Turiam II. 34. Similis videri potest locus Plautinus Poenul. 523. 'An vero non iusta causast quo curratur celeriter'. Sic codd. Scaliger scripsit 'quin', Ritschelius et Brixius 'quor', eodem iure possis proponere 'qua' et 'quod' (cf. Aulularia 92 'ne caussae quid sit quod te quisquam quaeritet', ubi 'quo' legit Meursius in exercit. crit. p. I. p. 39 „e MS^{to}"). Interim teneo lectionem traditam. Alius generis est locus Livianus (XL. 26. 5): 'consules nisi confecto dilectu negare sese ituros nec suam segnitiem sed vim morbi in causa esse quo serius perficeretur'. Hic 'quo' non arte cohaeret cum 'causa' sed pendet ex „in causa esse", accedit quod sequitur comparativos.

12. *iussu suo custodita*] cf. Sen. ad Helv. XIV. 3 'tu liberorum

tuorum bonis plurimum gavisa es, minimum usa. tu liberalitati nostrae semper imposuisti modum cum tuae non imponeres. tu filia familiae locupletibus filiis ultro contulisti. tu patrimonia nostra sic administrasti, ut tamquam in tuis laborares tamquam alienis abstineres'. *proprietati*] sensu abstracto ut possessio invenitur non ante Sueton. Galb. 7 'at in iure dicendo cum de proprietate iumenti quaereretur'. Iustin. II. 7. 7 'Inter Athenienses et Megarenses de proprietate Salaminae insulae prope usque interitum armis dimicatum fuerat'. et saepius apud ICtos.

14. *a parentibus*] Recte Rudorffius l. l. p. 243 adnotat e iure filiam a solo patre marito dari. Sed haec laudatio licet occasione data res iuridicas tractet non est documentum iuris ideoque in hac re magis sensus sequi potest quam ius. Ipse Rudorffius iam contulit Catull. 62. 60 sq.

'at tu ne pugna cum tali coniuge virgo,
non aequomst pugnare, pater cui tradidit ipse,
ipse pater cum matre, quibus parere necessest'.

17. *post decessum*] „Hinscheiden" Cic. am. III. 10 'amicorum decessu' tabul. Pisan. (C. I. L. XI. 1421) l. 15 'ex decessu [L. C)aesaris fratris eius'. Cetera quae novi huius significationis exempla recentiora sunt. — *consensu civium laudaretur*] i. e. ut ego laudationem haberem civesque meas laudes probarent. cf. Propert. IV. 11. 57 „maternis laudor lacrimis urbisque querellis defensa et gemitu Caesaris ossa mea." *discriptio partium*] Exemplum ex paucis illis quibus scribae et lapidarii recte distinxerunt „discribere" a „describere". cf. Buecheler Rh. M. XIII. p. 598 sqq.

18. *discriptio partium habet gratum fidumque animum*] cf. Sall. Cat. XI. 3 'avaritia pecuniae studium habet'. Cic. in Catil. IV. 4. 7 'Habere videtur ista res iniquitatem si imperare velis, difficultatem si rogas'. Cic. ad fam. X. 18. 2 'consilium quod habere posset obtrectationem'.

19. *aequalitatem in liberos*] i. e. sine dubio aequalem in omnes liberos animum („latius patet, etiam rationes partitionis comprehendit, 'Gleichmässigkeit'" Buecheler). Rarissima haec est huius verbi significatio (volgo aequitas); videtur tamen inveniri etiam Tac. ann. III. 26 in descriptione notissima originis imperii „at postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes ...." ubi aequalitas opponitur malae libidini, probro, sceleri. Hi duo loci satis etiam tuentur lectionem traditam in Cic. Laelio V. 19 „qui ita se gerunt, ita vivunt ut eorum probetur fides, integritas, aequalitas, liberalitas nec sit in eis ulla cupiditas, libido, audacia sintque magna constantia ..... hos viros bonos appellandos putemus", ubi Madvigius coniecit 'aequitas'. Cf. Seyffert ad h. l.

19. *iustitiam in veritate*] in causa vera scil. quod recte filio qui

verba facit aliquid praelegavit. — Cf. Cornific. ad Herenn. IV. 22 „haec tria proxuma genera exornationum ...... perraro sumenda sunt, quom in veritate dicimus, propterea quod non haec videntur reperiri posse sine elaboratione et sumptione operae; eius modi autem studia ad delectationem quam ad veritatem videntur accommodatiora."

20. *simplex similisque*] cf. 29 'par similisque'.

21. *naturalia bona*] Cic. pro Cael. V. 11 'qua in aetate nisi qui se ipse sua gravitate et castimonia et cum disciplina domestica tum etiam naturali quodam bono defenderet, quoquo modo a suis custoditus esset, tamen infamiam veram effugere non poterat'. Nepos VIII. 1. 3 'Primum Peloponnesio bello multa hic (Thrasybulus) sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc; quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri' idem XXV. 9. 1 'perpetua naturalis bonitas (Attici)' Bell. Alexandr. 12. „bonum naturale" est bona natura, bonus situs loci. — cf. laud. Turiae I. 30.

22. *desiderent, sit, sit*] coniunctivos modus post 'quod' et 'quia' videtur causam habere in antecedente 'quom' particula.

20 sqq. Inde a linea 20 usque ad finem fragmenti sequitur periodus quam ut recte exstrueret oratori ut homini satis sobrii quidem iudicii et sermonis at non ita versati in litteris non contigit. Quamquam non puto eum adeo ineptivisse ut voluerunt qui brevissime in fine suppleverunt „nulli secundam memoriam sibi parans" vel quod omnino constructionem corrumpit „aequalem famam adsecuta est". Sic enim comparativos „eo maiorem laudem ..... meruit" nil valeret. Itaque certum mihi videtur excidisse post „aut certe" longiorem atque eam gravissimam sententiae partem, nempe in qua id ipsum adiciatur, quod maiorem ceteris laudem Murdiae paraverit. Hoc potuit esse aliquid quod in priore nunc deperdita lapidis parte narratum fuerit; sin inest in iis quae servata sunt verbis, vix potest fuisse aliud nisi iusta inter duas familias bonorum distributio, quod exempli causa exprimere conatus sum. — Sed restat in protasi impedita conturbatio enuntiatorum quam non recte expedivisse mihi persuasum habeo eos, qui in C. I. L. adnotaverunt, post „esse colenda deesse verbum quale intellegitur".[1]) Immo „necessario communia esse colenda" aeque ac „fecisse" pendent ex „satis sit"; oblitus autem erat haec Murdiae filius et menti obversabatur verbum tale „constet", „appareat", ideo scripsit pro „communia coluisse" illa quae legimus. Sed videntur qui supplevere „intellegitur" omnino aliter interpretati esse verba „communia esse colenda" ita scilicet ut valeant: ei, qui mulieres laudat communia bona sunt praedicanda, ne quod amissum ex iustis praeceptis (scil. quae mulierum laudibus

1) Prorsus falsus est Rudorffius p. 250: „in dem Satze Zeile 25 steht entweder esse für sunt (!) oder necessario ist ein wunderlicher ablativus absolutus, zu welchem das Participium eines Verbums fehlt."

data sunt) cetera (quae laudator adfert) turpet. Quam interpretationem, etsi id ei favere videtur quod linea 27 a lapidario ἐκτέθειται, stare non posse intelleget qui accuratius locum perpenderit. Solent sane prominere eae tantum lineae quae sunt initia sententiae; sed cum etiam versu 4. (saepius in Turiae tit.) novum enuntiatum media linea incipiat, hoc loco quin propter nimiam periodi magnitudinem lapidarius sibi aliquid indulserit non est cur dubitemus. Verba igitur „communia colenda“ subiectum habent omnes mulieres et dicunt illis satis laudis esse communes bonarum feminarum virtutes coluisse. cf. Turiae laud. I. 33 cetera innumerabilia habueris commun[ia cum omnibus] matronis dignam f[a]mam co[l]entibus. cf. C. I. L. VIII. 1542 pr[ae]dicata reb(us) cunctis q[uib]us probantur femina[e.

20. *q. quom*] Rudorffius putat lapidarium errore primam particulae quom litteram duplicasse neque veri simile est Q. esse notam voculae (ex. gr. quippe). ('an voluit scriptor 'quomq(ue)' inverso notarum ordine?' Buecheler).

24. *arduom*] cf. Turia I. 37 tuom. — *varietatibus vita iactetur*] imago a navibus ducta. Cic. de invent. II. 31. 95 'nautae quidam cum adversa tempestate in alto iactarentur, voverunt ...' Verg. Aen. I. 667 'frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum litora iactetur odiis Iunonis iniquae'. Ov. Trist. III. 2. 15 'dum tamen et ventis dubius iactabar et undis'. Transfertur interdum ad aegrotos Lucr. III. 504 'haec igitur tantis ubi morbis corpore in ipso iactentur' Cic. Catil. I. 13. 31 'homines aegri ... quom aestu febrique iactantur'. — De sententia cf. Turiae laud. I. 35 sq.

26. *turpet*] sensu tralaticio quantum scio apud antiquiores Statio scriptores non invenitur nisi apud Ciceronem (frgta inc. 38 p. 410 C. F. W Müller) quem laudat Hieron. ep. ad Pamm. 66. 7 (I p. 398 A Vall.) „Egregie de Caesare Tullius: cum quosdam, ait, ornare voluit, non illos honestavit sed ornamenta ipsa turpavit.“

30. Non credo cum Rudorffio (p. 223. et 251) hanc inscriptionem 62 solum lineas habuisse. Aliquam exhortationem vel optatum in fine fuisse veri similius est.

30. *periculorum*] „i. e. periculorum quibus virtutem laborem sapientiam comprobavit“ Mommsenus.

13. Laudatio, ut videtur, Turiae primum integra quantum licuit edita est a Mommseno in Abh. d. Berl. Akad. 1863 p. 460 sqq. inde expressa in C. I. L. VI. 1527 nonnullis mutatis supplementis. Composita est ex quinque fragmentis quorum tria (a. b. c.) debentur apographis, duo (d. e.) adhuc in lapidibus exstant.

a) initia 41 versuum descripta ab

1) Suarezio cod. Vat. 9140. p. 134
2) Ughellio cod. Barb. 34. 73
3) anonymo cod. Barb. 30. 92

b) 10 medii versus (omissis duobus in lapide vacuis); descripsit Suarezius cod. Vat. 9140 f. 140 et minus accurate f. 141. Ultimus versus cum fragmenti a. decimo convenit.

c) 40 medii versus: descripsit (ipse?) Sirmondius (cod. Paris. 1417). Primus versus coniungendus est cum frgti a. duodecimo.

Haec igitur tria fragmenta efficiunt 52 versus, quorum primus et 42—52 in initio, omnes in fine, multi in medio mutili sunt.

Altera orationis pars nititur in duobus lapidibus (d. e) qui iam fracta tota inscriptione per aliquod tempus coniuncti fuisse videntur, deinde divisi sunt ita tamen ut medii inter se recte excipiant nisi quod nonnullae (2—4) litterae desunt. Servantur hodie in villa Albani.

In uno quoque versu videntur fuisse circa 65—75 litterae; servatas habes ex. gr. **63** I. 35 **62** II. 67 **65** I. 42 additis primis illis de quibus vix dubites. Ii versus qui initia ceterorum excedunt plerumque binis vel trinis proximos superant litteris. — Litterarum optimarum specimen vide apud de Rossium (Studi e documenti di storia e diritto Vol. I. 1880 tab. 2).

Res orthographicae et grammaticae demonstrant inscriptionem hanc esse aevi Augustei. Accuratiorem temporis definitionem vide infra p. 493 sq.

Adpono indicem orthographicum et grammaticum quem ut conficerem tituli partem I., quippe quae redeat ad apographa antiquiora, non advocavi nisi in rebus certissimis, neglexi ergo imprimis eius apices, i longas, verborum separationes.

repentinIs nu[nt]iis 5 tuIs consiliIs 6 contumeliosIs 17 exceptIs 17 tuIs 36. 56 dubiIs 45 tantIs 65 praesidiIs 65
AugustI 12 humI 14 meI 20 habendI 32. 44 tuI 50. 54. 60. 69 tranquillI 60
(patrimoni 36)
cogitantI 7 tIbI (sic!) 10 CaesarI 19 fécunditatI 31
ingredI 29 habuI 68
sIs 7. 29
fIda 7 cIve 12 lIvóribus 15 f]Iniebat 28 diffIdens 31 lIberos 35. 49 lIbe[ros 54 dIvertia 41 vIta 43 vItae 58 vIrés 63 relIquisti 55 speculatrIcem e[t p]ropugnátricem 61 perIc[ul]orum 18
sI 10. 27. 38
efficácIus (sic!) 19.

debeó 3 optó 69 cónstó 64 cónsecrat[am 57 nón 58 adeó 40 (ibidem adeo) veró 48 fató 42. 54 pácátó 25 e]látó 52 (túos 41) meós 55. 64 futurós lIberós 35 meórum periculorum 18 meritórum tuorum 24
dep]ónerem 32 nótesceret 18 órationis 67 (orationi 22) lIvóribus 15 prócédéns 28.

opés 2 pedés 14 vIrés 63 mánés 69
éruam 5 édicti 16 élocuta 33 érip[uit] 59 — défuit 28 dérunt 58

diffIdéns 31 prócédéns 28 d]oléns 31
[admone]rés 16 quaereres pararésque 35 adf[irm]arés 36 pararés 50
notésceret 18 repléta 15 féminis 29 fécunditatI 31 procédere 27
prócédéns 28.

spiritús 20 [cona]tús túos (sic!) 41 partús 50 sensús 55 fructús 58
statús 60 casús 64
inportúnam 20 fortúna 27 virtútibu[s 30 lúctumque 66 seiúnctum 38
(coniunćto sic! 9) supstitútá 53 tú 34

tuá 11 [cu]stodiá 20 patientiá 21 res[titut]á republicá 25 meá 31
notá concordiá nostrá 34 vItá 43 [diffi]dentiá 50 filiá ....
supstitútá 53
fámá tuá 58 — hác 19 — passá (falso) 7
terrárum 25
rapsáta 15 pácátó 25 separá[ti]onem 37 fátó 42. 54 firmá[bor] 58
trá[cta] 14 áctIs 59 propugnátricem 61 e]látó 52
inániter 2 salutáriter 10 efficáclus 19 orbitáte 31 cupiditás 44
necessitás 44 naturális 63 a[li]ás 28
á 1 ámisi 61

patriáe 1 (Marini) praéferam 24

coniunćto 9 passá 7 tIbI 10 efficáclus 19 túos 41 (EINIEBAT 28
EÁTÓ 42)

acerbissumum II. 11 fidissuma II. 43 ultumum II. 67 plurumis I. 42
firmissimo II. 15 simillimam I. 43 sanctissıma I. 9 (falsus igitur
est Mommsenus de hac re p. 465)
emancupata I. 16 legitumae I. 21
Cluvius I. 16. 47 II. 9 volneribus II. 17 tuom I. 37 quom (als)
II. 23. 49
cum (als) I. 4. 32. 42 cum (mit) semper. quoi II. 18 quoius I. 21
dIvertia II. 41 I. 27 vestras I. 44. 45. 46
benificio II. 12
adlevata II. 14 adfirmares 36 adquirendi I. 38
attingere II. 10
apsentis II. 12 supstitútá 53 opsequi I. 30 optinuisses I. 20
occurrente II. 58 succeptum I. 26
inminen[tia II. 5 inmortalitati II. 57 inportunam II. 20
conpertum I. 17 conlata II. 30 conlega II. 13

caussa II. 32 caussam I. 18
praecucurristi II. 54
necessest II. 40
aput · me II. 46
di II. 69
republicá II. 25 (rei · publicae Mon. Ancyr.)
dérunt II. 58
reccidisse I. 15
vocuamque II. 33
necutro II. 64
f[ors] · sit · an II. 29.

„Hac oratione laudari Turiam a Q. Lucretio Vespillone coniuge primus coniecit Philippus della Torre“ (eius disputatio expressa est apud Orellium II. p. 352 sqq.) „probavit Mommsenus (Abh. Berl. Ak. 1863. p. 477 sqq.). Vespillo, qui sub auspiciis Bibuli anno 706

navibus praefuerat Orici (Caes. B. C. III. 7), a triumviris proscriptus, cum per aliquod tempus periculosa fuga per agros vagatus esset, ad coniugem Turiam reversus ab eaque inter cameram et tectum cubiculi abditus tam diu latuit, donec a triumviris obtineret veniam, (Appian. civ. IV. 44. [II. p. 971 Mend.] Val. Max. VI. 7. 2 cf. d. e. 1 —21). Consul factus est a. u. c. 735 (Dio 54. 10 cf. App.). Nupsit ei Turia post annum 706, quo in Macedoniam profectus est Lucretius (a. b. 14), ante annum 712, quo proscriptus est: in matrimonio autem cum remanserint per annos XLI (a. c. 28) Turiam mortuam esse apparet inter annos u. c. 746 et 52 (cf. Mommsen. p. 464).

C. Cluvium Mommsenus statuit esse praefectum Caesaris qui in Hispania nummos aeneos cudendos curavit (cf. Cohen p. 92. tab. 53 Mommsen Münzw. p. 654 n. 552 — ann. inst. arch. 1863 p. 75 C. I. L. I. p. 451) ad quem scripsisse putat Cic. ep. fam. XIII. 7, consulem designatum ab Antonio in annum 721 (Dio 49. 44. 3 ubi pro Λούκιον videtur scribendum esse Γάϊον) et licet non inisset anno 725 ab Augusto inter consulares adscriptum (Dio 52. 42. 4)" C. I. L.

Coniectura Torrii splendidissima licet non omnibus numeris dubitationem profliget tantam tamen habet veri similitudinem quantam in his rebus assequi possumus. Minus certa est definitio C. Cluvi, quae solo nomine et dignitate nititur; ex Mommseni dissertatione hoc solum pro certo concluditur Cluvios apud Dionem (49. 44 et 52. 42) commemoratos eosdem esse et Dionem falso praenomine usum.

Si concedimus Vespillonem hanc orationem in honorem Turiae in lapide insculpsisse non possumus non probare temporis definitionem a Mommseno prolatam. Recte praeter cetera hoc quoque dixit (p. 464 not. 4) non esse cur delinquamus numerum ex apographis constitutum XXXXI licet fractura eum dividat XX|XXI, ut possis de XXXI cogitare.

Altera deinde existit quaestio. Iam Mommsenus (p. 464) dubitavit num haec inscriptio re vera dici posset laudatio funebris. Quominus in hoc genere numeretur videtur obstare, quod in tam multis enuntiatis nullum est vestigium adlocutionis ad Quirites factae. Sane is, qui pro rostris laudationem funebrem habuit, non potuit non verba facere ad audientes et hoc usu venisse demonstratur Fabi Maximi laudatione Scipionis (N. 4 p. 481), laudatione Matidiae, exemplis illis laudationum quae posuit Cassius Dio (Antoni et Tiberi). Tamen hoc argumentum non sufficit, ut omnino negemus esse hunc titulum laudationem. Memineris quam saepe in ceteris exemplis et fragmentis ad ipsum mortuum verba fiant; ut fragmentum breve Bruti (N. 6 p. 482) Appium adloquitur, Appianus (b. c. II. 146) Antonium fingit verba ad Caesarem vertentem (cf. Cass. Dio. 54. 49. 3 in fine orationis Antoni), Tacitus Agricolae finem facit adloquendo socerum, Gregorius Nazianzenus secunda de defuncto persona utitur (or. VII. 16—17 XVIII. 40 XLIII. fin.), saepissime et longissime Ambrosius de fratre (de exc. Satyr. c. 6—8. 15—26.

31—41 etc.).[1]) Itaque opinor fieri potuisse ut Vespillo in initio laudationis, quod desideramus, adlocutus cum esset Quirites, rhetorica aliqua formula usus orationem converteret ad coniugem. Quod ne in fine quidem auditores commemoravit, hoc per se nos offendere vix potest, cum hoc ipso loco plerumque dicta sit votorum nuncupatio vel precatio vel simile. Haud me fugit has excusationes non valere ad comprobandum necessario titulum hunc continere ipsam laudationem; utut autem de hac re iudicabitur, hoc saltem teneo et argumenta tenorque clamant, verba tituli ad dicendum esse composita.[2]) Atque mihi hoc maxime ad veritatem accedere videtur quod pono: Vespillonem coniugem pro rostris e more laudasse, deinde cum vellet merita coniugis copiose lapidi mandare, ipsam laudationem pro hoc consilio aliquantum mutasse, imprimis nonnullas sententias in secundam personam transposuisse, ut titulorum sepulcralium usu convenirent (cf. ad laudat. frgtum 20.). Hoc illi in suis verbis licuit, non decuit Tiburtinos, cum laudationem Hadriani imp. lapidi inscribendam curarent. Si igitur concedimus Vespillonis orationem nos habere aliquantum mutatam, in hac re fortuna non peius nobis consuluit quam in plerisque orationibus veteribus, quas priusquam in publicum ederentur, constat correctas suppletas contractas esse. — Murdiae titulum cur negemus esse laudationem non habemus; agitur de matre in tertia persona et quod in fragmento brevi deest adlocutio nemini mirum videbitur. Ceterum Murdiae filius nonnullis locis laudationis morem tangit (cf. l. 17. 21).

---

1) cf. Ambros. de obitu Valentin. 1 'simul cum de ipso aut ad ipsum loquor tamquam de praesente vel ad praesentem mihi sermo sit'.

2) cf. anaphoras I. 16 qua .... [qua II. 38 nihil .... ni[hil II. 40 adeo me ex- .... adeo [me ex- .... Interrogationes quas dicunt rhetoricas: I. 30. 31 II. 4. 19. 22. 45. 48 Infinitivos II. 41 utinam I. 28 II. 51 ut] nominaverit I. 43 — Contraria ex te .... per te II. 49. omnia meruisse te neque omnia contigisse mi[hi ut darem] tibi II. 67 Paronomasiam speculatricem et propugnatricem II. 61 Alliterationes nec permane[re] inpromisso possum II. 62 maerore mersor II. 63 — Totus locus II. 63—66 Naturális dolor extorquet const[an]tiae vires etc. nil valet nisi si dicitur. — Neque obliviscendum est, Vespillonem ipsum bis sua verba nominare 'orationem' II. 22. II. 67.

C. I. L. VI. 1527.

a b [*quietam ruri apud parentes*

I. *degisti infantiam aemulata eo*]rum probit[*atem et remota a consuetudine hominum perdito*-
rum [*in custodia materna*] permansisti prob[*a*.
orbata es re[*pente ante nuptiar*]um diem utroque pa[*rente in villa a nefaria multi*-
tudine una o[*ccisis. per te maxi*]me cum ego in Macedo[*niam pro quaestore abissem,*
vir sororis tua[*e C. Cluvius in A*[fricam provinciam [*profectus esset, non mansit inulta*
mors parentum.
tanta cum industria m[*unere p*]ietátis perfuncta ef[*fecisti ultionem inquirendo*
vindicando, ut, si praes[*to fu*]iss[*e*]mus, non ampliu[*s ipsi praestituri fuerimus. sed*
haec habes communia cum [*s*]anctissimá feminá s[*orore tua*.
quae dum agitabas ex patria dom|ó propter custodia[*m vitae migrasti ad sororem. sumpto*
de nocentibus supplicio evest[*i*]gio te in domum ma[*tris meae contulisti ibique fida*
adventum meum expectast[*i* c
temptatae deinde estis, ut testamen [*tum patris*], quo nos eramus heredés, rupt[*um diceretur*
coemptione facta cum uxóre: ita necessario te cum universis pat[*ernis bonis in*

Varias lectiones non addidi nisi graviores: 2a DVM Don.— 6 TERMANS · ISTI Suar. 141 — 4b ΛECVM traditur — 6a PARENTIVM Barb. 30 — 7b EF Suar. — 8b ISSIMVS Suar corr. Mommsen — 10a extr. DO Suar. DAM Don. DOI Barb. 30 — 14a COEMTIONE Don. 598 COMPTIONE Barb. 30.

Supplementa: 1. 2 ego supplevi — 3 re[pente ante nuptiar]um Degenkolbius — pa[rente in penatium (rustica C. I. L.) soli]tudine Mommsen. pa[rente a nefaria multi]tudine Hirschfeld Wien. Stud. III. 265 [in villa] addidi; [in agro] Buech. — 4 o[ccisis. per te maxi]me Degenkolb — Macedo[niam abissem] Mommsenus; pro quaestore add. Buech. — 5 suppl. Mommsenus; addidi verbum — 7 m[unere p]ietatis . . . . ef[fecisti inquirendo et Mommsenus — m[unere es p]ietatis . . . . ef[flagitando inquirendo Huschkius Zeitschr. f. Rechtsgesch. V. p. 168 not. et C. I. L. — cf. commentarium — 8 praes[to fu]iss[e]mus Degenkolbius — ampliu[s praestitissemus · at] Mommsenus — 10 custodia[m pudicitiae (vinculi nostri Huschkius) sumpto] Mommsenus — 11 ma[terterae contulisti ubi] Momms. ma[ritalem etc. Huschkius, ma[tris meae . . . . ego et J. Dürr apud Hirschfeldium l. l. p. 265 — 13 suppl. Momms. — 14 pat[ris bonis in] Momms.

tutelam eorum qui rem | agitabant reccidisse, sororem omni[*no illius hereditatis*
fore expertem, quod ema|ncupata esset Cluvio. qua mente ista acc[*eperis, qua iis prae-*
sentia animi restiteris, et | si afui, conpertum habeo.
veritate caussam communem [*t*]utata es: testamentum ruptum non esse, ut [*pro parte potius*
hereditatem teneremus qua|m omnia bona sola possiderés; certá qui[*dem sententia*
te ita patris acta defensur|am, ut, si non optinuisses, partituram cum s[*orore te adfir-*
mares nec sub condicio|nem tutelae legitumae venturam, quoius per[*peram mentio facta*
esset (neque enim familia[*e*] gens ulla probari poterat, quae te id facere [*iure cogeret*)
nam etsi patris testamen|tum ruptum esset, tamen iis qui intenderen[*t rem, non esse id*
ius, quia gentis eiusdem n|on essent.
cesserunt constantiae tua|e neque amplius rem sollicitarunt. quo facto [*paternae*
pietatis in sororem, fide[*i*] in nos patrocinium succeptum sola peregisti.
rara sunt tam diuturna | matrimonia finita morte non divertio in[*terrupta, nam contigit*
nobis, ut ad annum XX|XXI sine offensa perduceretur. utinam vetust[*as tam eximia habu-*
isset mutationem vice m[*e*]a, qua iustius erat cedere fato maiorem.
domestica bona pudici[*t*]iae, opsequi, comitatis, facilitatis lanificiis tuis [*aptae, religionis*

28a AD om. Suar.

---

15 omni[um rerum] Momms. omni[s et legati et hereditatis] Huschkius — 16 suppl. Momms. — 18 ut [uterque potius] Momms. [pro parte potius] Rudorff. — 19 suppl. Momms. 'qui[dem constantia]' Siebourg. qui[ppe lege dixisti] Rudorff. — 20. suppl. Momms. — 21 per [legem in te ius non] Momms. per [legem agnatis ius] de Rossi p. 33 — 22 familia[e] gens ulla Momms. familia gens[ve] ulla Huschkius. familia | gens ulla de Rossi — [cogeret] Momms. 'iure' vel 'recte' add. Buech. [pati cogeret] de Rossi — 23 intenderen[t non esse id] Momms. intenderen[t nullum in te fore] de Rossi — 25 facto [reverentiae in patrem] Momms. [patris tui] ego [paternae] Buech. — 26 fide | in Huschkius (vel FIDE · IN vel FIDEIN interpretatus) — 27 suppl. Momms. — 28 vetust[um ita extremam sub]isset Momms. vetust[as tam eximia habu]isset ego. vetust[a consortio habu]isset Buech. vetust[a coniunctio solitam sub]isset Siebourg — 30 lanificiis tuis [adsiduitatis, religionis] Momms. 'tuis [paria, religionis' Siebourg 'tuis [probatae, religionis' Buech. cf. commentar.

a c
sine superstitione, o[*r*]natus non conspiciendi, cultus modici cur [*dicam? quid de tuorum cari-*
tate familiae pietate, [*c*]um aeque matrem meam ac tuos parentes col[*ueris nec minus*
illi quam tuis cura|verIs, cetera innumerabilia habueris commun[*ia cum omnibus*
matronis dignam f[*a*]mam co[*l*]entibus. propria sunt tua quae vindico, ac [*perpaucae in tempora*
similia inciderunt, ut t|alia paterentur et praestarent, quae rara ut essent [*mulierum*
fortuna cavit.
omne tuom patrimoniu|m acceptum ab parentibus communi diligentia cons[*ervavimus;*
neque enim erat adq|uirendi tibi cura, quod totum mihi tradidisti. officia [*ita par-*
titi sumus, ut ego tu[*t*]elam tuae fortunae gererem, tu meae custodiam sust[*ineres. itaque*
de hac parte omitta|m, ne tua propria mecum communicem. satis sit [*hoc*] mi[*hi breviter*
de sensibus [*tuis indi*]casse.
[*liberali*]tatem tuam c[*u*]m plurumis necessariis tum praecipue pietat[*e*] praesti[*tisti in*
cognatas. ut similes qu]is alias nominaverit, unam dumtaxat simillimam [*tui et omnino ae-*

31a SINE ISVPPERSPITIONE Barb. 30. — 38a AD · C Suar. Barb. 30. EO Don. EQ Marini — 38c QVIRENDI Sirmond. Q debet fuisse dimidiata — 40c inter SIT et MI chartae pars exsecta est duarum vel trium litterarum capax — 41a DE SENSIBVS Suar. IN Don. (ex sENsibus?) om. Barb. 30 — 42a . . . TATEM · TVAM · C . . . Suar. om. Don. Barb. 30 — 42c PRAECIPVE PIETATI Sirmond. PRAECIPVA · PIETATE mavolt Mommsenus, PIETATE accepi.

---

31 cur [memorem? cur dicam de tuorum cari]tate Momms. cur [dicam? taceo de tuorum cari]tate Buech. — 32 col[ueris eandemque requiem (quietem C. I. L.)] Momms. — 33 suppl. Momms. — 34 ac [praedico si qui in] Momms. A. B. A. l. l. ac [quorum pauci in] Momms. C. I. L. — meo supplemento 'tempora' addidit Buech. — 35 [hominum] add. Momms. [propitia] Siebourg — 37 et 38 suppl. Momms. — 39 sust[ineres' multa] Momms. sust[ineres · itaque] Buech. — 40/41 satis sit [hoc] mi[hi tuis] de sensibus [indi]casse Momms. — 42 [Liberali]tatem . . . . . praesti[tisti (Tuorum add. in C. I. L.)] Momms. — 43 [licet cum laude item qu]is Momms. in C. I. L.; in A. B. A. non suppleti sunt 43—45 init. — [tui] Momms.

quis laudibus dignam h]abuisti sororem tuam. nam propinquas vestras d[*estitutas auxilio circumventas arti*]ficiis domibus vestris apud vos educavistis; eaedem u[*t condicionem aptam famili*]ae vestrae consequi possent, dotes parastis, quas quid[*em a vobis constitutas comm*]uni consilio ego et C. Cluvius excepimus et probantes [*animum vestrum, ne toto patrimo*]nio vos multaretis, nostram rem familiarem sub[*ministravimus ac bona nostra illis*] in dotes dedimus, quod non venditandi nostri c[*aussa rettuli, sed ut illa consi*]lia vestra concepta pia liberalitate honori no[*s duxisse constaret exequi de nos*]tris.

cetera familiari merit]a tua praetermittenda [*sunt* . . . .

. . . . *iam ad gravissimum tuom facinus transeo quo me ex summo periculo servasti* . . . .

. . . . [*ne Caesar quidem gloriari potest,*

II. me · patriae . redditum · á · se, [*na*]m · nisi · parasses ·, quod · servar[*et vitam, accidisset, ut ille* inániter · opés · suas pollice[*ret*]ur ·. ita · non · minus · pietati · tu[*ae quam clementiae illius* me · debeó.

quid · ego · nunc · interiora [*no*]stra · et · recondita · consilia s[*ingillatim ex memoria mea* éruam ·? ut · repentinIs · nu[*nt*]iis · ad · praesentia · et · inminen[*tia pericula vitanda exci-*

---

44 d[ignas eius modi of]ficiis Momms. 'd[estitutas auxi|lio, circumventas arti]ficiis' ego, 'd]estitutas auxi|lio, opibus, of]ficiis, domibus vestris' Buech. — 45 eaedem u[t condicio|nem dignam famili]ae Momms. — 46 sqq. quas quid[em a vobis | constitutas comm]uni . . . . probantes [liberalitatem| ne vestro patrimo]nio . . . . sub[didimus | nostraque praedia] in dotes . . . . c[aussa rettuli | sed ut illa consi]lia . . . . no[s duxisse consta|ret exequi de nos]tris suppl. Momms. — 48. 'sub[ministravimus | ac bona nostra]' Buech. — 50 'sed quod illa consi]lia . . . . . honori no[bis esse putavimus exsequi de opibus nos]tris' Siebourg — 52 ego supplevi.

Ante II. Momms. adscripsit: Non minus enim tibi quam ipsi Caesari hoc debeo] — 1 PATRIÁE Marini, apex hodie latet — supplementa mediorum versuum sunt Fabrettiana, nisi ubi alios adscripsi auctores — servar[et etiam Caesar] Momms. — 2 suppl. Momms. — 4 [a]stra Germanus — s[ecreto pectoris] Mo. — 5 inminen[tia pericula admoni]tus Germanus — inminen[tia vitanda excita]tus Mo.

tus · tuIs · consiliIs · cons[*er*]vatus · sim ·, ut · neque · audac[*iora cum amicis meis moliri me*
temere · passá · sIs · et · mod[*es*]tiora · cogitantI · fIda · rece[*ptaculum abditum pararis*
sociosque · consilioru[*m t*]uorum · ad · me · servandum · d[*elegeris* · · · · · · *sororem*
tuam · et · virum · eius · C · Clu[*viu*]m · coniuncto · omnium · per[*iculo. finis mihi non sit, singula*
sI · attingere · coner ·. sat[*is si*]t · mihi · tIbIque · salutáriter · m[*e latuisse.*
acerbissumum · tamen · invI[*ta*] mihi · accidisse · tuá · vice · fatebo[*r, quod reddito iam non vili*
cIve · patriae · benificio · et · i[*ud*]icio · apsentis · Caesaris · AugustI, [*quom per te ipsam*
de · restitutione · mea · M · L[*epi*]dus · conlega · praesens · interp[*ellaretur, tu ad illius*
pedés . prostrata · humI · n[*on*] modo · non · adlevata · sed · trá[*cta es a comitibus, indignum in*
modum · rapsáta · lIvóri[*bus c*]orporis · repléta ·. firmissimo [*autem animo quom eum admone-*
rés · édicti · Caesaris ·, cum · g[*r*]atulatione · restitutionis · me[*ae dimissa es verbis eti-*
am · contumeliosIs · et · cr[*ud*]elibus · exceptIs · volneribus. pa[*tienter ferendo effecisti,*
ut · auctor · méorum · perIc[*ul*]orum . nótésceret · quoi · noc[*uit mox tua constantia.*
quid · hác · virtute · efficácIu[*s*]? praebere · CaesarI · clementia[*e locum et praeterea cum cu-*
stodiá · spiritús · meI · not[*a*]re · inportúnam · crudelitatem [*Lepidi conlegae egregia tua*
patientiá?
sed · quid · plura ·? parcamu[*s*] órationi ·, quae · debet · et · potest · e[*xsequi alia, licet verear, ut hoc sum-*
ma · opera · tractando · pa[*r*]um · digne · peragamus ·, quom · pr[*aesertim ego semper summae*

---

6 audac[ia abripi me] Mo. — 7 mod[era]tiora Fabr. mod[es]tiora Mo. — rece[ptacula pararis] Mo. — 8 me]orum Fabr. — d[ederis libertam] Germanus. d[ederis sororem] Ph. a Torre — 9 per[iculo non finiam] Mo. — 10 satis isti Fabr. SAT| |Í lapis; littera ultima potest esse I et t; sat[is]t vel sat[es]t Mo. sat[is si]t ego — m[e latuisse] Mo. — 11 invI[to] Fabr. corr. Mo. — fatebo[r reddito iam non inutili] Mo. [reddito me iam] Siebourg — 12 [quom per te] Mo. — 13 inter p[atres ageret tu ante eorum] German. interp[ellaretur et ad eius] Mo. — 14 trá[cta et servilem in] Mo. — 15 [animo eum admone]res Mo. — 16 me[ae auditisque verbis cor]am Mo. . . . . eti]am in C. I. L. — 17 pa[lam ea praeferres] Mo. — 18 noc[uit mox ea res] Mo. — 19 et 20 suppl. Mo. ego addidi 'praeterea' et 'Lepidi conlegae' — 22 e[xire ne exiliter maxi]ma Mo. — 23 pr[o documento] Mo.

meritórum · tuorum ·, o c[*ara!*], omnium · praéferam · titulum [*civis servati.*
pácátó · orbe terrárum · res[*titut*]á · republicá · quieta · deinde · n[*obis quoque et secura*
tempora · contigerunt ·. fue[*ru*]nt · optati · liberi ·, quos · aliqua[*mdiu spes nostra praevi-*
derat ·. sI · fortúna · procéde[*re · e*]sset · passa · sollemnis · inservie[*ndo nobis, quid utrique no-*
strum · défuit ·? prócédéns · a[*li*]ás · spem · [f]Iniebat ·. quid · agitav[*eris propter hoc quae-*
que · ingredI · conata · sIs · f[*ors*] · sit · an · inquibusdam · féminis [*sint prorsus incredibi-*
lia ·, in · te · quidem · minime · a[*dmi*]randa · conlata · virtútibu[*s tuis ceteris.*
diffIdéns · fécunditatI · tuae · et [*d*]oléns · orbitáte · meá ·, ne · tenen[*do te vigente iam aeta-*
te · spem habendI · liberos · [*dep*]ónerem · atque · eius · caussa · ess[*es, consilium diverti*
élocuta · es · uocuamque · [*do*]mum · alterius · fecunditati · t[*radere proposuisti non alia*
mente · nisi · ut · nota · con[*co*]rdiá · nostrá · tú · ipsa · mihi · d [*duceres uxorem et dignam con-*
dicionem · quaereres · p[*ara*]résque · ac · futurós · lIberós · t[*e materno amore amplexuram pro-*
que · tuIs · habituram · adf[*irm*]arés · neque · patrimoni · nos[*tri, quod totum adhuc inter nos*
fuerat · commune ·, separá[*ti*]onem facturam ·, sed · in · eodem[*quo antea arbitrio meo illud*
et · sI · vellem · tuo · ministerio [*fu*]turum ·. nihil · seiúnctum · ni[*hil separatum a meis te*
habituram ·, sororis · soc[*rusue*] · officia · pietatemque · mihi · d[*einceps praestituram.*
fatear · necessest · adeó · me · exa[*rsi*]sse ·, ut · excesserim · mente ·, adeo [*me extimuisse cona-*

---

24 tuorum . socius omnium Fabr. oc[ulis] Mo. — [vitae servatae] Mo. [civis servati] Hirschfeld. l. l. — 25 re[ddit]á Fabr. res[titut]á Marini — suppl. Mo. addidi 'quoque'. 'secura' pro 'felicia' Siebourg — 26 aliqua[mdiu sors invi]derat Mo. — 27 inseruie[ns quid utrique no]strum Mo. „si fortuna procede[ns e]sset passa sollemnis, inservie[ns votis neutri no]strum defuit" Huschkius p. 174 not. 5 — 28 suppl. Mo. 'procedens a[et]as' Siebourg — EINIEBAT lapis — 29 feminis [conspicua et admirabi]lia Mo. — 30 virtutibu[s tuis reliquis praetereo] Mo. — 31 [et · d] Mo. in A. B. A. et[d] C. I. L. — tenen[do in matrimonio] Mo. — 32 [p]ónerem? — ess[em infelix, de divertio] Mo. — 33 t in fine incerta — t[e tradituram non alia] Mo. — 34 fin. I in ipsa fractura apparet potestque haberi pro E — di[gnam con]dicionem Mo. — 35 p[rio]résque? · t[e communes pro]que Mo. — 36 nos[tri quod adhuc] Mo. — 37 eodem [arbitrio meo id] Mo. — 38 ni[hil separatum te] Mo. — 39 soc[rusve] Mo. soc[iaeve] Fabr. et Hirschfeld. l. l. p. 266 — ultima littera potest fuisse D aut P. — suppl. Mo. — 40 exa[cui]sse Fabr. exa[rsi]sse Degenkolb. — adeo [exhorruisse ac]tús Mo.

tús · túos ·, ut · uix · redderer · [*mi*]hi ·. agitari · dIvertia · inter · nos, [*ante quam discedendi nobis a f*]átó · dicta · léx · esset ·, poss[*e · te · a*]liquid · concipere · mente · quą[*re mea caussa desineres* esse · mihi · uxor ·, cum · paene [*e*]ⱡule · me · vItá · fidissuma · permaɒ[*sisses.*

quae · tanta · mihi · fuerit · cu[*pid*]itás · aut · necessitás · habendI · li[*beros, ut veterem nostram* fidem · exuerem · mutare[*m · c*]erta · dubiIs ·? sed · quid · plura? [*coniunx denique remansisti* aput · me · neque · enim · ceđ[*er*]e · tibi · sine · dedecore · meo · et co[*mmuni maerore et infelicitate* · poteram.

tibi · ueró · quid · memorabi[*lius*] · quam · inserviendo · mihi · ɸ[*mnino tui securam te studuisse,* ut ·, quom · ex · te · lIberos · hą[*b*]ere · non · possem ·, per · te · tamen · [*haberem, ut, quom tenereris diffidentiá* · partús · tuI ·, alterių[*s · c*] niugio · pararés · fecunditat[*em?*

utinam · patiente · utriusqų[*e · a*]etate · procedere · coniugium [*fortuna passa esset, donec elátó* · me maiore·, quod · iц[*sti*]us · erat ·, suprema · mihi · praesta[*res, antea vero ipse superstite* · te · excederem · orbitat[*e · f*[iliá · mihi · supstitútá.

praecucurristi · fátó ·, delegast[*i* ·] łmihi · luctum · desiderio · tuI · nec · lIbe[*ros mihi tui simulacrum* relIquisti ·, flectam · ego | ⱪuoque · sensús · meós · ad · iudicia · tu[*a.*

omnia · tua · cogitata · praescri[*p*]ta · cedant · laudibus · tuIs ·, ut · sint · mi[*hi testes, quo iure ego* desiderem ·, quod · inmort[*ali*]tati · ad · memoriam · cónsecrat[*um est sempiternam* ·

---

41 nos [antequam] Mo. — 42 EATO lapis cf. v. 28 — poss[em a]liquid Fabr. corr. Mo. — qua[re viva desineres] Mo. — 43 suppl. Mo. — 44 li[beros ut propterea] Mo. — 45 plura [remansisti] Mo. — 46 CEͶ /E ultimum fragmenti d) elementum de Rossi legit R, Mo. D. — ce[rt]e Fabr. ce[der]e Mo. — co[mmuni infelici]tate Mo. — 48 o[peram dedisse te] Mo. — extr. ultima littera potest esse C. G. O. Q. — 49 tamen [haberem et diffi]dentia Mo. — 51 coniugium [potuisset donec e]látó Mo. — 52 praesta[res antea vero super]stite Mo. pro „antea" „ego" Huschkius — 53 orbitat[e f]iliá Fabr. Mo. orbitat]i f[iliá Huschkius — in fine spatium vacat, item v. 66 — 54 nec lIbe[ros habentem solum vi]rum Mo. — 55 tu[a a te destinatam adoptans] Mo. tu[a a te destinatam tibi sufficiens] Huschkius — 56 mi[hi documento, quantopere ego] Mo. in C. I. L. mi[hi solacia neve ego nimis] A. Gercke Tirocin. philol. Bonn. p. 49 mi[hi solatio utque minus] Siebourg — 57 consecrat[am tradidi] Mo. in C. I. L. consecrat[um est omnium] A. Gercke l. l.

fructús · vItae · tuae · nón · dérunt [*m*]ihi ·. occurrente · fámá · tuá · firmá[*bor in omni periculo,*
doctus · áctIs · tuIs · resistam · fo[*rt*]unae ·, quae · mihi · non · omnia · érip[*uit, quod meis laudi-*
bus · crescere · tuI · memoriam · [*pas*]sa · est ·, sed quod · tranquillI · statús · e[*rat mihi, tecum*
ámisi ·, quam · speculatrIcem e[*t · p*]ropugnátricem · meorum · pericul[*orum habui. calami-*
táte · frangor · nec · permane[*re*] in · promisso · possum.
naturális · dolor · extorquet · const[*an*]tiae · vIrés ·, maerore · mersor · et · quibu[*s modo me firmavi,*
in · necutro · mihi · cónstó ·. repeten[*s p*]ristinos · casús · meós · futurosque · eve[*ntus pendens con-*
cido ·. mihi · tantIs · talibusque · pr[*aesi*]dIs · orbatus · intuens · famam · tuam · n[*on tam par pa-*
tiendo · haec · quam · ad desider[*ium*] lúctumque · reservatus · videor.
ultumum · huius · órationis · erit · omn[*ia*] meruisse · te · neque · omnia · contigisse · mi[*hi ut darem*
tibi ·. legem · habuI · mandata · tu[*a*] ·, quod · extra · mihi · liberum · fuerit ·, pr[*aestabo.*
te · di · mánés · tuI · ut · quietam · pat[*ia*]ntur · atque · ita · tueantur · optó.

---

58 firmá[tus animo et] Mo. — 59 érip[uit cum laudi]bus Mo. — 60 e[rat tecum] Mo. — 61 pericul[orum cogitans calami]tate Mo. — 63 quibu[s angor luctu taedioque] Mo. — 64 eve[ntus ab omni spe de]cido Mo. — 65 n[on tam fortiter pa]tiendo Mo. — 67 mi[hi ut praestarem] Mo. — 68 pr[aestabo] Mo. pr[o tuo arbitrio perficiam] Siebourg.

Commentarius.

I. 1. Exempli causa etiam haec fragmina supplere conatus sum. Incerta haec ut multa in omnibus quae adscripsi supplementis. Itaque etiam infra ubi certa causa non suberat reiciendi Mommseni verba retinui additis vel demptis nonnullis ne spatium vacet aut superetur, quamquam alia cogitari possunt ipseque cogitavi; sed operae pretium non est incerta incertis commutare.

I. 4. *in Macedo[niam]*] cf. Caesar. B. C. III. 7 'Erant Orici Lucretius Vespillo et Minucius Rufus cum Asiaticis navibus XVIII, quibus iussu D. Laeli praeerant, M. Bibulus cum navibus CX Corcyrae'.

I. 5. cf. Mon. Ancyr. I. 10 'Qui parentem meum [interfecer]-un[t, eo]s in exilium expuli iudiciis legitimis ultus eorum [fa]cin[us]'.

I. 7. Mommseni supplementum primum ipse in C. I. L. iam delevit ('effecisti' nullum sensum praebet, nam ut est particula consecutiva), substituit Huschkii. In hoc autem offendit 'es' vocula posita inter 'munere' et 'pietate'. Simplicissimum invenit Buechelerus.

I. 8. Spatium et ratio grammatica suadet ut Mommseni supplementum mutemus.

I. 9. *sanctissima femina*] cf. Cic. Phil. III. 16 — communia cf. lin. 26 'sola'. Ceterum cf. ad lin. 34.

I. 10. Propter duas temporis definitiones „quae dum agitabas" et „sumpto de nocentibus supplicio", quae inter se non congruunt, non secutus sum Mommsenum sed duo *verba* supplevi; quod addidi „ad sororem" hoc a veri simili non abest, nam audivimus sorores persecutionem interfectorum coniunctim agitasse.

I. 11. *evestigio*] unum efficit verbum; quamquam in hoc titulo etiam praepositiones cum nominibus in unum verbum coniunguntur (cf. ad II. 11). Sed ipsa praepositio ut in monumento Ancyrano (Mommsen ed. 2. p. 194) sic etiam in laud. Turiae semper scribitur ex (I. 10. II. 49).

I. 12 cf. Sen. ad Helv. II. 4 'avunculum . . . cum adventum eius exspectares amisisti.'

I. 13. *Temptatae estis*] Turia, quod rupto dicto testamento, in quo vix dubium est quin sponsus scriptus fuerit tutor, (cf. I. 39) in tutelam agnatorum ventura erat, soror, quod eius maritus tum nihil ex hereditate paterna accepturus erat. — Verbum 'temptare' hic transfertur ad aggressuram iuridicam ut alibi ad militarem (saepius apud Caes. ex. gr. B. C. III. 40 'simul ex terra scalis et classe moenia oppidi temptans' cf. Bell. Alex. 34 'Domitius nuntios confestim ad Pharnacem misit, Armenia . . . decederet neve occupatione belli civilis populi Romani ius maiestatemque temptaret') et ad morborum impetum (Caes. B. C. III. 2 'gravis autumnus . . . . omnem exercitum valetudine temptaverat'). — *quo nos eramus heredes*] Quinam heredes scripti fuerint in testamento patris, inter interpretes non convenit. Mommsenus censet

nos esse Vespillonem et Turiam, Rudorffius heredes fuisse Turiam tutore Vespillone et sororem. Mommseno adstipulatur Huschkius (Zeitschr. f. Rechtsgesch. V. 1866. p. 177 sqq.). Ego nullius sententiam probo et puto simplicissimam explicationem adhuc neglectam esse. Vel ex ipsorum verborum accurata interpretatione apparet illos nos oppositos esse iis quae ante nominatae essent „temptatae estis" i. e. Turiae et sorori. Nos igitur sunt Vespillo et Cluvius (cf. I. 8 fuiss[e]mus, [profecissemus] I. 26 fidei in nos I. 47 ego et C. Cluvius . . . I. 50. nos; opponuntur Turia et soror I. 44 sqq.). Cui interpretationi quid obstet non video. Pater Turiae (quibus de causis sic egerit, nescimus), filiarum maritum et sponsum heredes scripsit, ita ut non neglegeret ipsas legatis ditare (cf. I. 37, I. 48 ex quibus locis apparet sororibus propria fuisse peculia). Per se intellegitur, hoc in testamento Turiam, ut quae ex intestato una 'sua heres' fuerit, exheredatam esse. Etenim si testamentum ruptum esset, ab intestato heredes fuissent filiae. Una tamen ex iis non iam sua erat, quod emancupta erat Cluvio (I. 16); Turia igitur sola omnia bona accepisset. Optima autem filia patris sententiam adeo verebatur, ut etiam rupto testamento eam efficiendam sese curaturam esse profiteretur, nempe illis quibus pater aliquid promisisset id reddituram. In propinquo igitur est conicere supplendam esse lineam 20: „partituram cum s[criptis heredibus te adfir]mares"; sed opinor Mommsenum verum invenisse cum scriberet „cum s[orore]". Apparet enim patrem imprimis hoc spectasse ut pecunia ad duas filias perveniret, et quod Vespillonem Cluviumque heredes scripsit non id egit ut hi pecuniam possiderent sed ut filiae fructum haberent, id quod per leges facillime assequi potuit maritum et sponsum heredes faciendo. Itaque mirum nobis videri non potest quod Turia „patris acta defensura" nil dicit de ipsis heredibus, sed hoc tantum profitetur se cum s[orore] partituram, nempe omnes intellegebant hoc ipsum patrem in animo habuisse cum testamentum faceret sicut fecit (cf. lin. 15). — Haec mea interpretatio etiam superfluam reddit Mommseni coniecturam (p. 468) patrem Turiae legem Voconiam neglegere potuisse, quod incensus esset, quae opinio quam non veri similis sit iam Huschkius demonstravit (p. 177).

I. 14. *coemptione facta cum uxore*] Cur illa coemptio facta sit nescimus; factam esse post testamentum scriptum contendebant qui Turiam et sororem temptabant, Turia negabat. — Femina illa quacum coemptionem factam esse dicebant adversarii, una cum patre occisa erat (cf. I. 3); verisimile hoc quidem est, cum Turia una 'sua heres' fuerit (cf. I. 14. 19). False Mommsenum ex hoc loco conclusisse uxorem patris fuisse novercam Turiae Huschkius demonstrat p. 172 sq., nam coemptio potuit fieri cum uxore diu nupta. Falso tamen idem monet verba libere esse usurpata, non virum sed feminam facere coemptionem; immo secundum ius antiquius femina non potest iuris ullam actionem perpatrare: liberius igitur

Cicero et ICti locuntur cum dicunt „femina coemptionem facit". — „*te cum universis pat*[*ernis bonis in*] *tutelam eorum qui rem agitabant reccidisse*"]. De iure hereditario gentilium cf. legg. XII tabularum V. 5 'si adgnatus nec escit, gentiles familiam habento' et locos, quos Bruns (F. J. R.[5] p. 22) confert. Imprimis comparandi sunt Gaius (Inst. III. 9) Ulpianus (lib. sing. reg. 26) Paulus (Sent. IV. 8). Breviter refert Mommsenus (R. Staatsr. III. 28). Apertissimum huius iuris exemplum vide apud Cic. (in C. Verrem act. II. lib. I. 45. 115): „Minucius quidam mortuus est ante ipsum praetorem, eius testamentum erat nullum; lege hereditas ad gentem Minuciam veniebat" sqq.

I. 15 cf. 21. *tutelae legitumae*] cf. Rein. Privatrecht p. 537 sq. Agitur de tutela gentilium in qua erat femina post mortem patris vel viri nisi si testamento eius alius tutor dictus esset, quod a patre Turiae factum esse et Vespillonem nominatum supra exposuimus (ad I. 13) cf. Mommsen. p. 471 Rudorff. p. 479.

I. 16. *emancupata Cluvio*] cf. Mommsen. l. l. — Translate Plautus Bacch. 92 'mulier tibi me emancupo, tuos sum, tibi dedo operam'.

I. 18. *communem*] vel Turiae et sororis vel sororum et virorum.

I. 19. *teneremus*] sorores et viri, hi ipsam hereditatem, illae legata.

I. 22. *neque enim familia*[*e*] *gens ulla probari poterat quae te id facere* [*iure cogeret*]]: Mommsenus (p. 471) vertit: „ihrem Hause (familia) könne kein Geschlechts recht (gens) nachgewiesen werden" atque in adnotatione reicit translationem hanc: „es konnte von den petirenden Verwandten (familiae) die Geschlechtsgemeinschaft nicht nachgewiesen werden". Ex priore versione concludit „dafs die Gentilität überhaupt kein allgemeines Recht sei, sondern nur Anwendung finde auf diejenigen Familien, für die der Gentilitätsnexus besonders sich erweisen lasse." Sane a veri similitudine non abhorret inter plebeias gentes fuisse nonnullas in quibus ius gentilicium non valeret (quamquam Huschkius p. 185 sqq. hanc sententiam omnino non probat.) tamen non puto hoc cadere in Turiae gentem. Immo causa cur Turia tutelam recusat aperte dicitur I. 24 „quia gentis eiusdem non essent" (quae quidem verba per se non pugnant cum Mommseni interpretatione cf. p. 471 adn. 2) et verba supra laudata verti possunt: „es konnte keine gens der (scil. deiner) Familie nachgewiesen werden" h. e. nulli agnati exstabant. Turia igitur monet eos, qui rem agitabant, ut intellegant sibi ut qui non sint gentiles tutelae ius non esse. — Constat ius gentilicium paulatim evanuisse; singulae res non notae sunt. Tutela agnatorum lege Claudia sublata est cf. Ulp. frg. II. 8. — Paene idem atque ego intellegit Huschkius quamquam coniectura eius „familia gens[ve] ulla" non necessaria est. Eodem sensu legit de Rossi (Studi e docum. di storia et diritto I. p. 33 sqq.) „familia, gens ulla"; Mommseni genetivos rem accuratius significat. Recte autem dicitur 'gens ulla' cum idem valeat ac gentiles ulli.

I. 23. *qui intenderen*[*t rem*]] 'rem' addidi quod non novi exemplum usus neutrius.

I. 25. Mommseni supplementum cum propter spatium sustuli tum quod verbis „patrocinium succeptum sola peregisti" aperte demonstratur, Turiam non sua cogitata persecutam esse sed „patris acta defendisse". Pater testamento probaverat pietatem in sororem Turiae, fidem in Cluvium et Vespillonem; scilicet patre vivo iam inter omnes convenerat ut pater in modum supra expositum testamentum faceret. Melius meis verbum invenit Buechelerus, qui interpretationem meam probavit. Dubitabat num posset additum esse 'tuaeque'.

I. 26. Cum Huschkio (p. 184) revocare genitivom „fide" admodum dubito; plane non veri simile est eiusdem „fidein" — *sola*] cf. ad lin. 9.

I. 26. '*succeptum*'] Exempla huius verbi formae vide apud Neuium (Formenlehre II. p. 776). Praeter codicum vetustiorum testimonia legitur VOTO · SVCCEPTO C. I. L. III. 6423 (tit. Dalmatus I [?] saec.) et II. 136 (tit. Lusitanius). Posteriores demum grammatici finxere suo more differentiam sensus inter 'suscipere' et 'succipere' (cf. Caper p. 98. 5 Keil. 'succipimus ad animum et mentem refertur ut „succeptum perfice munus" [Verg. Aen. VI. 629], succipimus corpore ut „succipiunt famulae conlapsaque membra" [Verg. Aen. IV. 391]' similiterque Velius Longus p. 64_{16} Keil.), cum Servius recte ex suo fonte transscripserit '„succipiunt" antique, nam modo „suscipiunt" dicimus' (ad Aen. VI. 249 cf. ad I. 144).

I. 27., II. 41. *divertium*] traditur a codd. Cic. ep. II. 10. 2 ad Att. V. 20. 3.

I. 28. cf. Plin. ep. VIII. 5 „Grave vulnus Macrinus noster accepit. Amisit uxorem singularis exempli etiam si olim fuisset. Vixit cum hac XXXIX annis sine iurgio sine offensa." Saepe similia praedicant tituli sepulcrales. — Mommseni supplementum admodum claudicat; elicui ex vetust . . . substantivom quod sensu noto interpretor „consuetudo vetusta" cf. Cic. ep. ad fam. XI. 16. 2. XIII. 32. 2 vetustas et consuetudo Lael. 19. 68.

I. 29. *vice mea*] cf. II. 11 tua vice „meinerseits" cf. mutua vice, pari vice. — *iustius erat*] cf. II. 52 sententiae contritissimae nonnulla adpono exempla. Sen. cons. ad Marc. X. 3 'omnes ergo nostros et quos superstites lege nascendi optamus et quos praecedere iustissimum ipsorum votum est, sic amare debemus tamquam nihil nobis de perpetuitate immo nihil de diuturnitate eorum promissum sit.' C. I. L. VIII. 9437_3 'Et quas exsequias debebat nata parentI, has pater adversis cásibus ipse dedit.' Fronto de amisso nepote (p. 234 Nab.) 'dignius enim foret ipsum me ante obisse.' C. I. L. VI. 6986 'feci ego, quod decuit te mi fecisse puella funus et extructa inposui ipse pyra; me potius manes rapuissent Ditis avari.' Jordan, syll. inscr. for. Rom. (Eph. ep. III. p. 299 n. 138) 'quod a te mihi fieri, Cy[ri]lle, iniqua fortuna invidit, hoc ego tibi feci mater

infelicissima.' — Miro modo omnia perversa sunt in titulo, quem filius matri posuit C. I. L. VIII. 9513 'matri karissime, quod tu mihi vel [fratribus], quos myseros exorbatos reliquisti, debuisti facere. haec cum scriberem lacrimis atramentum temperavi'. Ambrosius de exc. Sat. I. 27. 'Haec tu frater mihi iustius exhiberes. Haec ego a te exspectabam, haec ego officia desiderabam.' cf. I. 7 'Par enim erat ut quibus indivisum semper fuit patrimonium facultatum non esset vitae tempus divisum: vel certe qui indistincta semper habuimus vivendi consortia non haberemus distincta moriendi.'

I. 30. Quod Mommsenus supplevit [adsiduitatis] propter rem grammaticam gravissimas dubitationes movet neque per spatium licet tot litteras addere. Siebourgii 'paria' non placet propter articulos sermonis insequentes; Buecheleri supplementum sensui optime satisfacit, dubito de spatio. cf. Murdiae laud. 21. — Quam saepe hae laudes repetantur in titulis sepulcralibus non opus est exemplis probare; ex libris unum satis sit nominasse Sen. ad Helv. XVI. 2 sqq. 'non potest muliebris excusatio contingere ei a qua omnia muliebria vitia afuerunt. Non te maximum saeculi malum inpudicitia in numerum plurium adduxit. non gemmae te, non margaritae flexerunt. non tibi divitiae velut maximum generis humani bonum refulserunt. non te bene in antiqua et severa institutam domo periculosa etiam probis peiorum detorsit imitatio. nunquam te fecunditatis tuae quasi exprobraret aetatem puduit. numquam more aliarum quibus omnis commendatio ex forma petitur tumescentem uterum abscondisti quasi indecens onus nec intra viscera tua conceptas spes liberorum elisisti. Non faciem coloribus ac lenociniis polluisti. nunquam tibi placuit vestis quae nihil amplius nudaret cum poneretur: unicum tibi ornamentum pulcherrima et nulli obnoxia aetati forma, maximum decus visa est pudicitia.'

I. 31. *sine superstitione*] 'superstitio anilis' Cic. div. I. 4. 7 nat. deor. II. 28. 70 dom. 40. 105. τερατείας γυναικώδους Polyb. XII. 24. 2. Cic. N. D. I. 42. 117 'non modo superstitionem tollunt in qua inest timor inanis deorum sed etiam religionem quae deorum cultu pio continetur.' de div. II. 78. 148 'Nec vero . . . superstitione tollenda religio tollitur.' cf. pro Cluent. 68. 194 Serv. ad Verg. Aen. VIII. 187. — De forma dicendi cf. Nepos Attic. XV. 1 eius comitas non sine severitate erat neque gravitas sine facilitate.

I. 31. *cultus modici*] cf. praeter Sen. l. supra l. Hieron. ep. 60. 10 'Cultus ipse provinciae morem sequens nec munditiis nec sordibus notabilis erat.' cf. C. I. L. VIII. 647. v. 12 'cultu neglecto corporis moribus se ornabat suis.'

I. 32. Cf. Cic. Lael. III. 11 'Quid dicam de moribus facillimis de pietate in matrem liberalitate in sorores bonitate in suos iustitia in omnes?' — [*nec minus*] cf. II. 2 — *aeque matrem meam ac tuos parentes col*[*ueris*] scil. eo tempore quo in domo eius versabatur.

Ex hoc versu supplevi I. 11 'ma[tris meae]', id quod certum esse puto. Idem invenit J. Duerr.

I. 33. *cetera innumerabilia habueris commun[ia cum omnibus] matronis dignam f[a]mam co[l]entibus* cf. Hieron. ep. 108. 17 'Verum haec possunt esse communia cum paucis.' Imprimis in laudationibus oratores hoc studuisse videntur ut nil nisi propria defuncti merita laudarent cf. I. 9 I. 26. 40 cf. Murdiae laud. 25 Hypereid. epitaph. II. 1 (p. 53 Bl.) 'ἄξιον δέ [ἐϲ]τιν ἐπαινεῖν (τ)ὴν μὲν [πό]λιν ἡμῶν τ(ῆ)ϲ προαιρέ[ϲεω]ϲ ἕνεκεν, τὸ προε[λέϲθ]αι ὅμοια καὶ ἔτι ϲε[μνό]τερα καὶ καλλίω τῶν [πρότ]ερον αὐτῇ πεπρα[γμέ]νων'. III. 21 (p. 55 Bl.) '[ἀλλὰ περὶ μὲ]ν τῶν κοινῶ[ν τῶν τῆϲ πόλ]εωϲ ὥϲπερ [προεῖπον] καταλείψω, πε[ρὶ δὲ Λεωϲθέν]ουϲ καὶ τῶν ἄ[λλων τοὺϲ λόγ]ουϲ ποιήϲομ[αι]'. Plin. Paneg. II. 'omnibus civibus enitendum reor ne quid de principe nostro ita dicant ut idem illud de alio dici potuisse videatur.' Cass. Dio 56. 37. 5 καὶ προϲέτι καὶ τῆϲ τύχηϲ τὸ πλεῖϲτον ὄντα καὶ μετὰ πολλῶν μὲν πολιτῶν πολλῶν δὲ καὶ ϲυμμάχων κατορθωθέντα καὶ κοινὴν πρὸϲ ἐκείνουϲ τὴν αἰτίαν αὐτῷ ἔχει 56. 37. 6 ἃ δὲ δὴ μάλιϲτα αὐτοῦ τε τοῦ Αὐγούϲτου ἔργα ἐϲτί ...... Ambros. de obit. Valentin. 23 'Haec mihi cum aliis communia. Illa privata quod ....'

I. 34. *propria sunt tua quae vindico*] cf. Hieron. ep. 108. 3 'Nos nihil laudabimus nisi quod proprium est.' 15. 'nunc virtus latius describatur quae ipsius propria est'. 127. 1 'nihil in illa laudabo nisi quod proprium est.' — I. 36 cf. Murdiae laud. 24 sqq.

I. 37. *tuom*] cf. Murdiae laud. 24 arduom. Nil simile in Mon. Anc. — *communi diligentia*] cf. 47 Ambros. de exc. Satyr. I. 39 'erat semper commune consilium.'

I. 38. Apte contulit Rudorffius Columel. XII. praef. 8 'in commune conspirabatur ab utroque (marito et coniuge) ut cum forensibus negotiis matronalis sedulitas industriae rationem parem faceret.'

I. 40. *mecum*] in Mon. Anc. IV. 50 'cum quo'. — Veri similius est 'tuis' fuisse post 'sensibus' cum ante fragmentum c) plerumque 16—20 litterae exciderint. — Possis quoque '[exi]mi[a quaedam] de sensibus [tuis indi]casse.'

I. 45. Meis acceptis supplementis offendit repetitio 'domibus vestris apud nos', nec tamen Buecheleri mutatio plane satisfacit.

I. 50. Sieburgii commentum 'quod ... honori no[bis esse putavimus' aperte pugnat cum verbis 'non venditandi nostri c[aussa'.

II. 1. Verba quibus Mommsenus initium sententiae constituit, abicienda sunt: subiectum debet esse Caesar propter „á · se" voculas. — Fortasse Vespillo brevibus verbis antea enarravit statum reipublicae ut postea II. 25.

II. 2. [*clementiae illius*] cf. II. 19. — Nolui cum Mommseno imperfecto „polliceretur" tribuere vim modi irrealis praeteriti, quod huic aetati non iam convenit. Praeterea 'servaret' absolute positum non satis dilucidum est.

II. 7. *PASSÁ.*] Christiansenus (de apicibus etc. p. 24) hic virgulam interpunctionis esse putat. Perperam. Apices et I longae errore positae licet rarae tamen adsunt in hac quoque inscriptione cf. II. 10 TIBI, II. 19 EFFICACIVS.[1]) Falso ponitur supra C pro V, II. 9 CONIVNĆTO, supra V pro O TV́OS cf. Ritschl. opusc. IV. 378 — is]TÍ quod idem ibidem affert non inest in Turiae laudatione, petitur a falsa lectione v. II. 10. T et Í in fractura non discernuntur.

II. 8. Libenter supplevissem 'd[elegeris sanctissimam feminam sororem] tuam' cf. I. 9 sed spatium refragatur. Lacunam significavi coniciens infuisse nomen. An excidit 'inter alios' simileve?

II. 9. *CONIVNĆTO*] cf. ad II. 7. — cf. Val. Max. VI. 7. 2 de Turia „non sine magno periculo suo".

II. 10. *satist*] coni. Mommsen. Rectius puto revocavi ad exemplum v. I. 40 'satis sit'; ibi quoque rhetorica omittendi formula his verbis concluditur. 4 litterae in media fractura desunt etiam II. 15. — *salutariter*] Cic. Brut. II. 8 '(armis) salutariter uterentur.' Bis ponit Plancus in epistulis (ad famil. X. 23. 2 s. me recipere X. 24. 2 s. aliquid cogitare).

II. 11. *INVI*[*ta*]] praepositio a nomine non disiungitur interpunctione cf. 29 INQVIBVSDAM 66 ADDESIDERIVM. Sic saepe in Mon. Ancyr. (I. 3 inlibertátem 10 inexIlium 17 inmunicipia II. 30 inqua III. 27 initaliá · aut · inprovincIs IV. 8 inpalátio 22 insolo 40/1 inci[r]co · aut · [i]nforo · aut · inamphitheatris. 44 inlongitudinem 53 ináede V. 7 inil[s · 35 ináfrica V. 42 inpenetrálI III. 35 adeos I. 17 exquibus II. 26 exitalia VI. 16 quó · promerito ... exempla ubi accedit adiectivom vel atributum: III. 9 inconsulátú · decimó 22 inconsulátú · meó · quárto VI. 13 inconsulátú · sexto IV. 5 incapitolio · Iovis V. 42 intemplo · Martis — inscr. 3 induabus. aheneIs · pIlIs II. 21 insaliáre . carmen VI. 15 insenátu[s populique Romani a]rbitrium V. 5 ineadem · ve[rba] V. 31 inid. re[gnum] — eódeminsolo IV. 4 quo · promerito IV. 16. (cf. Momms. ed. II. p. 190 not.) — Praepositiones semper monosyllabae sunt. Etiam in Murdiae laudatione (in qua errore punctum intercidit 10 SEDMEMOR et 12 MEAERESTI|TVERETVR consilio 25 NEQVOD) multa huius rei exempla: 7 inconsilium 14 inhoc 18 inviros 19 inliberos 19 inveritate 11 expatrimonio/meo; contra 14 a · parentibus 9 quom · eorum · aliqua · contumelia 17 post · decessum 20 quibus · de causeis 26 ex · iústIs · praecepteis. Non recte puto ex exemplis qualia sunt ináede Mon. Anc. IV. 53 inÁfrica V. 35 ápopulo C. I. L. IV. 3159 etc. concludit Christiansen (l. l. p. 23) apicem hic separare praepositionem et substantivom. Redarguitur iam ipsius exemplis 'ádministravit, ábesto' verbis.

1) ut in mon Ancyr. CIVÍCA VI. 17 SVMMA VI. 29 (app.).

II. 11—18. Sententiae constructionem a Mommseno constitutam probare nequeo. Mihi certum videtur arte coniungenda esse ut feci ea verba quae Turiae contumeliam continent „non modo non adlevata sed tracta [es]" etc. cum iudicio illo: „acerbissimum tamen invi[ta] mihi accidisse tua vice fatebor", id quod vix aliter fieri potest nisi 'quod' particula. Non sine gaudio video, opusculum meum retractans, Siebourgium amicum in schedulis comiter mihi missis sententias eodem modo conexum esse quo me, praeterquam quod novom enuntiatum volt incipere a 'livoribus', quae res dubia manet.

II. 12. *apsentis Caesaris AugustI*] cf. Cass. Dio 47. 20. 1 πράξαντες δὲ ταῦτα Λέπιδος μὲν αὐτοῦ τήν τε πόλιν καὶ τὴν ἄλλην Ἰταλίαν διάξων ὥσπερ εἶπον ὑπέμεινε, Καῖσαρ δὲ καὶ Ἀντώνιος ἐξεστράτευσαν. — *AugustI*]iam Philippus a Torre adnotavit, Caesarem cum Vespillonem restitueret nondum Augustum fuisse, tum autem cum Turia mortua esset. Iudicio et auxilio Caesaris nonnullos proscriptos servatos esse etiam cum ipse Romae versaretur narrat Cass. Dio 47. 7 sqq.

II. 14. [*indignum in*] *modum* cf. Liv. 29. 9. 6 'in legatum impetum lictoribus prius indignum in modum mulcatis faciunt.'

II. 15. *livoribus corporis*] corporis additur quod iam his temporibus saepe tralaticie ponebatur nomen. Etiam Cornif. ad Her. II. 5. 8 consilio addit corpus. — *rapsata*'. Hanc verbi antiquiorem formam restituit M. Hertz (vind. Gell. alt. in Fleckeis. annal. suppl. VII. p. 19) Gell. N. A. II. 6. 5 Macr. Sat. VI. 7. 8 Bell. Afr. 73; historiam eius scripsit Buecheler in Mus. Rhen. vol. 45. p. 159.

II. 17 cf. tab. Pis. C. I. L. XI. 1421. 12 'exceptIs ex eo casu crudelibus fatIs' Cic. or. p. red. in sen. VII. 17 'tu adfinem tuam filiam meam superbissimis et crudelissimis verbis a genibus tuis reppulisti.'

II. 19. *efficacIus*] cf. ad II. 7 comparativos exstat apud solum Plin. pan. 84. 1. — cf. Hier. epit. Paulae matris (ep. 108) 30 'Quid hac virtute mirabilius? Feminam nobilissimae familiae magnis quondam opibus tanta fide omnia dilargitam ut ad egestatem paene ultimam perveniret.'

II. 20. *inportunam crudelitatem*] cf. Cic. pro Cluent. 63. 177 'crudelis atque importuna mulier.' Liv. 29. 17. 20 'crudelissimus atque inportunissimus tyrannus.' — [*Lepidi collegae*] εἰρωνευόμενον feci omisso praenomine Lucretium.

II. 22. *parcamus orationi*] cf. Sen. ad Polyb. IV. 1 'proinde parcamus lacrimis nihil proficientibus.'

II. 23/24. Mommseni verba offendunt et quod sententiae non apte congruunt et quod oratio non 'exit' re vera et quod 'oculis praeferam' locutio est nondum inventa in litteris Latinis. Itaque reieci 'oc[ulis]' posuique adlocutionem quae bene stat ante vocabulum acutum 'omnium' et 'praeferam' sensu solito iunxi cum antecedentibus.

II. 24. *titulum* [*civis servati*]] cf. Ov. Met. VII. 56 (Medea) 'Magna sequar, titulum servatae pubis Achivae' Tac. ann. XII. 31 'qua pugna filius legati M. Ostorius servati civis decus meruit.' Memineris inscriptionis coronae civicae 'ob civem servatum'. Sen. de clem. I. 26. 5.

II. 25. *Pácátó orbe terrarum*] Vell. Pat. II. 89. 6 'pacatusque victoriis terrarum orbis.' — *res*[*titut*]*á republicá*] cf. Mommsen l. l. p. 478 not. 2. Vell. Paterc. II. 89. 3 'Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas, imperium magistratuum ad pristinum redactum modum . . . Priscâ illâ et antiquâ reipublicae formâ revocatâ rediit cultus agris.' Ov. Fast. I. 589 'redditaque est omnis populo provincia nostro.'

II. 26. Haesitaveram num cum Mommseno supplerem „[invi]derat". Namque praeter poetarum licentias (Verg. Ecl. VII. 58 'Liber pampineas invidit collibus umbras') in soluta oratione non habebam unde excusarem hanc constructionem. At praesto nunc est titulus fori Romani, supra laudatus (Eph. ep. III. p. 299 n. 138) 'filio merentissimo . . . m . . . | quod a te mihi fieri | Cy[ri]lle | iniqua fortuna invidit | hoc ego tibi feci | mater infelicissima.' Sane lapis vix est saec. II. antiquior, attamen probat similes locutiones poeticas sat libere coniunctas esse. — Postea reccidi in cogitationem de versu restituendo iam pridem pensitatam, Siebourgii schedis resuscitatam. Totus locus pendet ex verbis 'fue[ru]nt optati liberi', quae Mommsenus interpretatus est, Turiam peperisse re vera. Hoc non necesse est insit in verbis; 'fuerunt optati liberi' potest esse 'optavimus quidem neque tamen nancti sumus liberos'.[1]) Atque hoc verius esse puto. Nam Vespillo rem adumbrat potius quam explicat; fortasse Turia concepit neque vivom peperit, ideoque postea sterilis erat. — [*spes nostra*] cf. lin. 28 'spem finiebat'.

II. 27. Huschkius profitetur se non intellegere quae Mommsenus scripsit; videtur ille voluisse „inserviens" accipi pro praedicato cum quo „sollemnis" adiectivom ut ipsius praedicatum iungeretur. Sane durissima est constructio sed minus etiam probo quae Huschkius posuit; quamquam ipse versionem addidit: Wenn ein gewöhnliches weiterfortschreitendes Geschick (!) [wonach die Kinder die Eltern überleben] es gelitten hätte, wäre uns beiden nichts zu wünschen übrig geblieben, verba latina verti vix possunt. — pati verbi cum infinitivo activo nudo constructio recte videtur a Mommseno

1) De participiis passivis cum 'fuit', 'fuerat', 'fuerit' coniunctis conferas velim quae dixit Haasius (ad Reisigii praelectiones not. 447) et rectius Madvigius (opusc. ac. alt. p. 218 = opusc. acad.² p. 576). Cf. etiam Hartelium (in Woelfflini archivo III. p. 40). Exemplis a Madvigio congestis addas carminis de bello Actiaco fr. VII. v. 6 'Ter fuerat revocata dies, cum . . . Caesar . . . venit'. 'Fuerunt optati liberi' vertas 'Kinder waren unser Wunsch'.

servata esse, licet possis supplere 'procede[re · rem · e]sset passa' (5 litterae supplendae sunt etiam lin. 25 'res[titut]a.') Quamquam haec constructio quantum scio in pedestri sermone non invenitur nisi Q. Fab. Max. fr. 1 Pet.: 'Tum Aeneas aegre patiebatur in eum devenisse agrum' sententia prorsus alia (facile possis conicere devenisse ⟨se⟩) et Varro L. L. V. 1. 6 'facilius scrutari origines patietur verborum' (vereor ut recte mutaverit Spengelius 'poterit'). A poetis saepius poni notum est ex. gr. Enn. trag. 128 V. 'Vidi videre quod sum passa aegerrume' Verg. A. VIII. 577 'patior quemvis durare laborem.' Quibus scenicorum locis Ribbeckius (Coroll. ad Trag. Rom. frgta p. XXI) accusativom deesse dicit, altero (Andr. 203) adest in codd., altero (Poenul. 697) recte a Bothio additus est.

II. 28. 'prócédéns a[et]ás' Siebourgii coniectura speciosa. Dubito tamen num recta sit, cum idem ipsum verbum praecedat.

II. 29. *quae]que ingredI conata sIs*] cf. Sall. Iug. 42. 1 'nobilitas . . . primo Tiberium (Gracchum) dein paucos post annos eadem ingredientem Gaium . . . ferro necaverat.'

II. 30. Mommseni „praetereo" verbum omnino reiciendum est; nam sequitur id ipsum quod agitavit Turia.

II. 32. Mommseni supplementum offendit propter constructionem verbi eloqui.

II. 33. *vocuamque*] cf. Mommsen ad C. I. L. I. p. 71 ad 198. LXXVII. Buecheler Rh. M. XIII. 583 Fleckeisen J. J. LX. 255 Schuchardt I. 177. Corssen I. 238.

II. 34. [*non alia*] *mente nisi ut* cf. Murdiae laud. 9 'neque ea mente quo' — Cic. Phil. I. 6 'ea mente discessi ut adessem Kal. Iun.' — Bell. Afric. 19. 2 'eos hac mente et conatu venisse ut . . . tirones . . . opprimerentur' Bell. Alex. 63. 1 'Lepidus venit ea mente Uliam ut . . . contentiones . . . componeret.'

II. 35. '*quaereres p*[*ara*]*résque*' non valde mihi placet. Conieci 'p[rio]résque' ut intellegas, Turiam cogitasse, Vespillonem posse etiam viduam ducere.

II. 37. *fuerat commune*] cf. I. 37 sqq.

II. 38. Cf. Columella XII. praef. 8. 'Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil quod aut maritus aut femina proprium esse iuris sui diceret.'

II. 49. *soc*[*rusue*]] Antiquiorem coniecturam 'soc[iaeve]' tutatus est O. Hirschfeldius (Wien. Stud. III. 266) conferens Sall. Iug. 80 '(apud Numidas Maurosque) singuli pro opibus quisque quam plurumas uxores . . . habent . . . nulla pro socia optinet, pariter omnes viles sunt.' Exemplum non quadrat sed licet congruat multo melius mihi Mommseni supplementum placet, cum ipsa Turia novam uxorem deduxerit.

II. 40. *necessest*] Hoc scripturae ad sonum constitutae exemplum non novit Lachmannus ad Lucr. p. 65. — *excesserim mente*] singularis locutio. Similia 'mentem amittere' Cic. de har. resp. 15. 31

'mente lapsus' Suet. 'expers mentis', 'de sanitate ac mente deturbare' Cic. Pis. 46. — *adeo* [*me extimuisse*] ut addas „me" suadet et spatium et anaphora. — Cf. Liban. monod. in Iulian. p. 521 Reisk. καὶ μὴν καὶ ὅλωϲ ἐξέπεϲον τῶν φρενῶν καὶ οὐκ ἄνευ πόνου ἐπανῆκον εἰϲ νοῦν. Vespillo igitur melior fuit coniunx illo, de quo Varro in satura τοῦ πατρὸϲ τὸ παιδίον (fr. 553 B.) 'annos multos quod parere ea non poterat, mulierem foras baetere iussit'; sequitur praeceptum eiusdem (fr. 83) 'vitium uxoris aut tollendum aut ferendum est: qui tollit vitium, uxorem commodiorem praestat, qui fert, sese meliorem facit'.

II. 41 *dIvertia* cf. I. 27. nota pluralem numerum! — *TVÓS*] cf. ad II. 7.

II. 42. *mea caussa*] addidi ut fiat contrarium verbis 'paene exule me'; scilicet: infortunium meum mecum fidissuma tulisti, putasne me mei commodi caussa te relicturum!

II. 45 *fidem exuerem*] cf. Tac. ann. XII. 14 'missis corruptoribus exuendam ad fidem hostes emercari.'

II. 52. *super*]*stite te*] mirum quantum langueret si significaret 'te viva'; puto haec verba prope accedere ad sensum ab ICtis frequentatum 'te teste'. (Cogitavi etiam de prae]stite.) — Ceterum videtur re vera agi de adoptione filiae ut Mommsenus monuit, quamquam non nego hoc non aperte indicari verbo 'supstituta' et miror cum Huschkio (Z. f. Rechtsgesch. 5. 1866. p. 175), quod Vespillo filiam non filium adoptaturus fuerit. Tamen prorsus abicio eiusdem Huschkii interpretationem l. l. prolatam qua volt intellegi id egisse maritum ut Turiam coemptione sibi filiae loco substitueret. Tale consilium non convenit neque desiderio mariti neque uxoris propositis supra (31—39) narratis.

II. 54 *tui*] cf. ad lin. 60. — cf. C.I.L.V. 9772 'praecedere voluisti sanctissima coiux ut me relinqueres in lachrimis.' — *delegast*[*i mihi luctum*] cf. C. I. L. VIII. 8854 'quae exemplo esses feminarum nisi XXXIII annorum erepta gravem fletum viro reliquisses.' VIII. 9048 'Atro dolore percussus ab iniquissima fortuna erepto mihi horum solacio cohibui lacrimas, quas tempus [v]etuit, cives, et [titu]los fixi, nam duos una dies et pestis acerba abstulit hos pueros.' — *nec lib*[*eros habentem*] hoc Mommseni supplementum redarguitur rationibus sermonis: haec constructio pro 'et liberos non habentem' huius temporis orationi solutae non convenit.

II. 55. *ad iudicia tu*[*a*]] quae morte tua dedisti h. e. plane contrarium illis quae Mommsenus et Huschkius cogitavere, scilicet nunc et ipse Vespillo desistit de parandis liberis cogitare. Cf. Orelli 4623 'cuius desiderio iuratus se post ea uxore[m] non habituru[m].'

II. 56. *cogitata, praescripta*] scil. de divertio cf. lin. 35—39.

II. 58. cf. Themist. XX. (εἰϲ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα) fin. p. 295 Ddf. δεῖ δὴ λοιπὸν τὰ ἴχνη τὰ cὰ διώκειν ... ἐπαμύνοιϲ δὲ αὐτὸϲ ἄνωθεν

τῷ παιδὶ καὶ ἐνστάξαις ὦ μάκαρ προσευχομένῳ ἀλκήν τε καὶ ἀνδρείαν εἰς τὸν ἀγῶνα. — *DÉRVNT*] cf. Mon. Anc. III. 35 PRAERANT, passim PHRÁTES. Vel. Long. (Gr. L. VII. 65. 2—5 K.).

II. 59. *quae mihi non omnia erip[uit quod meis laudi]bus crescere tui memoriam [pas]sa est*] cf. C. I. L. VIII. 2576 'quae fuerunt praeteritae vitae testimonia nunc declarantur hac scribtura postrema. haec sunt enim mortis solacia ubi continetur nom[i]nis vel generis aeterna memoria.'

II. 60. *tuI memoriam*] pro tuam. Obiectum personale solet lingua Latina significare pronomine possessivo; inde a Cic. saepe ponitur genetivos 'vestrum', saepe inde ab Ovidio 'sui', 'mei' exstat apud Apuleium, 'tui' non invenitur nisi Plin. pan. 76 'senatus sub exemplo tui sedit' cf. Draeger Synt. I. p. 471. — cf. II. 54 'desiderio tuI' utroque loco genetivos est obiectivos.

II. 62. *inpromisso*] cf. 59 firmá[bor . . .] resistam fo[rt]unae.

II. 63. *naturalis dolor*] cf. Sen. de cons. ad Marc. VII. 1 'At enim naturale desiderium suorum est.' Ambros. de exc. Satyr. I. 10 'alius est naturae dolor, alia est tristitia diffidentiae' II. 1 'affectus naturae.' — Cf. Ambros. de exc. Sat. I. 15 'Prohibent ulterius prodire lacrimae fletusque revocant.' Hieron. ep. 108. 32 'quotiescunque stilum figere volui et opus exarare promissum toties obriguerunt digiti, cecidit manus, sensus elanguit' cf. ad Hadrian. orat. 15.— *maerore mersor*] solutae orationis exemplum simile non novi. Catull. 68. 13 'accipe quis merser fortunae fluctibus ipse' Hor. ep. I. 1. 6 'mersor civilibus undis.' — '*quibu[s modo me firmavi] in necutro mihi consto*'] intellegi volui memoriam et laudes coniugis mortuae. Antea scripseram 'quibu[s cedo aut pugno]' scil. maerori et constantiae.

II. 64 *necutro*] cf. Lachmann ad Lucr. p. 314 qui duas res miscet. Accuratius Ribbeck (Lat. Partik. p. 24sqq.), Munro ad Lucr. II. 23. IV. 1217. Birt, Rh. M. 34. p. 1 sqq. Hoc Turiae laudationis loco uno necuter traditum est, ceteris coniectura nititur.

II. 65. cf. Sen. ad Marc. 20. 2 'haec (mors) efficit ut non concidam adversus minas casuum, ut servare animum salvum ac potentem sui possim.'

II. 68. *extra*] = praeterea; praeter hunc locum novi solum Sen. de benefic. VI. 15 'ob hoc mihi extra aliquid pro illis debes.' Cf. extra quam.

II. 69. Similia in optata pleraeque laudationes funebres exeunt. Proferam exemplum christianum Ambrosii (de obit. Valent. 81): 'Te quaeso summe Deus ut carissimos iuvenes matura resurrectione suscites et resuscites, ut immaturum hunc vitae istius cursum maturiore suscitatione compenses. Amen.'

14. 768/14 Tiberi in Augustum laudationem quibus auxiliis nisus Cassius Dio (56. 35—41) finxerit non liquet.

15. 791/37 Laudatio Tiberi a Gaio habita.

Cass. Dio 59. 3. 8 (C. Caesar) ἐποιήσατο μὴν γὰρ καὶ λόγους

ἐπ' αὐτῷ (Tib.) ἀλλ' οὕτοι γε καὶ ἐκεῖνον οὕτως ἐπαινῶν ὡς τοῦ τε Αὐγούστου καὶ τοῦ Γερμανικοῦ τὸν δῆμον ἀναμιμνήσκων καὶ ἑαυτὸν αὐτοῖς παρακατατιθέμενος.

16. 808/54 Laudatio Claudi a Seneca composita habita a Nerone. cf. Suet. Nero 9.

Tac. ann. XIII. 3 'Die funeris laudationem eius princeps exorsus est dum antiquitatem generis consulatus ac triumphos maiorum enumerabat intentus ipse et ceteri; liberalium quoque artium commemoratio et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse pronis animis audita; postquam ad providentiam sapientiamque flexit nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret, ut fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accommodatum. adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis qui rerum potiti essent Neronem alienae facundiae eguisse.'

17. 820/66 laudatio Poppaeae a Nerone habita.

Tac. ann. XVI. 6 'ductae tamen publicae exsequiae laudavitque ipse (Nero) apud rostra formam eius et quod divinae infantis parens fuisset aliaque fortunae munera pro virtutibus.'

tamen] quamquam non crematum sed condîtum est corpus.
divinae infantis] Claudiae.
fortunae munera cf. Cic. l. l. p. 475.

18. 873/119 laudatio Matidiae ab Hadriano habita.

Hoc laudationis funebris fragmentum primum a Mommseno recte editum est in Abhandl. d. Berl. Akad. 1863. p. 483 sqq. Lapis initio XVI. saeculi exstabat Tibure in ecclesia S. Pauli, nunc latet. Mommsenus litteras constituit ex tribus apographis

1) Iucundi, descripto non satis fide in
   a) cod. Veronensi
   b) cod. Barberino 30.
2) Anonymi in cod. Ottoboniano 2970.
3) Mancinii, ex quo descriptum est frgtum
   a) a Metello in cod. Vatic. 6039
   b) apud Pighium inde α) ab Aldo (cod. Vat. 5237) (inde a Donio), β) a Ligorio (coll. Neap. 39) (inde a Murat.).

Repetitum est in C. I. L. XIV. 3579 secundum fontes Mommseni et apographum, quod Metellus ex ipso lapide descripsit in cod. Vat. 6040 sed festinanter. Certissimi testes sunt cod. Ottob. et Metelli haec descriptio.

Editor Mommsenus nonnullos versus (7—10. 23—26. 31. 32) supplere conatus est; omnes fere explevit Rudorffius in Comm. Acad. Berolin. 1868. p. 240 sq. (deinde in Zeitschrift f. Rechtsgesch. 9.

1870. p. 295); nulla fere supplementa addidit editor C. I. L. XIV. Mihi praesto sunt etiam ea quae excogitavit Sebastianus Dehner et amicissime mecum communicavit.[1])

Versuum divisionem retinent omnes qui lapidem viderunt et apographa fecerunt excepto Iucundo, qui lacunas quoque interdum indicare neglexit, interdum locis non suis significavit. — Apparet lapidem mutilum fuisse tribus a partibus, a quarta integrum, namque in finibus versuum non modo vocabula non exstant ita divisa quin potuerit lapicida ipse divellere, sed etiam apographa paene non divergunt.

Linea 23. imprimisque 25. me eo adducunt ut putem numerum litterarum quas unusquisque continuit versus vix superasse 60; quare id egi ut versus pleni inter 54 et 62 litteras habeant. — I longas quas dedi ad solum Metellum redeunt.

Laudationem hanc esse Hadriani in honorem Matidiae habitam luce clarius exposuit Mommsenus l. l. Tempus quo Matidia mortua et laudata sit idem ibidem coniectando assequi conatus est, sed nimis incertis auxiliis nisus in falsam incidit opinionem. Editis Actis fratrum Arvalium certum annum didicimus. Consecrata est Matidia a. d. X. Kal. Ian. a. p. Chr. 119 cf. Henzen a. fr. arv. p. CLVIII: 'C. Heren[ni]o [Dol]abella, L . . . . l . . . . [R]ufo co(n)s(ulibus) [m]agi[st]erio [C. Vit]ori Hosidi Ge[t]ae X. Kal. Ianuar. in consecra[tionem M]atidiae Aug. socrus imp. Caesaris Traiani Hadriani Aug. unguenti p(ondo) II nomine collegi fratr[um Arvali]um per C. Vitorium Hosidium Getam mag(istrum) missum; turis p(ondo) (quinquaginta) item nómine calátor[um.' Inscriptiones praeter eas, quas Mommsenus congessit l. l. p. 487, Matidiam divam non vocat titulus Eph. ep. III. 22, diva nominatur in inscr. Ephesi inventa (cf. Wood, discov. of Ephesus, Appendix p. 2 (from the site of the temple of Diana) p. 4 = n. 3 = C. I. L. III. suppl. 7123. In memoriam consecrationis cusi sunt nummi hi: DIVA AVGVSTA MATIDIA (imago diademata in dextr. part. versa) ℞ CONSECRATIO (aquila super sceptrum) Cohen II. p. 95. 1—4.

Tibure inventam esse hanc laudationem nemo mirabitur, cum constet Hadrianum huic oppido admodum favisse et villam suam Tiburtinam praeter ceteras amasse (cf. Spartiam. Hadr. 26). Aldus (cod. Vatic. 6040 p. 64) describit lapidem, cui inscripta sit, „cippus statuae nella facciata esterna", id quod me docuit de Rossi (Studi e documenti I. p. 29 not. 2). Videntur igitur Tiburtini Matidiae statuam decrevisse, cui ut gravissimum huius feminae meritorum testimonium laudationem ab imperatore habitam insculpendam curavere.

---

1) Dehneri supplementa et adnotationes interim publici iuris facta sunt in programmate gymnasii Neuwiediani 1891.

C. I. L. XIV 3579 tate
ativa vel
entissimus fuI
mam socrum aman-
tissimam . . . .]sibique salvam Sabinae meae
matri meae facerem
Venit ad avunculum brevi post adeptum pri]ncipatum ac deinceps usque ad illam
gravissimam et extremam valitud]inem, qua diem suum obiit, comes et con-
tubernalis adsidua eum secuta est:] verendo ut filia, comitate nulla non fa-
mulando sola eius salute ga]vIsa est.
Nec defuit divi illius gratia] moribus socrus meae, nam quI potuit efficI,
ut ipse sanctissimus tantam] feminae gravitatem ferret omnino ne-
que cum admiratione insigni] summe probaret?

Varia lectio: 1 TATE Manc. ATE Ott. om. Iuc. AIE corr. in ATE Met. — 2 BAIIVA Manc. (BALLVA Ald.) ATIVA Ott. VA. Iuc. C$^{S\,L}$AIVA Met. — 3 ENTISSIMVS Ott. NTISSIMVS Iuc. DIGNISSIMVS vel DIGISSIMVS Manc. IISSIMVS Met. — 4 om. Manc. ap. Met. LIMAM Manc. ap. Pigh. IIMAM Met. — 5 TISSIMAM (Ald.) vel TI'HSSMAM (Met.) Manc. praemittit quo expletum fuit in exemplo antiquiore AMAN v. 4 extr. SIBIQ Manc. — 7 NCIPATVM Ott. PRINCIPATVM Iuc. MVNICIPATVM Manc. ANNPATVM Met. — 8 DINEM Iuc. INEM Ott. Met. MAGNITVDINEM Manc. CON||IVX Manc. — 9 VERENDO Iuc. ERENDO Ott. Met. QVERENDO Manc. VTILIA pro VTFILIA Met. — 10 om. Manc. — 11 EFFI Iuc. EFESCI Manc. ap. Pigh. — 13 SVMME Ott. Iuc. VISVM · ME Manc. VISVMME Met. PROBARE Manc.

Supplementa: 2 don]ativa Dehner — 3–6 dilig]entissimus fui [ut . . . cognatam piissi]mam socrum aman[tissimam . . . mihi] sibique salvam, Sabinae meae [matrem optumam sospitem, similem] matri meae, facerem. Rudorff. — in vos benefic]entissimus fui [qui gratos vos ut par est praebeatis erga optu]mam socrum aman[tissimam quae adeo omnibus caverit ut vobis redderet potius salutem quam mihi] sibique salvam. Sabinae meae [satis feci pariter ac mihi ipsi honores socrui impendens quales vix] matri meae facerem. Dehner — 7 [Venit ad avunculum post adeptum pri]ncipatum ac deinceps usque ad illam [extremam valitu]dinem . . . . comes et con[tubernalis eum secuta est] verendo ut filia comitate nulla non fa[. . . nec usquam sine illo] visa est. Mommsen — [Divum patrem meum post adeptum pri]ncipatum ac deinceps usque ad illam [gravem et extremam eius valitud]inem . . . comes et con[tubernalis fidissima, re]verendo ut filia comitate nulla non fa[ctura officia prosequi] visa est. Rudorff. — [L. Vibio mortuo adplicavit se ad avunculum quem ante adeptum pri]ncipatum ac deinceps usque ad illam [subitam et tam pestiferam valitu]dinem . . . comes et con[tubernalis secuta est] verendo ut filia: comitate nulla non fa[tigata non morosa umquam] visa est. Dehner — 11 [Nec dissimilis ille fuit] moribus socrus meae, nam qui potuit effici [ut coniunctam comitate] feminae gravitatem ferret omnino ne[que ipse easdem virtutes] summe probaret. Rudorff. — [Divus pater scitis quid iudicarit de] moribus socrus meae. nam qui potuit effici [ut qui consuetudine perspectam haberet] feminae gravitatem ferret omnino ne [is eiusmodi integritatem morum] summe probaret. Dehner.

Iam libentissime equidem si]ngillatim de virtutibus eius omnia, quae
dici decet, exsequere]ṛ, si non ita victus essem praesentI confusione,
ut non possim dicere qua]e velim, et dIcere tantum quae possim indig-
narer, cum non occurrat quod] aut laudibus eius dignum aut dolori meo
sit compar. ob oculos] est imago tristissima socrus optumae labentis,
rogum video, aures neni]ịs etiam num sṭṛẹpunt, luctuosIs conclamatio-
nibus resonant fores aedi]um mearum.
Vos igitur inopiam ani]mi meI sublevate et ea, quae pulchre scitis de mo-
ribus socrus meae, mement]ote, sI potius ut nota dicentur quam ut nova.
Vixit vivo marit]o carissima, post eum longissimo viduvio in eximio flo-
re iuventutis et] summa pulchrItudIne formae castissima. matri suae

---

14 SINGILLATIM Manc. NGILATIM Iuc — 15 RSI Iuc. Met. SI Ott. VIRSI Manc. (VIXI Ald.) — 16 init. E Ott. et Met. DICER Manc. inter QVAE et POSSIM lacuna ap. Iuc. INDICI Manc. Met. — 17 DIGNAM Iuc. (Ver.) apud quem sequitur lacuna — ATVLAVDIBVS Manc. ap. Pigh. A · VTI · AVDİBVS Met. — 18 inter TRISTISSIMA et SOCRVS lacuna ap. Iuc. LABENTS Manc. ap. Met. — 19 SETIAM Iuc. Manc. Met. inter NVM et STREPVNT lacuna ap. Iuc. STREPVNT Iuc. Manc. . . . PVNT Ott. SENTIVNT Met. dubitans. LVCTVOSII CONCLAMATO Manc. ap. Met. — 20 VM Ott. Met. NVM Iuc. ERVMNAR Manc. FVNERVM Ligorius — 21 SVBLEVATO . ET · EA Ott. SVBLEVATE · CA Manc. (SVBLEVATE · A Ald.) PVLCHRAE . . . SCITIS Iuc. — MO^{E}|RIBVS Manc. — 22 OTE · SI Ott. Iuc. (Barb. TESI Ver.) ETSI Manc. POTEST coni. Momms. DICENTVR Manc. Iuc. (apud quem sequitur lacuna) DIGNETVR Ott. NONA Manc. ap. Pigh. — 23 CHARISSIMA Manc. — inter EVM et LONGISSIMO lacuna ap. Iuc. EXSIMIO Manc. ap. Pigh. FLO|RE Manc. — 24 VMMA sequ. lacun. Iuc. FOIRME Manc.

---

14 [Iam vero lubens etiam si]ngillatim de virtutibus eius omnia quae [ipse novi exsequere]r si non ita victus essem praesenti confusione. [si autem pauca illa referr]e velim et dicere tantum quae possim indig[num foret neque] aut laudibus eius dignum aut dolori meo. [Etenim ob oculos mihi] est imago tristissima socrus optimae labentis [fato atque meae aur]is etiam num strepunt luctuosis conclamatio[nibus propinquar]um mearum. Rudorff. — [Ac lubenter equidem si]ngillatim de virtutibus eius omnia quae] novi vobis eloquere]r si non ita victus essem praesenti confusione [ut nequeam dicere qua]e velim: et dicere tantum quae possim indig[nor. non subvenit menti quod] aut laudibus eius dignum aut dolori meo [sit compar. ante oculos] est imago tristissima socrus optimae labentis. [urbs tota luget, fora haec lament]is etiam num strepunt luctuosis, conclamatio[nibus personant vestris, humore madent lacrimar]um mearum. Dehner — 21 [Qua de re aerumnas ani]mi mei sublevate et ea quae pulchre scitis de mo[ribus Matidiae mement]ote, si potius ut nota dicentur quam ut nova. Rudorff. — [Iam dolore cessantes maerorem ani]mi mei sublevate et ea quae pulchre scitis de mo[ribus feminae optumae mement]ote et q. s. Dehner. — 23 [Vixit marit]o Momms. Rud. [Fuit in vita marit]o Dehner — 24 flo[re aetatis et] Momms. flo[re atque adeo] Rudorff. flo[re virtutum coluit: in] Dehner.

filia fuit obsequ]entissima, ipsa mater indulgentissima, cognata piis-
sima, omnes adiuv]ans, nullI gravis, nemini tristis, iam quod ad me atti-
net prius merito singu]larI, post tantâ modestia, utI nihil umquam
a me pe-
tierit suo usui cre]braque non petierit, quae petI maluissem. inter meas
vices optuma]e voluntatis plurImIs et longissimIs votIs precata talem,
qualem mihi optabat statum, u]t vIdit, gaudere fortuna mea maluit
quam fruI.
m sanguine adoptione in consobrinae
locum mihi constitutam . . . .]Augustae fIliam et DIvae avun
culi . . . .]um decus pro meritIs hones
e digneminI rogo

---

25 BENEMERENTISSIMA Manc. — 26 NVRVT · GRATIS · NEMINI · STRISTIS Ott. NVLEI Met. MEI Ott. ATTINET Manc. — 27 LARI Ott. ARI Iuc. HILARI Manc. — 27/28 PE|BRAQVE Ott. PERIAQVE Met. LIBERAQVE Manc. PLERAQVE Iuc. — 29 E]TE Manc. ap. Pigh. 30 TVIDIT Manc. VIDIT Ott. DIT Iuc. FVIDIT Met. — QVEM Manc. — 31 init. INM Manc. solus SAM · SANGVINE Met. — 32 AVGVSTAE Ott. ET (TE ap. Pigh.) · AVGVSTAE Manc. Met. VSTE Iuc. — DIVE Manc. AVVM Iuc. AVVN|CVLE Manc. — 33 TVM Ott. EARVM Manc. om. loc. Met. HONES Ott. Iuc. NON · ES|SE Manc. ap. Met. NONES|TAT Manc. ap. Pigh. cum Manutio et Ligorio — 34 E DIGNEMINI Manc. ET · IGNE · MINI Ott. GNEMINI Iuc. REDIGNEMINI Met.

---

25 [obsequ]entissima Momms. [filia obsequ]entissima Rudorff. [grandaevae obsequ]entissima Dehner. — 26 piis[sima omnes iuv]ans Momms. piis[sima omnes am]ans Rudorff. piis[sima nihil neg]ans Dehner — 27 quod ad me atti[net, tam singu]lari, post tanta, modestia, uti Rudorff. attin[et fuit in auspicantem merito singu]lari, post tanta modestia, uti Dehner — 28 pe[tierit cre]braque Rudorff. [. . . . plu]raque C. I. L. — pe[tierit nisi quod alteri esset usui, cre[braque Dehner — inter meas [gratissima]e voluntatis plurimis et longissimis votis precata talem [mihi fortunam, qualem u]t vidit e. q. s. Rudorff. — inter meas [ut esset comites optumae erga m]e voluntatis plurimis et longissimis votis precata talem [innocentiam praebuit, qualem aetas nostra hau]t vidit. Dehner — 31 [Igitur in patris mei cogna[tam sanguine, adoptione in consobrinae locum mihi constitutam, Marcianae] Augustae filiam et divae, avun[culi et divi contubernalem fidissumam debi]tum decus pro meritis hones]tissimis laudibus vestris consensu omnium conferr]e dignemini rogo. Rudorff. — [sicut puerum me fovebat perinde atque coniunc]tum sanguine, adoptione in consobrinae [adfinitatem adscitum perstitit amare. ob id quod honoris olim contulistis in divam Augustam matrem mulierem optumam, non minus par est conferre in] Augustae filiam et divae avun[culi tantorum in vos beneficiorum memores spero debi]tum decus pro meritis hones[tissime daturos, quae saepissime eius in vestram gratiam convertit mentem. proin]de dignemini rogo [quae tot tantaque de vobis meruit memoriam colere piam grata omnium vol]untate adversus [optume meritam optumas servare mentes piis prosequi votis ac precationibus . . .]. — [divi patris mei nepte]m sanguine . . . [locum mihi constitutam] Momms.

vol]untate adversus
in re tali
ucereve

---

35 VNTATE Ott. TE Iuc. DIGNITATE Manc. PIETATE Met. — 36/37 sic Ott. RE · TALI (om. cett.) Iuc. — Manc. et Met. sic

TI · TVLIVS . . . . IN · RE · TALI
AVGVSTI · LIB . . . . RE · VF
SATTRIO

CER · EVE Met. REVE Manc. ap. Pigh. — Adhaesit apud Mancinium titulus ab hoc de quo agitur diversus, Ti. Iuli Aug. l. Satyrionis.

---

37 d]ucere ve Dehner.

Commentarius.

Fieri non potest ut divinando hic titulus omnibus numeris certo suppleatur. Satis certa sunt supplementa versuum 23 sqq. Cetera dubia, imprimis v. 1—5, 31—37 non dant ansas, quibus sensum enucleare possis. Itaque ab animo impetrare non potui ut adscriberem supplementa; Rudorfii et Dehneri et mea conamina satis demonstrant quam vastus coniecturis campus relinquatur. Ex. gr. v. 4—6 sic constitueram: [Utinam di immortales feminam gravissi]mam socrum aman]tissimam diutius servassent nobis] sibique salvam. Sabinae meae [matri aequales honores tribuerem atque] matri meae facerem. — Omnia incerta; tamen hae sententiae reliquiae maximi pretii sunt, cum nomen illud contineant sine quo auctor orationis vix potuit inveniri.

5. *Sabinae meae*] Hadriani imp. uxor.

7. Propter „*ac deinceps*“ malui cum Mommseno duo verba supplere (venit . . . . secuta est).

6. *matri meae*] Domitia Paulina, Spartian. Hadr. 1. Potuit Hadrianus hoc verbo commemorare etiam Pompeiam Plotinam († 129), Traiani uxorem.

7. Si Matidia haut ita longo tempore post adeptum principatum ad Traianum venit, videtur maritus anno 99 iam mortuus esse cf. ad lin. 23.

8. Matidiam eo tempore quo Traianus Selinunte Ciliciae decessit circum eum fuisse conicere licet etiam ex loco Spartiani (Hadr. 5): „post haec (Hadrianus) Antiochia digressus est ad inspiciendas relliquias Traiani, quas Attianus Plotina et Matidia deferebant“. — Similiter ac Matidia etiam Agrippina avunculum comitabatur cf. Cass. Dio XVI. 31. 6 συνεχῶς αὐτῷ προσεφοίτα. — Cf. Areus apud Sen. ad Marc. de cons. IV. 3 „usque in hunc diem Iulia . . . adsiduus viri tui comes . . . . dedisti operam ut . . . “.

8. *gravissimam et extremam valetu*]*dinem*] cf. Cass. Dio 68. 33. 2. (II. p. 321 Bekk.) ἐνόσησε δὲ ὁ Τραϊανός, ὡς μὲν αὐτὸς ὑπώπτευσεν,

ἐκ φαρμάκου λήψεως, ὡς δέ τινες λέγουσιν ἐπισχεθέντος αὐτῷ τοῦ αἵματος ὃ κατ' ἔτος κάτω διεχώρει· ἐγένετο μὲν γὰρ καὶ ἀπόπληκτος ὥστε καὶ τοῦ σώματός τι παρεθῆναι, τὸ δ' ὅλον ὑδρωπίασεν.

9. *ut filia*] cf. Ambros. de exc. Satyri I. 8 'qui pio semper sollicitus affectu latus meum tuo latere saepiebas: caritate ut frater, cura ut pater, sollicitudine ut senior, reverentia ut iunior.' — Ablativos gerundi Hadrianus adamasse videtur cf. orationem ad milites (C. I. L. VIII. 2532) A strenue faciendo Bb radendo Db concurr[endo.

14. Nolui supplere quae [novi] aut quae [memini] cum in sequentibus dicat Hadrianus sibi non omnia praesto esse.

15. Cf. Sen. ad Helv. I. 3 „omnis autem magnitudo doloris modum excedentis necesse est delectum verborum eripiat, cum saepe vocem quoque ipsam intercludat". Fronto de amisso nepote p. 236 N. „ferreus si essem, plura scribere non possem isto in tempore". Plin. ep. III. 10. 6 „Difficile est hucusque intendere animum in dolore" cf. ad Turiae laud. II. 63 (p. 515).

17. *laudibus eius dignum*] cf. Plin. paneg. I. . . . 'precari ut mihi digna consule, digna senatu, digna principe contingat oratio.' Hieron. ep. 127. 1 'nihil dignum illius laudibus dicere.'

16. Rectissime Dehnerus, id quod Rudorffium et me fugerat, v. 16 cum 15 'ut' particula conectit; scripsi *„non possim"*, ut consonet cum sequenti *„possim"*. *Indig*[*narer* volui pendere ex 'si' vocula. Licenter modus irrealis et potentialis iuxta ponuntur.

17. *quod*] *aut laudibus eius dignum aut dolori meo* [*sit compar*. Tumor aliquis verborum Hadriani proprius est. cf. 22 'potius ut nota quam ut nova' cf. 16. Compara Spartian. Hadrian. 9 (10): 'de militum etiam aetatibus iudicabat, „ne quis aut minor quam virtus posceret aut maior quam pateretur humanitas in castris contra morem veterem versaretur"' et in orat. ad mil. (C. I. L. VIII. 2532) Ab 'quod multae, quod diversae stationes vos distinent, quod . . . non tantum . . . sed et . . . Ba aut — aut — aut Bb et — et — et — ex difficilibus difficillimum.' cf. Dehner, Hadriani reliquiae Bonnae 1883 p. 21.

18. *imago*] εἰκὼν κηρίνη Cass. Dio 56. 34 'propositam toro effigiem' Tac. ann. III. 5. Vide descriptionem consecrationis apud Herodianum (ab. exc. Marci IV. 2). — Ambros. exc. Satyr. I. 37 „Qualem te nunc ego, frater, aspicio, iam nulla mihi verba referentem, iam nulla offerentem oscula."

19. *conclamationibus*] saepissime de luctus vocibus in funere cf. Marquardt, Privatleben VII. 1² p. 346 not. 5 — Minucius in oratione ad copias (apud Liv. XXII. 14) „strepunt aures clamoribus plorantium sociorum."

21. *pulchre scitis*] cf. Planci epistol. (Cic. ep. X. 23. 1) 'Lepidum enim pulcre noram.' — In laudationibus saepius usitatae sunt tales formulae quali hic Hadrianus Quirites testes vocat meritorum socrus

cf. (Tiberi) orationem apud Cass. Dion. 56. 35. 4 οὐ γὰρ ἐξ ὧν ἂν ἔγωγε εἴπω καὶ τὴν ἐκείνου ἀρετὴν κρινεῖτε ἀλλ' ἐξ ὧν αὐτοὶ σύνιστε καὶ τοῖς ἐμοῖς λόγοις βοηθήσετε ἀναπληροῦντες τὸ ἐλλεῖπον τῇ μνήμῃ τῶν γεγονότων ὥστε κοινὸν κἂν τούτῳ παρὰ πάντων τὸν ἔπαινον γενέσθαι ἐμοῦ τε ὥσπερ ἐν χορῷ τινι τὰ κεφάλαια ἀποσημαίνοντος καὶ ὑμῶν τὰ λοιπὰ συνεπηχούντων. cf. c. 41. 1. Compara etiam laudationem regis Theodahad (a Cassiodorio habitam? Hauptii opuscul. III. p. 303sqq.) lin. 16: 'Taceamus paulisper [quo] maiora dicat exercitus. O me beate superatum! Video relationem meam per augmenta transce[n]di, cui putabam posse vix credi.'

22. *ut nota*] Se nota dicere (λέγειν πρὸς εἰδότας ex. gr. Aesch. Ag. 1536 Thucyd. III. 53) ut alii oratores sic qui laudationes habebant saepius profitebantur. cf. Dio Chrysost. Melankom. A (XXIX) 10. Cass. Dio 56. 35. 3 44. 36. 4 44. 38. 3 44. 40. 4 — Oppositionem similem huic 'potius nota quam nova' legis apud Hieronym. ep. 79. 4 „Scit ipsa, cui libellus hic scribitur, me non nota sed audita narrare." (Fortasse etiam hic nova legendum est, cum nota vix possit intellegi. Dilucidius Nepos Att. XIII. 6. 'Atque hoc non auditum sed cognitum praedicamus.')

23. [*marit*]o: nomen ei fuisse L. Vibio ex titulo I. N. 7133 conclusit Borghesi cf. Mommsen Abh. Berl. Ak. 1863 p. 487.

24. *matri suae*] Marciana Augusta.

26. *ipsa mater*] Sabinae et Matidiae iunioris.

26. *nulli gravis nemini tristis*] nulli et nemini dativi igitur ambo Hadriano in promptu erant et usus est ut sermonem variaret. — Cf. C. I. L. 1779. 6. 5 'benigna cunctis' C. I. L. VIII. 7384 'omnibus subveniens' 7384. 10 'tristem fecit nemine[m'. Aristides, epit. in Alexandrum (I. p. 139 Ddf) 'ἐλύπησε μὲν γὰρ οὐδένα πώποτε'. 5530. 12 '[laesit ne]minem' cf. Hieron. ep. 79. 5 'purpuratorum propinquus socius consobrinus non est inflatus superbia nec ceteros homines adducta fronte contempsit: sed cunctis amabilis ipsos principes amabat ut fratres venerabatur ut dominos et in illorum salute suam salutem positam fatebatur.' cf. 108. 5 'in cunctos clementissimum animum.' — cf. Consol. ad Liv. 47 'Nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi.'

27. *post*] adverbium est, quod contra Rudorffium moneo. — uti non fere nisi in legum sermone (ex. gr. Antonin. edict. Eph. Epigr. I. 787. 10) et in carminibus.

28. *non petierit quae peti maluissem*] cf. Spartian. Hadr. 15 'amicos ditavit et quidem non petentes cum petentibus nihil negaret.' cf. Phaedri fab. II. prol. 14 'attende cur negare cupidis debeas, modestis etiam afferre, quod non petierint.' Plin. paneg. XXXIII. 'impetratum est quod postulabatur, oblatum quod non postulabatur.' — *cre*]*braque*. adverbialiter 'crebra' apud Verg. G. III. 500 equos...

pede terram crebra ferit.' Adiectivom praedicative positum potest esse Lucr. II. 359 'mater . . . crebra revisit ad stabulum.'

29. *inter meas* [*vices* e. q. s] cf. Spartian. Hadr. 4 „frequens sane opinio fuit Traiano id animi fuisse ut Neratium Priscum non Hadrianum successorem relinqueret multis amicis in hoc consentientibus usque eo ut Prisco aliquando dixerit 'commendo tibi provincias siquid mihi fatale contigerit'. et multi quidem dicunt Traianum in animo id habuisse ut exemplo Alexandri Macedonis sine certo successore moreretur; multi ad senatum eum orationem voluisse mittere petiturum ut siquid ei evenisset principem Romanae rei publicae daret senatus, additis dum taxat nominibus ex quibus optimum idem senatus eligeret. nec desunt qui factione Plotinae mortuo iam Traiano Hadrianum in adoptionem adscitum esse prodiderint supposito qui pro Traiano fessa voce loqueretur." Ab hac factione Plotinae videtur igitur stetisse Matidia.

30. cf. Cic. de orat. II. 84. 342 (vide p. 475) 'non extulisse se in potestate.' cf. Nepos Attic. XII. 2 'cuius (Antoni) gratia cum augere possessiones posset suas, tantum abfuit a cupiditate pecuniae ut nulla in re usus sit ea nisi in deprecandis amicorum aut periculis aut incommodis.' Liban. epit. in Iulian. (I. p. 527 R.) τούτου δὲ τὴν γνώμην οὐκ ἠλλοίωϲεν ἡ περὶ ἐκεῖνον τύχη οὐδὲ τὸ βαϲιλεύειν οἱ τὸν ἀδελφὸν ἀφορμὴν εἰϲ ῥᾳθυμίαν ἔλαβεν.

Appendix. Sequitur in C. I. L. XIV. sub num. 3579a fragmentum lapidis, quod Dessauius coniecit esse ex Hadriani laudatione. „Servavit Cyriacus ut puto apud

Petrum Donatum cod. Hamilt. f. 68' et
in cod. Parmensi f. 75.

Inde pendent cod. Chis. I. VI. 203 f. 25' Ferrarinus Reg. f. 128' Choler. f. 68 = Alciatus Feae f. 20' Sanutus f. 23' — Versus divisi secundum codices Parm. et Chis. in hac re consentientes (Donatus versus continuat). Varias lectiones dedi Donati, codicum Parm. et Chis. item Ferrarini."

Tibure in saxo quodam multae literae, quarum quaedam hic subiciuntur. DONATVS. In saxo quodam multae litterae optimae COD. PARM.

QVOTIENS VEL HOC IBIDEM
ORVM COLVMNATIS TRANS
QVI EXTARE TALE SIMVLACRVM
VXOR QVAEQVMQVE SVMM
SERVATE MIHI IVS MEVM

1 QVOTIES Parm. — 2 TRAN Chis. — INCOLVMITATIS coniecit Mommsen — 4 QVECVNQVE Don. QVAEQVMQVE Parm. QVAECVNQVE Chis. QVECVMQVE Ferr. — SVMM Parm. SVM Don. Chis. SVVM Ferr. — 5 SERVATI Ferr.

ET QVOD VBIQVE QVOQVMQVE
INDE COMMINVS
SI IACET ET SAEPTIS
PER DEOS MIHI QVANDOQVE
IPSVM MIHI AD VOS
NIHIL OMNINO
QVIN IMMO

6 ET Parm. Chis. EI Don. Ferr. VBIQ Ferr. QVOQVMQVE Parm. QVOCVNQ. vel QVOCVNQVE cett. — 7 INDE] VIDE Chis. COMMINVS Parm. COMINVS cett. — 8 SAEPTIS Don. Parm. SEPTIS Chis. Ferr. — 9 DEO Don. Ferr. MII Don. — 10 MIHI omm. Don. Ferr. — 11 om. Chis. — 12 IMO Don. Ferr.

Dessauius cum haec verba Hadriano tribueret in animo habuit maxime quod Tibure inventus hic titulus continet orationem ab uno ad plures habitam (5. 10) et agi videtur de muliere (4). Addo 'quin immo' (12) ab Hadriano usurpari etiam in oratione ad milites et v. 3 posse nobis cogitationem inicere, Hadrianum a Tiburtinis petiisse ut Matidiae dedicarent statuam. Contra mihi persuasum est laudationem Matidiae habitam esse Romae in ipsa consecratione neque verba (5) „servate mihi ius meum" intellego quî Hadrianus ulla occasione eius generis potuerit dicere. — Versus 8. hexametri colon esse potest. — Adhuc igitur hoc fragmentum explicare et cum laudatione Matidiae coniungere nequeo.

---

19. Non nego laudationis esse posse fragmentum quod edidit de Rossi (Studi e documenti di storia e diritto, ann. I. 1880 p. 28) ex codice Vat. 7113 fol. 27v scripto a Donio.

TE · H
. ECTA
re]LICTVS
ISTI · IN · EI I
IDICERET OSS
IVM · HOMINEM
TESTIMONIVM · REI[publicae
vi]XISTI · FIDELIS · TE · A
INTRASTI · IN · CV[riam?
iu]DEX · ROMAE · SINE [provocatione?
CISTI · FIDELIS · SP
ANNOS · NIHIL · EST
PROFECTVS · CVM · A[ugusto
OR · SVBTE QVAE · EV
NES · INOFFICIO QVA
BI · CLAROS · VENE[randosque viros

8 XISII Don. — 9 INIRASII Don. — 11 CISII Don. — 14 SVBIE Don.

INTRASTI · COH · [praetoriae?
procla]MENT · VBIQVE TVV[m nomen
NON · COMPARO · VI
ᒋ · SANCTA · FIDES

17 INIRASTI Don.

Supplementa sunt de Rossii. Idem ex versu 10. iuDEX · ROMAE · SINE provocatione vel appellatione concludit pertinere ad tempora Constantini. — Facere non possum quin profitear me vereri ne de Rossi, postquam fragmentum Turiae laudationis inter chartas Suarezii invenit, in indagandis huius generis documentis sedulior quam felicior fuerit.

---

20. C. I. L. II. Supplem. 6014 'Tarracone in museo, cui intulit Antonius Malet; fragmentum undique fractum'. Descripsit Huebnerus a. 1881 ectypum sumpturus postea sed frustra indagavit a. 1886. Mecum communicavit Buechelerus.

[*Maiores tuos imprimisque patrem imitatus*] foveba[*s*] to[*to pectore cives nec*
[*dereliquisti sensum honesti qui*] in illo fuit ut tibi [*memoria eius, viri*
[*civibus utilissimi, nullo unquam t*]empore elabsa fuisse [*videretur.*
[*Nec tamen tua propria laude car*]ere mereris, qui per te Ipse pl[*urima illa mu-*
[*nera in cives tuos exercu*]isti, quibus tu saepe placuisti.
[*Balneas aedificavisti, insti*]tuisti nymphas calidas, qua[*drigis forum mu-*
[*nicipi nostri exornavisti d*]uabus. Iam nec cur(a)m adhibeba[*s rei servan-*
[*dae aut augendae familiaris q*]uod nec de semine tuo vere c[*reatos habebas*
[*et civibus donare pulcri*]us.
[*Ille vero dolor*] qui te saepe p[*rem*]ebat . . . . .

Exempli causa supplevi praeeunte Buechelero. Quae Huebnerus proposuit supplementa 4 fun]ere mereris. — 4/5 ipse p[er]isti 6 [re|sti]tuisti. — 6/7 qua [re | di]vabus. — 7/8 adhibeba[s | q]uod. — 10 p[lang]ebat breviora sunt quam quibus sententiarum conexus aptus efficiatur.

v. 1 suppl. ego, 'to[to pectore | sensum honesti qui] in' Buechelerus. — 2 '[memoria patris | nullo unquam t]empore' Buech. — 3 '[videretur. extremum | hoc munus hab]ere' Buech. — 4 'pl[enos muneribus | cives tuos reddid]isti' Buech. — 5 'placuisti [liberalitate]'. Buech. Reliquos versus sic fere ut dedi supplevit Buechelerus.

4. '[*Nec tamen tua propria laude car*]*ere mereris*' sic supplevi ut acuerem illud 'ipse' quod sequitur. Ceterum cf. ad Turiae laud. I. 34, ad Murdiae l. 24.

5. [*munera exercu*]*isti* cf. Eph. ep. VII. 720 'ob insignem eius vitam .... et in muneris editione promtas liberalitates quas in cives suos exercuit'. cf. C. I. L. X. 3903 $_5$ 'cum ..... adeo [p]rivatim publicéque munifi[centiam exercue]rit, ut et patrimo[nium paene partir]étur cum ré p[ub]licá varils et plúrimis in[pendiis in se receptis et] laetior sempe[r videretur in unive]rsos inpendis[se] quam quod sibi ac suis i[nserviret].'

Videtur fragmentum continere frustulum laudationis publicae (cf. p. 461 sqq.) habitae fortasse in funere patroni municipii non ante II. post Chr. saeculum. Atque potest confirmare nostrum de Turiae laudatione iudicium, cum putes, hanc quoque orationem dictam esse tertia persona grammatica, lapidi incisam secunda. (cf. p. 495 sqq.).

Index verborum I

fragmenta aevi Augustei et vetustiora continens.

(Numeri pingues indicant fragmenta, macri versus. numeri Romani significant partes laudationis *Turiae*. Mu. = laudatio *Murdiae*.

Index verborum II

fragmenta recentiora continens.

(Numeri pingues indicant fragmenta, macri versus. H = Hadriani laudatio Matidiae.)

Index III

nominum rerum auctorum.

Addenda et Corrigenda.

p. 449 lin. 2 ab inf. pro 'ἐάν τε τιμητήϲ' lege 'ἐὰν δὲ τιμητήϲ'.

p. 458 De *loco laudationum* nunc, postquam in funus publicum accuratius inquisivi, non dubito ponere haec: laudatio privata primo in silicernio ad sepulcrum habebatur (cf. locos Diodori et Luciani laudatos p. 451 not. 1) e more apud plerosque populos volgato. Romanorum hoc proprium erat, ut eo modo quem 452 sq. exposui in morem abiret, etiam in funeribus privatis laudationem in foro haberi. Nec tamen conscientia veteris ritus tota periit; ideo in funeribus Octaviae et Augusti altera laudatio in foro altera ἐπὶ τοῦ Ἰουλίου ἡρῴου i. e. quasi pro sepulcro gentili habita est. Tale aliquid videtur etiam Cass. Dio sensisse cum scriberet (LIV. 35) 'καὶ αὐτόϲ τε (Aug.) ἐκεῖ (ἐπὶ τοῦ Ἰουλίου ἡρῴου) τὸν ἐπιτάφιον εἶπε καὶ ὁ Δροῦϲοϲ ἐπὶ τοῦ βήματοϲ. δημόϲιον γὰρ τὸ πένθοϲ ἀλλαξαμένων τὴν ἐϲθῆτα τῶν βουλευτῶν ἐγένετο'. Publice enim quae decernebatur laudatio in foro, ubi corpus collocabatur, habenda erat a magistratu. Videturque sane decreto publico funeri infuisse, data autem esse etiam tum cum non ipsum funus publicum sed impensae tantum funeris publice decernerentur. Ideo interdum commemoratur, ut in titulis Hispanicis, plerumque siletur. Laudatoris officium videtur summo magistratui consuli vel duoviro mandatum esse.

p. 462 ad not. 2 adde: „Casu infelici accidit ut schedula, in qua descripseram titulum huic propinquom inter alias absconderetur. Est titulus Iliberritanus C. I. L. II 2079 (cf. Huebnerum in act. Berolin. pp. 19 et 34), quem post Huebnerum sic suppleo

Q. [Co]rnelio [M. f. Gal(eria) Valeriano
iud](ici) de $\overline{V}$ decuriIs..............
praef. cohort(is) I.... [praef. vexillationibus
t]rib(us), equitum coho[rt(ibus) $\overline{XII}$ in Thracia
donato coroni]s aureis, statuis,
clipeis, imaginib[us .... item
laudatione a numer[is omnibus,
item ab eis numeris, q[uibus ..... praefuit, funeris
inpensa, loco sep[ulturae, statua,
item ab Hieropolitanis i[n Phrygia? ....
item d(ecreto) d(ecurionum) Florentinor(um) Ilibe[rritanorum....
Q. Cornelius Q. f. [.......... h(onore) a(ccepto) i(mpensam) r(emisit)

De Cornelii militiis ab aliis accuratius agendum erit. Nunc videtur satis esse monuisse laudationum funebrium honores re vera etiam a numeris militum licet privatim decerni. Quae ubi et a quibus habitae sint non habeo unde sciam. Interdum tamen etiam de titulo CIL VI 1. 3617 ita iudicandum erit."

p. 465 in tit. CIL II. 3252 dele ? post 'exsequia]s'.

p. 471 in fine capitis addas: Atque Taciti Agricolam rectissime describat quispiam verbis 'inter sermonem historiamque medius'. Sic Plinius de opere aliquo C. Fanni (ep. V 5. 2) 'scribebat exitus occisorum aut relegatorum a Nerone et iam tres libros absolverat subtiles et diligentes et Latinos atque inter sermonem historiamque medios' (cf. V 5. 5), opere laudationum scriptarum vix admodum dissimili.
p. 472 not. 1 lin. 4 lege 'funeribus'.
p. 473 not. lin. 8 ab inf. pro 'nam' lege 'num'.
p. 482 ad frgt. 5 not. 5/6 adde: Stat. silv. III 3. 50 sqq. 'propriis sub regibus omnis terra, premit felix regum diademata Roma, hanc ducibus frenare datum, mox crescit in illos imperium superis, sed habent et numina legem'.
p. 484 ad frgt. 11 not. lin. 5 pro 'initio' lege 'inito'.
L. Aelio Stilone comment. phil. Ienens. IV p. 6. Cuius sententias grammaticas et etymologicas collegerunt Heusdius *disquisitio de L. Aelio Stilone* p. 64—81, Eggerus Lat. serm. vet. rel. p. 2—13, Mentzius l. l. p. 29, cuius locos Gellianos tractavit Kretzschmerus *de auctoribus A. G. gram.* p. 41, Verrianos Reitzensteinius *Verrianische Forschungen* p. 88—92. Romanus eius memoriam sine dubio a Plinio accepit (cf. Mentz. p. 24), qui quem Stilonis librum adhibuerit dubitatur, cum Heusdius p. 60 cogitet cum de libro etymorum tum de opere mere grammatico, Mentzius p. 20 ss. de solo libro etymologico vel glossographico, alii ut Lerschius philos. ling. III p. 146 et Graefenhanius hist. phil. II p. 251 talem librum prorsus negent. In capite igitur de analogia inter lemmata Pliniana ad accusativum pluralis in eis exeuntem spectantia haec duo leguntur deinceps posita: Char. p. 129, 31 *ferocior tam quam peior melior ait Stilo in eis accusativo posse proferri, ferocioreis* et 130, 1 *ferientium ferienteis idem Stilo putat facere debere, ut docenteis saltanteis, quoniam quaecunque secum verbi iura traxissent, ea accusativis pluralibus, adiuvante dumtaxat genetivo plurali, in eis sonarent.* Cf. Mentz. p. 29 fragm. no. 16 et adnotationem p. 42 = Heu. p. 65. Eg. p. 11. Apparet igitur Stilonem de accusativo comparativi et participii disputavisse, quem in eis finiri volebat, si genetivus ium acciperet. Ad comparativum duo praeterea tituli Pliniani pertinent p. 130, 4 *facilioreis* et 137, 27 *maioreis,* quorum hic ab Aelio differt, cum accusativum non ad normam genetivi pluralis sed ablativi singularis redigat. Restat tertius Charisii locus capitis XV p. 84, 10 *puer et in feminino sexu antiqui dicebant, ut Graeci ὁ παῖς καὶ ἡ παῖς, ut in Odyssia vetere ... et in Nelei carmine ... ubi tamen Varro cum a puera dictum putat, sed Aelius Stilo, magister eius, et Asinius contra* (cf. Mentz. p. 31 fragm. no. 33 adnot. p. 48 = Heu. p. 71, Eg. p. 11), ubi Aelius Stilo in quaestione generis una cum Varrone et Asinio commemoratur, quos Plinius nominare solet. Etiam in nat. hist. Plinius Stilonis mentionem facit 9, 123. 14, 93. 33, 29. Cf. Mentz. p. 23.

Aurelius Opilius.

Aurelius Opilius, cuius fragmenta grammatica collegit Eggerus lat. serm. vet. rel. p. 27—31, in medio saeculo septimo floruit. Cf. Lersch. philos. ling. III p. 150, Osann. diar. stud. ant. 1849 no. 25—28, Ritschl. Parerga I p. 364, Graefenhan. hist. phil. II 254. Quem Suetonius gram. 6 p. 105 R. narrat Rutilium Rufum in Asiam secutum Smyrnae libros 'Musarum' variae eruditionis composuisse, quos Gellius I 25, 19 commemorat. Cf. Kretzschmer. *de auctoribus A. G. gram.* p. 41. Ad quos num redeant loci originem et significationem verborum interpretati parum constat, Varronem[1])

1) Varronem grammaticum nostrum vocare Opilium, ubi ipse eum

dico de ling. lat. VII 65. 70. 106. 50. 67. 79 et Verrium (cf. Reitzenstein. *Verrianische Forschungen* p. 92) apud Paulum p. 68, 1. 147, 13. 85, 1 et Festum p. 141, 28. 162, 6. Cf. excerpta ex com. in Donat. codicis Voss. 37 gram. lat. V p. 328, 8 et artem anonymam Bernensem gram. lat. sup. p. 75, 34. Apud Romanum Aurelius bis occurrit: in capite de analogia p. 128, 1 *Euandrus Maro, quod, ut ait Aurelius Opilius, Graeca nomina ος syllaba finita us debent terminari. usus tamen Euander* ... et in capite XV p. 84, 2 *Alexander et Teucer dici debet; sed et Alexandrus et Teucrus dici possunt, at Vergilius Teucrus et Euandrus, secundum illam scilicet rationem, qua nomina Graeca in ος exeuntia Latine in us exire Aurelio placet* ... Apparet ambos titulos ad eundem Aurelii locum redire, quo graecis nominibus in ΟϹ finientibus latina in us respondere docuit. In Romanum per Plinium Aurelii doctrina manavit, qui Opilium laudat hist. nat. 28, 7, quem de Euandro et Teucro in eundem modum disserere videmus p. 120, 4 *aestifer an aestiferus? Plinius in eodem libro VI 'ut fatifer ... dici debet ... nec ut quaedam quasi composita, velut Euander Teucer, dici debent et interdum e littera carere.'* Cf. 122, 3 *Alexander*. 122, 4 *ager*.

Gnifo.

M. Antonii Gniphonis grammatici vitam Suetonius gram. 7 p. 105 R. narravit (cf. Lersch. phil. ling. I p. 129 Graefenhan. hist. phil. II 255) cuius aetas inde colligitur, quod Suetonio teste Cicero 'etiam cum praetura fungeretur' (anno 688) scholam eius frequentavit (cf. Macrob. sat. III 12), et quod Ateius Philologus (Suet. cap. 10 p. 108 R.) se discipulum Gniphonis esse profitetur. Eundem Ateium auctorem secutus Suetonius tradit Gniphonem duo volumina *de Latino sermone* reliquisse, cetera quae eius nomine ferrentur discipulorum eius esse. Quibus ex libris fluxisse videntur, quae Quintilianus I 6, 23 cavillatus licentiam grammaticorum, qui ad rationem quae intercederet inter nominativum et genetivum ebur eboris robur roboris fingerent sulpur sulporis guttur gutturis, addit de Gniphone: *sicut Antonius Gnipho, qui robur quidem et ebur atque etiam marmur fatetur esse, verum fieri vult ex his ebura robura marmura.* Cf. Graefenhan. IV 162. Eiusdem grammatici volumen 'quo disputat quid sit festra' Macrobius sat. III 12 commemorat. Ad hunc Gniphonem suspicor redire interpretationem versus Vergiliani, quam Romanus in capite de adverbio de Gnifone refert. Nam differentiae scripturae Gnipho: Gnifo nihil tribuo, cum Suetonii codices differant (Vaticanus: Gnipho, Leidensis: Gnifo, Ottobonianus: gnifo) et Quintiliani codex optimus Ambrosianus praebeat: Gni*fo*, ubi quidem fo correctura ortum est. Apud Charisium igitur legitur p. 205, 1

---

inspexerit, contra Aurelium, ubi eius memoriam Servio Claudio debeat, non male Usenerus Mus. Rhen. XXIII p. 682 proposuit.

mox Maro georgicon I 'tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum concilia incertum est'; ubi Gnifo pro cito significare ait. alii paulo post, ut Terentius ... aliud est 'mox Italus Mnestheus'. Quo libro Gnifo Georgicon versum interpretatus sit nescio. Nam ob Romani dictionem *ubi* non necessario cum Burmanno de Gnifonis commentario Vergiliano cogitandum est (Ritschl. Parerga I 363), de quo dubitat etiam Suringarius hist. crit. schol. lat. II p. 230. Contra Buechelerus in commentatione *Ennius et Gnipho* Mus. Rhen. XXXVI p. 335 collato Ennii annalium versu 89 V. contendit hanc doctrinam profectam esse ex Gnifonis commentario Enniano, quem magna cum probabilitate ex schol. Bern. in Verg. Georg. II 119 *acanthi. Gnifo commentatur annalium libro decimo hanc arborem in insula Cercina regionis Africae esse opportunam tincturae, quae in floris sui colorem lanam tinguat, unde vestis acanthia appellatur* evincere studuit. Iam si recte Gnifonem intellegimus grammaticum aetatis Ciceronianae, Romanus librum eius non vidit, sed eius memoriam ab alio nescio quo accepit, praesertim cum hoc solo loco a Romano excitetur.

Ennius.

Ennii grammatici a Romano semel mentio fit in capite XV in re orthographica, quas ex Plinio potissimum haustas esse censeo, Char. p. 98, 12 *erumnam Ennius ait per e solum scribi posse, quod mentem eruat, at per a et e, quod maerorem nutriat* (p. 182 no. LVI V., p. 143 no. XVI M.). Scripturam igitur vocabuli erumnae grammaticus ab etymo pendere iudicat. Quaeritur autem, utrum intellegendus sit Q. Ennius poeta (cf. Lersch. phil. ling. I 100 III 137 Ribbeck. annal. phil. LXXV p. 314), quem Festus p. 239 *solitaurilia* tradidit duplicis consonae scripturam per unam litteram factam sustulisse, an cum Hesselio ad Ennii fragm. p. 13 Hertzio *Sinnius Capito* p. 9 Graefenhanio hist. phil. IV p. 124 L. Muellero Q. Ennii carm. rel. p. 143 grammaticus Ennius fortasse medii saeculi septimi a. u. c. Suetonius enim gram. 1 p. 100 R. L. Cottam auctorem secutus grammaticos duos Ennii libros 'de litteris syllabisque' et 'de metris' una cum libro 'de augurandi disciplina' a poeta abiudicavit. Idem p. 135 R. (cf. Isidori Orig. I 21, 1) narrat vulgares notas Ennium primum mille et centum invenisse disputans de notis a Tullio Tirone Vipsanio Philargyrio Aquila Seneca inventis, ubi viri docti Ennium posteriorem intellexerunt. Sed si Teuffelius hist. litt. Rom. no. 247, 4 opinatur ordine iusto Ennium ante Senecam locum tenere debuisse, huic explicationi adversatur, quod Suetonius Ennium a ceteris segregat, cum dicit *Ennius primus* et pergit *Romae primus Tullius Tiro.* Contra premendum est testimonium Festi p. 352 *topper significare ait Artorius cito fortasse celeriter temere ... Ennius vero sic: 'topper fortasse valet in Enni et Pacuvi scriptis'.* De duobus Enniis verba fiunt, cum Muelleri coniectura prius nomen in 'Sinnius' mutandum

esse non necessaria videatur respicienti Suetonii verba. Item iudico de loco fragmenti Parisini quamvis corrupto gram. lat. VII p. 534, 5 *his solis in adnotationibus Ennii Lucilii et historicorum usi sunt * varrus hennius haelius* ... (v. Keilii adn.). Denique Varronis verba de ling. lat. V 86 *foedus quod fidus Ennius scribit dictum* ad Ennium grammaticum rettulerunt Osannus anal. crit. p. 28 et L. Muellerus p. 143 no. XVI, ut certe ante Verrium fortasse ante Varronem vixerit.

Epicadus.

Cornelius Epicadus teste Suetonio gram. 12 p. 110 R. Sullae libertus, cuius librum de rebus suis imperfectum supplevit et edidit, in medio saeculo septimo extitit grammaticus summae auctoritatis (Arnob. adv. nat. I 59), de quo legas accuratam dissertationem Osanni Symb. II 359 adn. et Petri hist. Rom. rel. I p. CCLXXVII adn. 1. Cuius librum de metris Maximus Victorinus gram. lat. VI p. 209, 9 (= Audacis excerpta gram. lat. VII 336, 27) laudat: *hexameter dicitur an hexametrus? Utrumque, ut Euander et Euandrus, quorum unum venit ex graeca enuntiatione, alterum ex latina. quippe Cornelius Epicadus in eo libro, quem de metris scripsit, 'hexameter' inquit 'versus'*. Nonne quae grammaticus de duplici nominativi formatione vocabuli Euandri docet mirum in modum conspirat cum Romani titulo Pliniano p. 128, 1 *Euandrus Maro, quod, ut ait Aurelius Opilius, Graeca nomina ος syllaba finita Latine us debent terminari; usus tamen Euander.*? (cf. Aurel. Opil.). Nonne verisimile fit Maximum Victorinum Cornelii Epicadi mentionem a Plinio accepisse? Iam apud Charisium in capite XV p. 110, 3 legitur: *Sibyllam Epicadus de cognominibus ait appellatum qui ex Sibullinis libris primo sacrum fecit, deinde Syllam; qui quod flavo et compto capillo fuit, similes Syllae sunt appellati. inde effeminati hodieque in ludo syllae dicuntur, quos vulgo imprudenter populus appellat. ceterum Psylli sunt in Africa serpentibus medentes, sicut in Italia Marsi.* Discimus igitur Epicadum 'de cognominibus' scripsisse, quem Cornelium Epicadum fuisse Graefenhanius hist. phil. II 285 bene suspicatus est. Comparari potest apud Macrobium sat. I 11 de Sigillaribus Epicadi sententia. In Varronis quoque locis de ling. lat. V 148. 150 VII 39, ubi Cornelius laudatur, Epicadum intellexerunt Osannus l. l. et O. Iahnius proleg. in Pers. p. CXLIII adn., quippe qui excitetur a Varrone apud Servium in Verg. Aen. I 649. Charisianus locus pertinet ad titulos formationis et significationis, quos Plinio potissimum tribuendos esse censeo. Et de nostro quidem lemmate dubitari omnino nequit, cum de Psyllis et Marsis serpentium domitoribus Plinius in nat. hist. 21, 78 et 28, 30 verba faciat et de Marsis solis 7, 15. 25, 11. 28, 19. Denique moneo in Plinii nat. hist. 17, 38 Petrum Mus. Rhen. XXII p. 153 coniecisse Epicadi nomen pro Epidii restituendum esse.

Sisennae.

L. Cornelium Sisennam clarum medii saeculi septimi Historiarum scriptorem commentario Plautinas fabulas exstruxisse Suringarius hist. crit. schol. lat. I p. 72 et Ritschelius *de veteribus Plauti interpretibus* Parerga I p. 374. 376 voluerunt. Sed cum a Sisenna apud Charisium p. 221, 9 Vergilius excitetur, ego commentatorem post Vergilium vixisse ratus assentior Bergkio Philolog. XXIX p. 328 *Beiträge zur lateinischen Grammatik* I p. 124 et Buechelero *Grundriss der lateinischen Declination* p. 122 adn. 3, qui commentatorem Plautinum a rerum scriptore alienum habuerunt. Nihil autem de huius Sisennae aetate inde efficias, quod apud Char. p. 120, 10 a Plinio Sisenna citatur, qui historiarum scriptor est teste Probo de nomine excerpta gram. lat. IV p. 211, 27, ut duo Sisennae apud Romanum inveniantur. Sisennae commentarium varia doctrina insignem fuisse docent fragmenta a Rufino et Charisio servata, quae collegerunt Wernickius *Sisenniana* p. 52 s. Suringarius l. l. Eggerus lat. serm. vet. rel. p. 17 Petrus hist. Rom. rel. I p. 297 cf. p. CCCXXXVI, accuratius illustravit Ritschelius Rufini p. 378 Charisii p. 384. A Rufino enim, qui in commentario in metra Terentiana gram. lat. VI p. 565, 4 Sisennam cum multis enumerat qui mensuram esse in fabulis Terentii et Plauti dixerint, ex Sisennae commentario in Plauti Amphitruonem Aulularium Captivos Poenulum Pseudolum Rudentem loci quaestiones metricas continentes ita afferuntur p. 560, 28—561, 10: *Sisenna in commentario Poenuli* et postea breviter *in Pseudulo* e. a. Romanus autem in libro de adverbio quattuor titulos sumpsit ex commentario Amphitruonis, quem ipse vidisse videtur, cum Sisennae ipsius verba laudet:

Char. p. 198, 26 *examussim Plautus in Amphitryone 'examussim est optima' ubi Sisenna 'pro examinato' inquit. amussis autem est tabula rubricata, quae dimittitur examinandi operis gratia an rectum opus surgat.* Cf. Non. 9, 10.

203, 27 *luci Plautus in Amphitryone 'hoc luci', ubi Sisenna 'quaecunque nomina e littera ablativo singulari terminantur i littera finita adverbia fiunt, ut mani'.*

221, 6 *tuatim Plautus in Amphitryone: ubi Sisenna 'ut nostratim'. significat autem tuo more.* Cf. Non. 179, 30.

221, 9 *tractim Plautus in Amphitryone; ubi Sisenna 'pro laute' inquit 'non ut Maro georgicon III „tractimque susurrant“ inquit'.* Cf. Non. 178, 27.

Admonendum est totos quattuor titulos ad Sisennam redire etiam quae p. 198, 26 de amussi exponantur (cf. dissertationem meam *De Nonio M. et Verrio F.* p. 32) et ultima verba p. 221, 7 (cf. Non. 179, 30 *tuatim tuo more*). Uno praeterea loco in Romani capite de adverbio p. 214, 6 Amphitruonis versus legitur, qui num a Sisenna profectus sit, non discerno. Hoc vero Ritschelio p. 386

non concedo Bachidum versum p. 184, 7 P. ex Sisennae Bachidum commentario sumptum esse, cum Caeci et Bachidum (excepto loco p. 209, 15) versus non ita rari ex proprio glossario fluxisse videantur, ut p. 242, 10 exemplum Plautinum ex 'glossis veterum' sumptum esse praedicatur.

Amphitruonis commentarium Sisennianum cum Romanus ipse adhibuerit, duobus locis capitis de analogia et capitis XV Sisennae memoriam Plinio debet, qui in altero laudatur. Intellego autem hunc Sisennam historiarum scriptorem testimonio usus Probi de nomine excerpt. gram. lat. IV p. 211, 27. Dico de locis Char. p. 120, 10 *Augustas. cur pridie Kal. Augustas et non Augustarum dicimus? ubi Plinius Secundus eodem libro VI: 'a finita nomina singulari nominativo veteres casu genetivo as syllaba declinabant, ut Maia Maias. nam et Sisenna inquit eum qui diceret pater familiae, patrum familiarum oportere dicere. itaque, patrum familiarum cum consuetudinis taedium respuerit, et pater familias dici perseveratum est'* et p. 107, 14 *pater familias et mater familias antiqui magis usurpaverunt, propterea quod nominativo singulari s litteram adiciebant, ut facerent genetivum, haec familia huius familias ... sed emendatius custodiae Maiae et familiae dicimus. quod ne celebraretur Sisenna effecit. ait enim eum qui diceret pater familiae etiam pluraliter dicere debere patres familiarum et matres familiarum. quod quoniam erat durum et longe iucundius patrum familias sonabat, etiam pater familias ut diceretur consuetudo comprobavit. et tamen ratio Sisennae non est valida ...* Cf. Wernicke. p. 53. Pertinent duo Romani articuli ad eandem Sisennae doctrinam. Reiecit igitur genetivum formationis antiquae velut familias, cum singulariter pater familiae pluraliter patres familiarum dici debeat, quam rationem Plinius p. 107, 18 recte impugnat, cum ostendit composita ut paterfamilias non necessario in altera parte flecti, ut patres familias non minus recte dicantur quam tribuni plebis, magistri ludi, praefecti aerari. Tertius locus accedit, qui et ipse sine dubio ex Plinio manavit, Probi de nomine excerpt. gram. lat. IV p. 211, 27 *pater familias an pater familiae? pater familias ab antiquis dicebatur ... sed Sisenna, scriptor historiarum, primus mutasse dicitur pater familiae dicendo. melius enim genetivo nomen compositum respondet, pater familiae, quam accusativo, pater familias.* Ceteris Charisii locis, ubi Sisenna commemoratur, non de grammatico agitur: p. 199, 29. 194, 4; 8. 196, 1; 5; 14. 200, 20. 207, 3. 208, 4. 209, 7. 223, 14.

Varro.

Varronis memoriam grammaticorum latinorum principis, cuius libros necnon grammaticos egregie percensuit Ritschelius Mus. Rhen. VI 481—560, cuiusque fragmenta grammatica collegit Wilmannsius *de M. Terenti Varronis libris grammaticis scripsit reli-*

quiasque subiecit Romanum Plinio potissimum debere (cf. Wilmanns. p. 31 adn.) apud hunc ostendere conabor. In titulis enim Plinianis capitis de analogia saepissime et scriptor et grammaticae sententiae auctor affertur, ut, cum iidem libri in capite XV occurrant in titulis diversae doctrinae neque tamen a Plinio alienae, hos ipsos a Plinio profectos esse verisimillimum sit. Nunc mittamus locos, quibus de dictione Varroniana agatur, et respiciamus solos grammaticam Varronis doctrinam continentes. Mittamus igitur locos quoque ex libris grammaticis ad dictionem Varronis comprobandam petitos: ex libro de lingua latina Char. p. 80, 3 *catinus,* 142, 20 *rure,* 105, 14 *palpetras* (?), 139, 15 *oxo,* de sermone latino 103, 26 *capo,* 126, 22 *domi,* 135, 18 *later,* de utilitate sermonis 123, 3 *aenigmatis.* Contra respiciendi sunt Varronis librorum aliorum atque grammaticorum ii loci, qui grammaticam quaestionem amplectuntur: epistulicarum quaestionum 104, 20 *capillum,* 109, 1 *quo loco,* 73, 3 *quintum tricensimum,* 108, 10 *margarita,* antiquitatium divinarum 105, 10 *φυλακτήριον,* antiquitatium humanarum 77, 10 *balteus,* rerum humanarum 102, 15 *nihil.* Conferas quae Kretzschmerus *de auctoribus A. Gellii gram.* exposuit de Varronis sententiis grammaticis a Gellio allatis ex libris antiquitatium rerum humanarum p. 45, rerum divinarum p. 46, de lingua latina ad Ciceronem p. 47, de sermone latino ad Marcellum p. 48, περὶ χαρακτήρων p. 49. 54, quaestionum epistulicarum p. 53, aliis a Romano alienis. Iam locos, quibus Varro grammaticus a Romano excitatur, recenseamus.

In capite de analogia Varronis doctrina in sex titulis legitur, ex quibus Plinium Varronis auctorem nominant tituli p. 122, 25 *amni,* 129, 21 *fonteis,* 131, 11 *glossemata,* 131, 7 *git,* duo Plinii nomen tacent attamen eius sunt p. 141, 31 *poematorum* et 124, 13 *Cretum.* Quorum tres Varronis nomen solum praebent: *amni fonteis glossemata,* duo librum XI de lingua latina: *git* et *poematorum,* librum I de sermone latino: *Cretum.* Quod ad res grammaticas attinet, tituli Char. 131, 11 '*glossemata ut toreumata enthymemata noemata schemata poemata et his similia omnia Varronis regula*' *inquit Plinius* '*dativo et ablativo plurali in bus dirigit, quia singularis ablativus e littera finiatur*' (Wilmanns. frg. 98) et p. 141, 31 *poematorum et in II et in III idem Varro adsidue dicit et his poematis, tam quam nominativo hoc poematum sit et non hoc poema. nam et ad Ciceronem XI horum poematorum et his poematis oportere dici* ... (Wilm. frg. 21) tractant flexionem graecorum neutrorum velut poema, de quibus Varro (131, 11) regulam statuit, ut dativo et ablativo plurali in bus terminata sint, quia ablativus singularis e littera finiatur, ipse autem consuetudini multum tribuisse videtur, quae poematorum et poematis volebat (141, 29). In articulo, qui ad Plinianos de ablativo in e vel i finiente pertinet, p. 122, 25 *amni Maro ... ubi Plinius eodem libro* '*ab antiquis*' *inquit* '*quos Varro reprehendit, observatio omnis illa damnata est, non quidem in totum. dicimus enim,*

inquit, ab hoc canali siti tussi febri maiore tamen ex parte forma mutata est. ab hoc enim cane orbe ... dicimus ... (Wilm. frg. 18) Varronis regula extat ablativum substantivorum quorundam in e exire debere exceptis canali siti tussi febri. Cf. Detlefsen. Symbola philol. Bonnens. p. 701. In titulo ad Plinianos de accusativo in eis vel es terminato pertinente p. 129, 21 *fonteis. 'quorum nominum genetivi pluralis ante um syllabam i litteram merebuntur, accusativus' inquit Plinius 'per eis loquetur, montium monteis, licet Varro' inquit 'exemplis hanc regulam confutare temptarit istius modi, falcium falces, non falceis facit, nec has merceis, nec hos axeis lintreis ventreis stirpeis urbeis corbeis vecteis inerteis. et tamen manus dat praemissae regulae ridicule, ut exceptis his nominibus valeat regula'* (Wilm. fragm. 20) Plinius cavillatur Varroni, qui regulam accusativum per eis finiri, si genetivus ium habeat terminationem, statuerat interrumpi accusativis falces merces al. Sub titulo iis iungendo, qui de nominibus casibus deficientibus dicunt, p. 131, 7 *git Varro ad Ciceronem XI per omnes casus id nomen ire debere commeminit; vulgo autem hoc gitti dicunt. itaque ut Plinius* ... (Wilm. frg. 23) Varronis de hoc monoptoto sententia a Plinio affertur. Cf. 104, 3. Denique p. 124, 13 *Cretum Cicero ... Cretenses Ennius, ut Varro libro I de sermone latino scribit* (Wilm. frg. 48) formam Cretenses Varro Enniano exemplo firmavisse narratur.

In titulis capitis XV Varro laudatur in quaestionibus orthographicis:

Char. p. 58, 17 *mensam sine n littera dictam Varro ait, quod media poneretur; sed auctores cum n littera protulerunt, Vergilius saepe. sed et mensam cum n posse dici idem Varro ait, quod et mensa edulia in ea ponerentur.* (Cf. de ling. lat. V 118.)

p. 73, 17 *pulchrum Varro adspirari debere negat, ne duabus consonantibus media intercedat adspiratio, quod minime rectum antiquis videbatur, unde et sepulchrum hodieque manet*... (Wilm. frg. 58d).

p. 82, 7 *Graccus et ortus sine adspiratione dici debere Varro ait; et ortum quidem quod in eo oriantur, Graccum autem a gerendo, quod mater eius duodecim mensibus utero eum gestaverit, vel a gracilitate corporis* ... (Wilm. frag. 58b).

p. 102, 14 *nihil si dicas quantitatem notas; si vero nihili adiuncta i hominis mores. cuius nominis origo haec est: hilum Varro rerum humanarum intestinum ait tenuissimum ... unde intellegimus nihil sine adspiratione vitiose dici.* (?)

p. 105, 14 *palpetras per t Varro ad Ciceronem XIII dixit*...(?) (Wilm. frag. 30);

in quaestionibus generis:

p. 77, 10 *balteus masculino genere semper dicitur ... Plinius tamen vult masculino genere vinculum significare, neutro autem lora ad ligandum apta. sed Varro in Scauro baltea dixit et Tuscum vocabulum ait esse. item humanarum XVIII.*

p. 84, 10 *puer et in feminino sexu antiqui dicebant ... ut in Odyssia vetere ... et in Nelei carmine ... ubi tamen Varro cum a puera putat dictum, sed Aelius Stilo, magister eius, et Asinius contra* (Wilm. frag. 28).

p. 104, 9 *gausapa Ovidius neutraliter dixit ... Varro autem ait vocabula ex Graeco sumpta, si suum genus non retineant, ex masculino in femininum Latine transire et a littera terminari, velut κοχλίας cochlea, Ἑρμῆς herma, χάρτης charta, ergo γαυσάπης gausapa ...* (Wilm. frag. 14).

p. 108, 10 *margarita feminini generis est, quia Graeca nomina ης terminata in a transeunt et fiunt feminina ut ὁ χάρτης haec charta ... ergo neutraliter hoc margaritum dicere vitiosum est; et tamen ... Varro epistulicarum VIII 'margaritum unum, margarita plura' sed idem Varro saepe et alii plures margarita feminine dixerunt ...* (Wilm. frag. 14).

p. 110, 15 *dies communis generis est. qui masculino genere dicendum putaverunt has causas reddiderunt ... qui vero feminino ... Varro autem distinxit, ut masculino genere unius diei cursum significaret, feminino autem temporis spatium* (Wilm. frag. 12);

in quaestionibus numeri:

p. 91, 26 *pix singulariter dicitur, ut ait Varro de similitudine verborum II ...* (Wilm. frag. 109).

p. 104, 20 *capillum priores singulariter dicebant, sicut barbam. nam Varro epistulicarum III negabat pluraliter dici debere ...* (cf. 108, 10);

in quaestionibus declinationis:

p. 78, 6 *Lucius et Aemilius et cetera nomina, quae ante u habent i duplici i genetivo singulari finiri debent, ne necesse sit adversus observationem nominum nominativo minorem fieri genetivum; idque Varro tradens adicit vocativum quoque singularem talium nominum per duplex i scribi debere, sed propter differentiam casuum corrumpi ... et Plinius quoque dubii sermonis V adicit esse quidem rationem per duo i scribendi, sed multa iam consuetudine superari* (Wilm. frag. 17).

p. 104, 3 *Leontion et Chrysion et Phanion ex neutris Graecis feminina nostri fecere ... Varroni autem placet talia nomina dativo tantum casu et ablativo declinari, in ceteris vero sic efferri ut nominativo* (Wil. frag. 29) (cf. 131, 7);

in quaestionibus formationis atque significationis:

p. 73, 9 *pulmentum et pulmentarium dicitur ... sed quidam putant pulmentum quasi pulumentum melius dici. Varro autem ad Ciceronem V pulmentum ait, quod id cum pulte esset, et inde pulmentarium dici* (cf. de ling. lat. V 108).

p. 104, 28 *bovile vetat dici Varro ad Ciceronem VIII et ipse semper bubile dicit ...*

p. 105, 10 *φυλακτήριον quod Graeci appellant amuletum Latine*

dicimus. nam et V a r r o *d i v i n a r u m XIII ita dixit, sive a molliendo, id est infringendo vim mali, sive ab aemulatione.* (?)

p. 106, 2 *Albani dicuntur ab Alba, Albenses autem ab Alba Fucente. cuius rei causam* V a r r o *ait esse, quod analogia in naturalibus nominibus tantum servatur, in voluntariis vero neglegitur. nam ut a Roma Romanus dicitur, a Nola Nolanus, ab Atella Atellanus, sic Albanus ab Alba dici debet. in illa autem Fucente Alba hoc non conservatur, quod alterius nomine cognominatur* (cf. de ling. lat. VIII 35. 56. X 16);

in diversis quaestionibus:

p. 73, 3 *quintum tricensimum annum dici sine coniunctione vult* V a r r o *E p i s t o l i c a r u m VII et similia, nec interponendam coniunctionem ipsa re cohaerente velut si dixero 'ad quintum et tricensimum praedium habeo', iam duo significabuntur, alterum ad quintum, alterum ad tricensimum.*

p. 109, 1 *quo loco per o et quo loci per i* V a r r o *posse dici in e p i s t u l i c a r u m VI scribit, sed ita ut, si de pluribus locis quaeras, velut in Italia quid puta sit an in Graecia, quo loco dicas; respondetur hoc loco: si autem de unius loci parte quaeras, tunc quo loci per i; sicut 'quis is est homo?' in multitudine dicitur. cum autem 'quid hoc est hominis' quaeritur, inquit, de alicuius quaero hominis qualitate.*

p. 111, 23 *quando particulam pro cum ponere Formianos et Fundanos ait* V a r r o . . . (Wilm. frag. 90).

In capite de adverbio Char. p. 205, 15 *mutuo, ut* V a r r o *d e s e r m o n e L a t i n o l i b r o V loquitur, in consuetudine est, mutue vero ut docte sic putant, nec non et illi qui de differentiis scribunt* et in capite de interiectione p. 241, 27; 33 *ἤθη ut ait* V a r r o *d e L a t i n o s e r m o n e l i b r o V nullis aliis servare convenit, inquit, quam Titinio Terentio Attac; πάθη vero Trabea, inquit, Atilius Caecilius facile moverunt. 'egone illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo, mori me malim: sentiet qui vir siem.' praecise, inquit* V a r r o, *generat animi passionem* . . . (cf. R i t s c h l. p. 524) nescio, ex quo auctore Romanus librum V de sermone Latino exscripserit. Denique p. 189, 25 in loco Romani tractatum de adverbiis antecedente et ipso ex Romano hausto: *Conlata sunt adverbia.* V a r r o *sic ait in III π ε ρ ὶ χ α ρ α κ τ ή ρ ω ν, propius proxime. in his extra consuetudinem communem frequenter perfectis uti solet Plautus, ut in Aulularia . . . in Curculione 'salve oculissime homo'. sed num oculissime βραχέως legendum?* dubito num Varronis grammatici sententia afferatur, cum exempla Plautina apud Priscianum gram. lat. II p. 99, 17. III p. 67, 7 de eadem re disputantem legantur, non item Varro. Et certant viri doctissimi, cuius generis libri περὶ χαρακτήρων fuerint, cum U s e n e r u s annal. phil. XCV p. 247 librum de typis verborum formationis (= περὶ τύπων) egisse censeat, ut verba Charisii p. 189, 25 *propius* — 190, 4 *legendum* Varronis sint, R i t s c h e l i u s p. 520, qui

librum περὶ χαρακτήρων eundem esse voluit atque indicis Varroniani libros de descriptionibus, et Wilmannsius p. 76 de personis typicis comoediae cogitent. Cf. Gell. VI 14, 1. Kretzschmer. l. l. p. 49.

Caesar.

C. Iulius Caesar duos libros de analogia ad M. Ciceronem composuit, quorum fragmenta collegerunt Nipperdeyius Caesar. ed. p. 753 Lerschius philos. ling. I p. 132 Eggerus serm. lat. vet. rel. p. 41 Schlittius *de G. Iulio Caesare grammatico* p. 13—19 Dinterus Caesar. ed. III p. 125. Primo libro ex fragmentis cognoscitur Caesarem de analogia, de litteris, de syllabis, de etymo et numero verborum egisse, altero de declinatione. Cf. Schlittium p. 13. Ex hoc solo Charisiana fragmenta fluxerunt, quae Romanus ex Plinio sine dubio exscripsit (cf. Schlittium p. 13), qui nominatur in titulis: 119, 5 *animal* 122, 14 *aplustre* 122, 16 *ar* 122, 30 *amni* 133, 18 *iubare* 141, 24 *partum* 145, 1 *Turbo.* Et accurate liber *de analogia II* laudatur: 90, 7 *panis* 110, 23 *is (libro II)* 130, 6 *fagos* 135, 23 *lacer* 141, 20 *panium* 145, 1 *Turbo.* Neque alius liber intellegendus est, qui commemoratur p. 141, 24 *Caesar in analogicis.* (Cf. Gell. IV 16 *C. Caesar in libris analogicis,* contra XIX 8 *C. Caesar in libris quos ad M. Cic. de analogia conscripsit* I 10 *a Caesare in primo de analogia libro scriptum est.*) Solo nomine a Plinio nominatur: 119, 5 *animal* 122, 14 *aplustre* 122, 16 *ar* 122, 30 *amni* 133, 18 *iubare.* Ceterum a Romano Caesaris loci afferuntur ad dictionem Caesaris probandam, qui hic mittendi sunt: 143, 33 *siremps,* epistulae ad Ciceronem 126, 10 *diligente,* ad Pisonem 79, 22 *loculos.* Sed breviter exponamus, quid Caesar apud Romanum — de Gellio exposuit Kretzschmerus *de auctoribus A. G. gram.* p. 60 — de analogia declinationis senserit. Accuratius enim in fragmentorum enarrationem intrare supersedeo, quam in universum recte instituerunt Schlittius p. 20—36 et Hauserus *C. Iulii Caesaris commentationum de bello Gallico et de bello civili textus, qui vocatur, cum praeceptis grammaticis ab eodem scriptore in libris de analogia traditis comparatio.*

De ablativo e vel i finiente Caesar praecepit ablativum sicut dativum i terminari in neutris l e ar (iubare excepto) nominativo clausis: Char. 119, 5 *animal . . . Plinius Secundus animal, non animale ait dici debere. G. Caesar, quasi indiscretum hoc sit, ait l littera nominativo singulari neutra finita nomina eandem definitionem capere quam capiunt e littera terminata, huic animali et ab hoc animali, huic puteali et ab hoc puteali.*

p. 122, 14 *aplustre. omnium nominum quae sunt neutri generis et in e terminantur ait Plinius Caesarem scisse eosdem esse ablativos quales sunt dativi singulares.*

p. 122, 16 *ar litteris nomina neutralia terminata item non minus*

ait ***Caesar****, quia dativo et ablativo pari iure iunguntur, ut idem Plinius scribit.*

p. 133, 18 *iubare. Plinius ait inter cetera etiam istud G.* ***Caesarem*** *dedisse praeceptum, quod neutra nomina ar nominativo clausa per i dativum ablativumque singulares ostendant; iubar tamen ab hac regula dissidere. nam ut huic* ***iubari*** *dicimus, ab hoc iubare dicendum est, ut huic farri et ab hoc farre.* (Cf. Schlitte. p. 29 frg. XX—XXII Hauser. p. XII s.)

Quam legem Caesar de femininis ut puppis restis pelvis statuerit p. 122, 30 *amni . . . Plinius eodem libro: '. . . ac ne illa quidem ratio recepta est, quam G.* ***Caesar*** *ponit in femininis, ut puppim restim pelvim * hoc enim modo et ab hoc cani dicemus et ab hoc iuveni pani* (cf. Hauser. p. XII) pro certo affirmari nequit, cum interciderint nonnulla sententia Keilii in adnotatione Charisii, cui Schlittius p. 27 s.. adversatur. Caesaris regulam de genetivo plurali ium vel um terminante vix elicias ex titulis brevissimis:

p. 141, 20 *panium* ***Caesar de analogia libro II*** *dici debere ait. sed Verrius contra* . . . (= p. 90, 7 *panis*)

p. 141, 24 *partum.* ***Caesar in analogicis*** *harum partum . . . 'sed consuetudo' inquit Plinius 'ut praegnatium optimatium'.* (Cf. Schlitte. frg. XVIII. XIX p. 28 Hauser. p. XIII s.)

Nominativum dubium 'lacer' dicendum esse voluit, accusativos plurales 'fagos populos ulmos':

p. 135, 23 *lacer an laceris? . . . Ovidius 'mille lacer spargere locis', quod ita dici debere et* ***Caesar de analogia libro II*** *nec non et Valgius de rebus per epistulam quaesitis disputant.* (Cf. Schlitte. p. 25.)

p. 130, 6 *fagus . . . fagos G.* ***Caesar de analogia II*** *'fagos populos ulmos'.* (Cf. Schlitte. p. 25 Hauser. p. X.)

Vocabulum Turbo p. 145, 1 *Turbo Turbonis, si proprium sit hominis nomen; turbinis, si porcellam voluerimus exprimere, aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum. sed* ***Caesar de analogia II*** *turbonem, non turbinem etiam in tempestate dici debere ait, ut Cato Catonis, non ut homo hominis* (cf. Schlitte. p. 26. Hauser. p. X) utique turbonis genetivo facere iussit, cum Plinius inter turbonis et turbinis formas differentiam significationis statueret, ut alia Caesaris fragmenta agunt de declinatione vocabulorum similium 'pollen' (Priscian. II 250, 17) et 'Calypso' (Quint. I 5, 63). Denique pronomen idem singulariter hac forma, pluraliter forma isdem uti censuit p. 110, 23 *is homo idem compositum facit * nisi quia* ***Caesar libro II*** *singulariter idem, pluraliter isdem dicendum confirmat. sed consuetudo hoc non servat.* (Cf. Schlitte. p. 32 s. Hauser. p. XVII.) Quod lemma sequitur aliud p. 111, 3 *se et sese pronomina ita* ***distinguit****, ut se dicamus, cum aliquem quid in alium fecisse ostendimus, ut puta 'ille dicit se hoc illi fecisse' cum autem in se ipsum, tunc dicamus sese, velut 'dixit sese hoc sibi fecisse'.* ubi in verbo 'distinguit' de Caesare cogitandum esse videtur. (Cf. Schlitte. p. 34 Hauser. p. XVIII.)

Tiro.

De M. Tullio Tirone, liberto M. Tullii Ciceronis, notarum Tironianarum inventore, cuius fragmenta collegit Eggerus lat. serm. vet. rel. p. 58—61, Gellius XIII 9, 1 narrat haec: *Tullius Tiro, M. Ciceronis alumnus et libertus adiutorque in litteris studiorum eius fuit. Is libros compluris de usu atque ratione linguae latinae, item de variis atque promiscis quaestionibus composuit. In his esse praecipue videntur, quos Graeco titulo* πανδέκτας *inscripsit, tamquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes.* Cf. Graefenhan. hist. phil. II p. 260 Kretzschmer. *de auctoribus A. Gellii gram.* p. 62. Hoc ex libro refert Tironis sententiam grammaticam de suculis, quae a Graecis ὕαδες appellatae ab ὕειν originem duxerint (cf. Graefenhan. II p. 328), ut Gellius XII 3, 3 aliam Tironis etymologiam lictorem a limo vel a licio ducentem commemorat. Aliam quaestionem grammaticam tractatam in Tironis Pandectarum libro apud Romanum invenis, qui eum singulari numero Pandecten vocat, quem Schopenus *de Terentio et Donato* p. 41 ob exquisitiorem formam verum titulum fuisse opinatur. In capite enim de adverbio articulus ex Capri, qui Tironis librum adhibuerat, libro de Latinitate sumptus est: Char. p. 207, 30 *novissime Tiro in Pandecte non recte ait dici adicitque quod sua coeperit aetate id adverbium. ubi Fl. Caper de Latinitate 'miror' inquit 'id dixisse Tironem', cum Valerius Antias libro II 'mater cum novissime aegrotasset' inquit 'vovisse fertur' idem XXII 'quod novissime nobiscum foedus fecissent'.* Reprehendit igitur Tiro novissime adverbium ut formam nimis novam, id quod Caper miratur, cum iam Valerius Antias hoc adverbio usus sit. Valerii enim loci et ipsi ex Capro sumpti sunt, cum hoc solo loco in capite de adverbio occurrat. Item Antiatis memoriam Capro debet Priscianus gram. lat. II 347, 4 et 489, 6, cum paulo post hunc locum p. 490, 9 'Probus et Caper' laudetur.

Asinius.

C. Asinium Pollionem clarum Augusti temporibus poetam oratorem rerum scriptorem grammaticas quaestiones instituisse Hauptius ind. lect. Berol. aestiv. a. 1855 p. 4 opusc. II p. 69 inter certa testimonia inde collegit, quod Aristius Fuscus ad Asinium librum grammaticum miserit teste auctore fragmenti Parisini gram. lat. VII p. 35, 2. Sed de Aristio Fusco Horatii amico, quem grammaticis rebus studuisse scimus, quaestio valde dubia est. Nam in fragmento Parisino Usenerus Mus. Rhen. XXIV p. 101 ex verbis traditis 'abuesti fusti' Aufusti nomen restituit, qui occurrit apud Priscianum gram. lat. II p. 383, 9 et Paulum p. 94, 16 *genium.* (Keil. gram. lat. VII 35, 1 adn.) Tamen Asinium grammaticum fuisse demonstraverunt praeter Hauptium: Graefenhanius hist. phil. IV p. 60.

258. 277. 403 Ribbeckius prolegom. Vergil. p. 114 Laemmerhirtius *de priscorum scriptorum locis a Servio allatis* comment. phil. Ienens. IV p. 320. Contra Thorbeckius *de C. Asinio Pollione* p. 123s. et Meyerus orator. Roman. fragm. p. 499. 501 grammaticum Asinium Pollionem alium esse voluerunt atque oratorem scil. magistrum M. Antonini philosophi. Cf. Bergk. diar. stud. antiq. 1845 p. 119 adn. 2. Steup. *de Probis grammaticis* p. 71. Sed Asinium Pollionem grammaticum Augusteae aetatis fuisse verisimillimum est, quippe quem Plinius usurpaverit. Prisciani enim testimonium gram. lat. II p. 513, 7 *nanciscor etiam nactum facit, absque n, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet* ita interpretandum est, ut Priscianum statuamus Probum apud Caprum, Pollionem apud Plinium invenisse (Hertz. p. 171, 14 adn.). Bene hoc convenit in Romanum, quem Asinii grammatici mentionem Plinio commemoranti eundem nat. hist. 33, 32. 7, 115. 35, 10. 36, 23; 24; 25; 33 debere apud hunc demonstrabo. Occurrit enim Asinius apud Romanum praeter locos non grammaticam eius sententiam continentes p. 62, 16. 100, 24. 146, 33. 134, 3. 80, 2. 77, 15 bis grammaticus in titulis capitis XV ad genus et numerum spectantibus, qui Plinii potissimum esse videntur. Char. p. 84, 11 *puer et in feminino sexu antiqui dicebant, ut Graeci ὁ παῖς καὶ ἡ παῖς, ut in Odyssia vetere ... et in Nelei carmine ... ubi tamen Varro cum a puera dictum putat, sed Aelius Stilo, magister eius, et Asinius contra.* in quaestione de feminino puer Varronis sententia Aelii Stilonis et Asinii opponitur. Alterum locum p. 97, 11 *hos pugillares et masculino et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valerium, quia pugillus est qui plures tabellas continet in seriem sutas. at tamen haec pugillaria saepius neutraliter dicit idem Catullus in hendecasyllabis* ... bene Hauptius ind. lect. Berol. aestiv. a 1855 p. 3 opusc. II 70 explicavit hanc in sententiam: Valerium Catullum ab Asinio Pollione vituperatum esse, quod pugillaria non pugillares dixisset (cf. Bergk. Philolog. XXIX p. 329 = opusc. II p. 751), sicut ab eodem Sallustium[1]) (Suet. gram. 10. Gell. X 26) Caesarem (Suet. vita Iul. Caes. c. 56) Ciceronem (Quint. XII 1, 22) Livium (Quint. I 5, 56. VIII 1, 3.). Cf. Graefenhan. hist. phil. IV 403 Suringar. hist. crit. schol. lat. II p. 245.

Valgius.

C. Valgium Rufum poetam, Horatii amicum, in epistulis grammaticas res tractavisse Gellius XII 3, 1 narrat: *Valgius Rufus in secundo librorum quos inscripsit de rebus per epistulam quaesitis, lictorem dicit a ligando appellatum esse.* Cf. Kretzschmer. *de auctoribus A. Gellii gram.* p. 68. Iidem libri 'de rebus per epistulam

1) Cf. Mercklin. annal. phil. sup. III p. 663. Kretzschmer. *de auctoribus A. Gellii gram.* p. 64.

quaesitis' bis a Romano citantur Char. p. 108, 28 *suovetaurilia* et 135, 23 *lacer*, ut reliquos quoque locos p. 102, 10 *lactis* et 143, 25 *Saturnalium* ad eos spectare verisimile sit. Cf. Unger. *de C. Valgii Rufi poematis commentatio* p. 163—198. De loco autem Char. p. 108, 7 dictionem quandam a Valgio 'in epigrammate' usurpatam afferente (cf. Diomedem gram. lat. I p. 387, 6 et librum Dubiis de sermonibus gram. lat. V 586, 4, si recte Hauptius Vallius in Valgius emendavit) non agitur, ubi de grammatico disseritur, neque de titulo Char. 73, 20 *pulchrum,* ubi Valgii nomen Bondami incertissima coniectura in loco solis excerptis codicis Parisini 7530 servato restitutum est (cf. Keilii adnot. Unger. p. 196). Quattuor autem Valgii locos Romanus apud Plinium invenit, qui p. 145, 25 *Saturnalium* nominatur. (Unger. p. 180.) Ceteros tres titulos Plinianos esse de Plinio disserens demonstrabo. Nunc addam Plinium nat. hist. 25, 4 Valgium commemorare et in libro primo inter auctores libri XXI. De doctrina Valgii a Romano comperimus grammaticum praecepisse nomina semper pluralia, si in nominativo i ante a habeant, per ium in genetivo exire, si non per rum: Char. p. 143, 25 *Saturnalium... secunda ratio, qua Plinius ait Valgium niti, talis est: nomina semper pluralia, si ante novissimam a litteram i habebunt, deposita a et adsumpta um facere genetivos plurales, velut Liberalia Floralia, Liberalium Floralium; si autem ante a i non habebunt, in rum faciant necesse est genetivum. itaque exta castra extorum castrorumque faciunt.* Deinde Valgius disputavit de nominativis dubiis vocabulorum lacer Char. p. 135, 23 *lacer an laceris? Ovidius 'mille lacer spargere locis' quod ita dici debere et Caesar de analogia libro II nec non et Valgius de rebus per epistulam quaesitis disputant* (cf. Caesar.) et lacte p. 102, 10 *lactis nominativum alii volunt lac, alii lact, alii lacte e postrema ... sed et Valgius et Verrius et Trogus de animalibus lacte dicunt. at consuetudo tamen aliud sequitur.* Eundem etymologiae operam dedisse praeter Gellium et Festum p. 297 *secus Valgius putat ex Graeco, quod est ἑκάς dictum* ... docet Romanus p. 108, 28 *suovetaurilia quidam putant dicenda a victimis sue ove tauro. sed Valgius de rebus per epistulam quaesitis solitaurilia dicta ait esse a solis maribus * sumptum esse.*

Verrius Flaccus.

M. Verrii Flacci Augusti aetate grammatici clarissimi cum liber 'de significatu verborum' excerptis Pompeii Festi et Festinis iterum a Paulo in breviorem formam redactis ad nos pervenerit, reliqui libri perierunt, in quibus sunt grammatici 'de orthographia' (Sueton. gram. 19 p. 115, 1 R.) et 'de obscuris Catonis' (Gell. XVII 6, 2) et 'epistolae' grammaticas res tractantes (Serv. Verg. Aen. VIII 423). Ad quem Verrii librum Romanus quoque loco redeat, quaerere supersedeo, cum nihil certi erui possit. Probabiliter sane O. Muellerus, qui

praef. Festi p. XIV s. fragmenta Verrii grammatica[1]) illustravit, orthographicas quaestiones apud Charisium Diomedem Velium Longum ex libro Verrii de orthographia fluxisse existimavit. Cf. Graefenhan. hist. phil. IV p. 121 Nettleship. The Journal of Philology XV p. 194. 200. Sed eandem originem habere quaestiones generis declinationis significationis nominum, quae est Teuffelii hist. Rom. litt. no. 245, 2 sententia, non crediderim. Hoc certissimum est Romanum Verrii libros non ipsum inspexisse sed, ut mihi quidem videtur, Plinium maxime adhibuisse, quem Verrii libros 'rerum memoria dignarum' (Gell. IV 5, 6) nat. hist. 7, 180. 8, 17. 9, 77. 18, 62. 28, 18. 33, 63; 111 in usum suum convertisse O. Muellerus praef. Festi p. XIII censet. Nominatur Plinius a Romano p. 85, 6 *gibber* et 126, 9 *diligente.* Sed suo loco ostendetur ab eodem Plinio natos esse articulos capitis XV pertinentes ad orthographiam:

Char. p. 58, 23 *camara dicitur, ut Verrius Flaccus adfirmat, non camera per e. sed Lucretius 'cameraeque caminis exterritibus' dicendo etiam cameram dici posse ostendit* (cf. Paul. p. 45, 17).

p. 96, 9 *alicam sine adspiratione dictam Verrius tradit, et sic multi dixerunt* ... (cf. Paul. p. 7, 17).

p. 96, 13 *polenta dici debet per o; cuius rei Verrius Flaccus rationem hanc reddit, quod ad usus hominum poliatur.*

p. 97, 15 *manibias per duo i dicendum, quia sunt a manibus, ut putat Verrius Flaccus dictae. sed et manubiae per u dici possunt a manu, quia sunt virtute contractae.*

p. 106, 20 *nomenclator sine u dicitur, ut Verrius ait, velut nominis calator;*

ad genus[2]):

p. 101, 7 *clunes feminino genere dixit Melissus ... sed Verrius Flaccus masculino genere dici probat, quoniam nis syllaba terminata anima carentia nominativo singulari masculina sunt, ut panis cinis crinis* ... (cf. Paul. 61, 17).

p. 106, 19 *sal masculini generis est nec habet pluralem ... sed Fabianus naturalium II neutraliter dixit ... quod genus etiam Verrio placuit.*

p. 109, 7 * ... *hic masculine dicendus est, ut Verrius ait, quoniam neutra in i et us non exeunt;*

ad declinationem:

p. 90, 5 *panis ... panis autem genetivum pluralem Caesar de analogia II panium dixit, sed Verrius panum sine i* ... (cf. 141, 20 *panium*).

p. 102, 10 *lactis nominativum alii volunt lac, alii lact, alii lacte*

---

1) De Gellianis v. Kretzschmer. *de auctoribus A. Gellii gram.* p. 68—76.

2) Cf. de Verrii generis studiis O. Muellerum praef. XV Graefenhanium hist. phil. IV 154 scriptoris dissertationem *De Nonio M. et Verrio F.* p. 8.

ĕ postrema ... sed et Valgius et Verrius et Trogus de animalibus lacte dicunt ... (cf. Valg.);

ad significationem[1]):

p. 85, 6 *gibber, ut Verrius ait, ipsum vitium dicitur, ut tuber, gibberosus habens gibberem, ut tuberosus ... sed Plinius ...*

p. 103, 7 *labra et labia indistincte feruntur ... Verrius autem Flaccus sic distinxit, modica esse labra, labia immodica, et inde labiones dici. nam et Terentius ... et Plautus ...*

In capite de analogia Verrius tribus locis laudatur, primum a Plinio, qui Verrium loquentem facit de nominibus nominativo ns ablativo e terminatis, p. 126, 9 *diligente. 'Verrius Flaccus' inquit Plinius 'eorum nominum quae ns finiuntur casu nominativo in e dirigendus est'* ..., deinde in titulo cognato cum Plinianis dicentibus de genetivo um vel ium clauso p. 141, 20 *panium Caesar de analogia libro II dici debere ait. sed Verrius contra. nam i detracta panum ait dici, debere* ... (cf. 90, 5 *panis*) (cf. Caesar.).

Tertius capitis de analogia titulus Char. p. 119, 13 *ambos Terentius in Adelphis ... idque Helenius Acro sic oportere dici in eadem Terentii fabula disputavit Verriumque dicit errare, qui putat hos ambo dici debere* ... non ad Plinium, sed ad Helenium Acronem auctorem referendus est, qui in Terentii Adelphorum commentario Verrium reprehendit quod accusativum ambo dici debere censuit.

Accedit tertius grammaticus, cui Romanus Verrii mentionem debet, Porphyrio in capite de adverbio. Char. p. 220, 28 *sarcte pro integre. sarcire enim est integrum facere. hinc 'sarta tecta uti sint' opera publica locantur, et ut Porphyrio ex Verrio et Festo 'in auguralibus' inquit, 'libris ita est ...'* Quae verba ita intellegenda sunt Porphyrionem ex Festi tantum epitome Verrium cognovisse.

Nihil denique nos movet locus Verrium nominans, quem Charisius non ex Romano, sed ex Palaemone (hic fortasse ex Plinio) exscripsit, p. 184, 12 in Palaemonis tractatu de adverbiis.

Iulius Modestus.

Iulius Modestus, qui Hygini libertus (Suet. gram. 20) Tiberio imperante floruit, libros 'confusarum quaestionum' (Gell. III 9, 1) composuit, in quibus grammaticis quoque rebus studuisse videtur (cf. Graefenhan. hist. phil. IV p. 65 Ribbeck. proleg. Verg. p. 121), quas Buntius Hygini fab. ed. p. 9 singularibus libellis vel commentariis ad poetas minus recte assignare videtur. Grammaticus quaestionibus etymologicis et orthographicis libenter se dedisse videtur caelibes a Caelo (Quint. I 6, 36) inchoare a chao (Diomed. gram. lat. I p. 365, 16) ducens v. i. Cf. Graefenhan. IV 219. Apud Romanum in articulis Plinianis occurrit. Primum in capite de analogia

1) Cf. O. Mueller. praef. XV et dissertationem meam p. 14.

p. 125, 4 *compluria Terentius . . . ubi Plinius* '*Iulius Modestus*' *inquit* '*ita definiit, quae nomina comparandi fuerint, ea accusativis pluralibus in is exient, id est fortioris, genetivus fortiorum facere debet, non fortiorium; id est ante um syllabam i recipere non debent. ita complura et complurum esse dicendum . . .*' et in simillimo titulo capitis XV p. 73, 12 *plurum Modestus putat esse dicendum, non plurium cum i. ea enim nomina quae comparandi sunt, genetivo i habere non debent, ut fortiores fortiorum, meliores meliorum; sic plures horum plurum . . .* de regula grammatici disseritur comparativa in accusativo plurali in is, in genetivo in um exire debere. Similem rationem atque inter hos duo locos intercedere videmus inter titulum capitis XV p. 101, 1 *large et largiter. Iulius Modestus utrumque recte dici ait, sed large esse qualitatis, largiter quantitatis. unde nascitur largitas vel largitio. nam largitudo nusquam invenitur nisi apud Nepotem* et titulum capitis de adverbio p. 204, 22 *large Iulius Modestus ait qualitatis hoc esse; largiter idem Modestus ait quantitatis. denique Laberius in Augure* '*largiter*' *inquit* '*feci*'. Apparet Modestum differentiam significationis adverbiorum large et largiter explicavisse. Plus ei recte non tribueris. Sed difficultas quaedam quaerenti oritur, a quo auctore Romanus Modestum acceperit. A titulo capitis XV proficiscenti Plinius auctor esse videtur, quem titulum Charisius non ob adverbia sed ob substantiva largitas largitio largitudo ex Romano exscripsisse videtur, ut titulus Plinianis de formatione et significatione nominum dicentibus iungendus sit. Nepotis deinde exemplum ut Laberii in titulo capitis de adverbio Plinium valde redolet. At in capite de adverbiis Plinius nusquam nominatur! Videtur igitur Romanus in capite de adverbio meminisse se alio loco de nominibus largitas e. a. egisse eoque ex Plinio sumpto, qui Modestum de large et largiter disputantem citaverat. Restant duo tituli capitis XV Modesti nomen praebentes: p. 75, 13 *tus a tundendo sine adspiratione dicitur, quamvis Iulius Modestus ἀπὸ τοῦ θύειν tractum dicat* et 103, 28 *gulam, ut Iulius Modestus ait, per u scribemus, non per y, quae Graecis vocabulis necessaria est et saepe in u transit ut in sue mure . . .* In etymologia igitur grammaticus a partibus eorum stetisse videtur, qui latina vocabula a graecis originem habere opinati sunt. Articulos autem orthographicos capitis XV ex Plinio potissimum haustos esse infra ostendetur.

Pomponius Secundus.

Pomponium Secundum clarum Tiberii aetatis tragoediarum scriptorem grammaticis quaestionibus operam dedisse docet cum Quintiliani testimonium VIII 3, 31 *memini iuvenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum an* '*gradus eliminat*' *in tragoedia dici oportuisset* tum Romani Char. p. 137, 23 *monteis. licet Pomponius Secundus poeta, ut refert Plinius, propter homo-*

nymum nominativi accusativo casu omnes non putet dici sed omneis ... Titulus ex Plinio sumptus est, qui etiam in nat. hist. Pomponium nominat et de vita eius rettulit (nat. hist. 14, 56). At ex Plinii de vita Pomponii libris (Teuffel-Schwabe. hist. litt. Rom. § 284, 7) Romanus hanc grammatici memoriam non petivit, sed sine dubio ex libris dubii sermonis. Reliqui tituli, in quibus Pomponius apud Romanum non grammatici sed scriptoris partes agit, nihil nos movent: p. 132, 15 *humile* (Pomponius 'in Aenea') et 125, 23 *cetariis* ('ad Thraseam' cf. Diomed. gram. lat. I p. 371, 18 = Priscian. gram. lat. II p. 538, 29). Vana autem videtur mihi esse Teuffelii opinio Pomponium in epistulis de grammaticis rebus disputavisse, certe locis epistulae ad Thraseam apud Charisium Diomedem Priscianum extantibus hoc non demonstratur.

Fl. Pomponianus.

Flavii Pomponiani aetatem accurate eruere mihi non contigit. Quem Buechelerus Mus. Rhen. XLII p. 473 mihi non persuasit fuisse aequalem C. Iulii Romani eundem scilicet atque P. Fl. Pudentem Pomponianum tituli Numidici C. I. L. 8, 2391: *P. Fl. Pudenti Pomponiano c. v. . . . multifariam loquentes litteras amplianti, atticam facundiam adaequanti romano nitori, ordo incola fontis patrono oris uberis et fluentis, nostro alteri fonti.* Cum semel tantum apud Romanum legatur Char. p. 145, 29 *tores Servilius, ut etiam Fl. Pomponianus notat, 'aureus tores' pro torques,* non ipsum Romanus adiit auctorem. Qui locus cum in capite de analogia toto fere a Plinio pendente occurrat, verisimile est Plinium Pomponianum nominavisse. Sed demonstrari hoc nequit, cum res grammatica narrata singularis sit generis et Servilius a Pomponiano citatus hoc solo loco reperiatur. Intellegendus esse videtur M. Servilius Nonianus Claudio imperatore rerum scriptor, qui in Plinii nat. hist. 28, 29. 37, 81 et in ep. I 13, 3 commemoratur.

Valerius Probus.

M. Valerius Probus Berytius apud Romanum occurrit primum in capite de analogia in titulo ex Capro sumpto, quo Allecto nomen Probus pro monoptoto habuisse praedicatur, Char. p. 118, 1 *Allecto, hanc Allecto Maro 'luctificam Allecto'. nam 'et nomine Dido saepe vocaturum' eiusdem schematis esse grammatici tradiderunt, non per vocativum, o Dido. Fl. tamen Caper Allecto monoptoton esse Valerium Probum putare ait.* Praeterea duo extant tituli capitis de adverbio Probi memoriam continentes, quos utrum Romanus ex Probo ipso an ex alio fonte receperit nescio: p. 198, 16 *efflictim Naevius in Corollaria 'nolo ego hanc adeo efflictim amare: diu vivat volo, ut mihi prodesse possit' ubi Probus 'usque donicum effligatur'* et p. 212, 7 *parcissime. Probus de inaequalitate consuetudinis quaerit an*

quis hoc extulerit quod et ipsum credo non parcissime factum. Priore loco Probus explicat adverbium Naevianum, ut idem Naevium affert apud Priscianum gram. lat. II p. 541, 19 *sic enim Probus de dubio perfecto tractans ostendit Naevium protulisse.* Unde Suringarium hist. crit. schol. lat. I p. 60 minime recte Probi commentarium Naevianum effecisse monuerunt Graefenhanius hist. phil. IV 287 et O. Iahnius proleg. in Pers. CXL. Suspicari licet versus Naevii ex proprio glossario Naeviano (cf. Varro. de ling. lat. VII 107) fluxisse, cum nonnullis in titulis solum lemma cum versu Naeviano legatur p. 211, 7. 210, 24. 198, 5. 215, 26. 198, 1. 223, 29, sive nostrum lemma cum Probi memoria glossario tribuas vel a ceteris Naevianis secernas. Alterum lemma p. 212, 7 dubito num ex Probo ipso fluxerit, cum similiter afferatur sententia Hadriani ex Scauro hausta p. 209, 12 *obiter divus Hadrianus sermonum I quaerit an Latinum sit.* Discerni quaestio nequit, cum nostrum lemma brevius sit. Discimus autem hoc solo loco Probum librum composuisse 'de inaequalitate consuetudinis', cuius libri Graefenhanius IV p. 155 et Steupius *de Probis grammaticis* p. 190 partes esse voluerunt libros 'de dubiis generibus' (Priscian. p. 171, 14) et 'de dubio perfecto' (Priscian. p. 541, 19).

Sed quem tu dicis Probum Romani auctorem? quaeris. Steupius enim in libro *de Probis grammaticis* tres fuisse ostendere studuit: 1) M. Valerium Probum Berytium, cuius vitam Suetonius gram. 24 enarravit, 2) Valerium Probum ab ipso fictum, ad quem refert Martialis versum III 2, 12 et locos Gellianos, deinde commentarium M. Valerii Probi in Vergilii buc. et georg. a Keilio editum et M. Valerii Probi de litteris singularibus fragmentum a Mommseno publicatum gram. lat. IV p. 267, denique Probi memoriam a Charisio Diomede Servio Prisciano servatam quoad non ad tertium Probum pertineret, 3) Probum minorem quarti p. C. saeculi, cui Instituta artium in gram. lat. vol. IV edita confidentius tribuit et locos quosdam (cf. Steup. p. 187) Prisciani Pompeii Servii cum Institutis cognatos. Probus minor Charisio posterior nihil ad Romanum. De altero autem actum est! Nemini vir doctus persuasit. Probum Martialis et Gellii Berytium esse proposuerunt post O. Iahnium proleg. in Pers. CXXXVII s. Vahlenus ind. lect. Berol. hib. 1877 p. 9—10 — cuius scholis de grammaticis Romanorum litteris aestate a. 1889 habitis me eruditionem plurimam et fructum insignem debere grato animo profiteor — Teuffelius in commentatione *Probus bei Martialis und Gellius* Mus. Rhen. XXVI p. 488 Kueblerus *de M. Val. Probi Ber. commentariis Verg.* p. 2. 7 ss. Vergiliani commentarii[1]) doctrinam antiquam ad Berytium revocandam esse post O. Iahnium

1) Probo commentarium abiudicaverunt Riesius *de commentario Vergiliano qui M. Valeri Probi dicitur* et Kueblerus *de M. Val. Probi Ber. commentariis Verg.*

proleg. in Pers. p. CXLI s. Bergkium diar. stud. ant. 1845 p. 127 Reifferscheidium quaest. Sueton. p. 398 voluerunt Ribbeckius annal. phil. 1863 p. 351 proleg. Verg. p. 164 et Keilius Symbola phil. Bonnens. p. 93. Notas Probianas a Berytio profectas esse Mommsenus l. l. argumentis gravissimis docuit. Denique quae Probo a Diomede Prisciano Servio Charisio tribuuntur, bene in Gellii et Suetonii verba quadrant, id quod mihi de Charisio demonstrandum est.

M. Valerius Probus Berytius, qui Nerone imperatore (Hieronym. ad a. Abrah. 2072 = 56 p. C.) eruditissimus grammaticorum fuit, quamquam a Suetonio gram. 24 scriptorum exemplaria emendanda distinguenda adnotanda curavisse perhibetur *soli huic nec ulli praeterea grammaticae parti deditus*, idem Suetonius addit: *nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit. reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui.* Nonne praeclare conspirat Gellius, qui noct. Att. XV 30, 5 multos commentationum libros Probi se legisse fatetur, nonne idem observationum sermonis antiqui multa exempla affert? Cf. Kretzschmer. *de auctoribus A. Gellii gram.* p. 82—92. Probi igitur librum a Romano citatum 'de inaequalitate consuetudinis' nihil est cur a Berytio abhorrere statuatur. Rectissime ei vindicaverunt Osannus symb. litt. II p. 213. 260 Iahnius proleg. in Pers. XXXIX Bergkius l. l. Graefenhanius hist. phil. IV 81. 217 Nettleshipius The Journal of Philology XV p. 194. Sed cave Steupio p. 190 credas solum hunc Probi librum 'de inaequalitate consuetudinis' a Capro exscriptum esse et ex Capro solo exscripsisse Romanum Servium Diomedem Priscianum, ubi Probum nominarent. Nam illud ne de Charisii quidem tribus locis demonstrari potest, hoc autem de Servio et Prisciano vir doctus rectius statuit (cf. Kirchner. annal. phil. sup. VIII p. 503 Keil. symb. phil. Bonnens. p. 93 Hertz. Priscian. gram. lat. II p. 171, 14 adn. Kretzschmer. l. l. p. 85) quam de Diomede, qui Probum ipsum fortasse inspexit (cf. Keil. gram. lat. I praef. p. LI Symb. phil. Bonnens. p. 93 Christ. Philolog. XVIII p. 129), et de Romano Charisii auctore. Unus sane titulus Char. p. 118, 1 ex Capro fluxit. Quem in diversis doctrinae partibus Probo niti cum doceant Prisciani gram. lat. II p. 171, 14. 393, 9. 513, 7. 534, 26 testimonia, tamen demonstrari nequit Romani reliquos titulos Probianos ad Caprum redire neque potius ad Probum ipsum vel ad alium grammaticum, qui Probo usus sit.

Denique in Charisii capite XV multi tituli leguntur ad genus et ad declinationem nominum spectantes, qui mirum in modum cum Probi libro De nomine excerpta in gram. lat. vol. IV edito congruunt. Quem librum Keilius Symbola phil. Bonnens. p. 99 gram. lat. IV p. XXX maxime in generis quaestionibus ad Berytium redire aestimavit. Sed ex Charisio vel Romano, qui in his titulis Plinium, nusquam vero Probum vel Caprum nominavit, ratione colligitur, Plinium

auctorem esse, id quod propria commentatione de Excerptis ostendere in animo habeo. Conferas nunc quae apud Plinium de hac re exponam. Iam cum accurata comparatio Charisii et Probiani libelli doceat modo hunc modo illum uberiorem copiam praebere, et Romanum et auctorem libri, qui Probi nomine fertur, Plinium communem auctorem adiisse necessario sequitur. Itaque Steupii p. 176 quoque sententia Probi de nomine excerpta ex Probo minore Diomede Charisio excerpta esse stare non potest.

Asper.

Aemilius Asper aequalis M. Valerii Probi habetur, cum in Probi commentario Vergiliano p. 15, 24 et 19, 9 K. excitetur, ambo autem coniuncti inveniantur in scholiis Veron. ad Aen. IX 373 p. 101, 6 K. et apud Servium ad Aen. X 539. Cf. O. Iahn. proleg. in Pers. p. CXLV Bergk. diar. stud. antiq. 1845 p. 125 Ribbeck. proleg. Verg. p. 128 s. Nihil ei momento tribuerim, quod locis allatis Aspri nomen ante Probum legitur, cum Probus antecedat Asprum apud Servium in Aen. VII 543 et Donatum in Ter. Ad. III 2, 25. Nihil vero contra sententiam Asprum aequalem Probi esse facit, quod Aspri non fecit mentionem Suetonius, quem Vahlenus ind. lect. hib. Berol. 1877 p. 6 s. professorum tantum vitam adumbrasse monuit. Contra Laemmerhirtius, qui *de priscorum scriptorum locis a Servio allatis* comment. phil. Ienens. IV p. 403 accurate totam quaestionem de Aemilii Aspri aetate tractavit, minime recte ex Servii ad Aen. VII 30 testimonio elicuit Asprum post Frontonem h. e. C. Iulii Romani tempore vixisse collato loco Servii ad Aen. IX 416, quo in eadem quaestione Aspri verba excitantur, Frontonis vero memoria non extat.[1]) Item Riesius *de commentario Vergil. qui M. Valeri Probi dicitur* p. 12 falsa utitur ratiocinatione, cum Asprum quarto saeculo assignet, quippe qui a Hieronymo cum Victorino et Donato coniungatur. Qui tandem in Romanum pervenisset? Asprum scripsisse constat commentarios: Terentii testimonio Rufini in commentario in metra Terent. gram. lat. VI p. 555, 1 (cf. Schopen. *de Terentio et Donato* p. 32), Vergilii testimonio Hieronymi in apologia advers. Rufin. I 16 vol. II p. 472 V. (cf. Ribbeck. proleg. Vergil. p. 128—36 Laemmerhirt. comment. phil. Ienens. IV p. 324), Sallustii testibus Hieronymo, qui l. l. commemorat *Aspri in Virgilium et Sallustium commentarios*, et Charisio, a quo p. 216, 28 laudatur *Asper commentario Sallustii historiarum I.* Cf. Suringar. hist. crit. schol. lat. I 95. 255 II 124 O. Iahn. proleg. in Pers. p. CXLV Graefenhan. hist. phil. IV 285.

1) Serv. in Verg. Aen. VII 30 *hunc inter: per hunc. Terentius 'dum rus eo, coepi egomet mecum inter vias'. est autem crebra Frontonis elocutio.* in Aen. IX 416 *per tempus utrumque: ... Asper tamen dicit 'per tempus utrumque, hoc est inter tempus utrumque, ut e contra 'hunc inter ...'* (Aen. VII 30) *id est per hunc'.*

De Sallustiano Aspri commentario solo agitur in Romano, cuius locos Kirchnerus annal. phil. sup. VIII p. 512 s. ante me recensuit. In capitis de analogia uno titulo Romanus Asprum fortasse apud Plinium citatum invenit Char. p. 140, 3 *omnes Sallustius in Catilina ... cum idem in eodem 'omneis ...'; quod ratione potius esse subnixum sub f et sub m littera poterit ostendi. sed Asper, si genetivus, inquit, omnium i litteram natura retinet, et in accusativo esse servandam.* Qui articulus sine dubio pertinet ad Plinianos de accusativo eis vel es clauso dicentes (cf. Plinium), cum Romanus ipse (cf. cap. III) legentem releget ad lemmata p. 129, 19 *fonteis* et 137, 23 *monteis.* Sed dubitari potest, utrum Romanus apud Plinium cum Sallustii Catilina (cf. 143, 13) Aspri verba coniuncta invenerit an Aspri explicationem loci Sallustiani a Plinio laudati ipse addiderit. In ceteris enim titulis capitis de adverbio non Catilinae sed historiarum commentarios adhibuit, quos sine dubio ipse evolvit, cum verba Aspri ipsius afferat:

Char. p. 216, 28 *recens. Asper commentario Sallustii historiarum I nunc adverbium nunc nomen id esse dicit, ut 'recens scriptum'. potest enim esse temporis adverbium.*

p. 196, 23 *ceterum Sallustius historiarum IV 'scio equidem tibi magnas opes virorum armorum et auri esse, et ea re ab nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. ceterum consilium est Tigranis regno integro meis militibus belli prudentibus procul a domo per nostra corpora bellum conficere'. ubi Asper 'ceterum quomodo positum est? pro alioquin? alioquin consilium est; an pro relicum, ut sit nomen? relicum consilium est'.*

p. 209, 6 *obviam pro obvius Sallustius historiarum II; ubi Asper ait 'vetuste „obviam fuere", adverbio maluit uti quam nomine': Sisenna ... M. Cato ... Plautus ...*

p. 215, 6 *procul Sallustius historiarum II 'nam procul et diversis ex regionibus'; ubi Asper 'ergo procul e loco est'.*

p. 216, 25 *rumore primo Sallustius historiarum * ubi Asper 'non est' inquit 'nomen sed adverbium, ut illud: „obstipuit primo aspectu Sidonia Dido"'.*

Apparet Asprum Sallustii Catilinam et libros historiarum commentario instruxisse, ex quibus commentarius quarti libri laudatur quinti coniectura efficitur. Alios locos Sallustianos a Romano laudatos ex Aspri commentario sumptos esse demonstrari nequit. Neque ad eundem in titulo p. 209, 6 Sisennae Catonis Plauti exempla redeunt. Cf. Kirchner. l. l. Denique in Charisii capite XV titulum p. 107, 12 *paterfamilias* Neumannus *de Plinii dubii sermonis libris Char. et Prisc. font.* p. 14 Aspro vindicavit collato Servio in Verg. Aen. XI 801. Sed ego hic Plinium fortasse Aspro nisum a Romano adhibitum esse censeo, cum Asper nusquam in capite XV excitetur.

Pertinet Aspri doctrina excepta regula genetivo velut montium respondere accusativum monteis ad sententiam scriptoris interpre-

tandam vel ad constructionem verborum. Cuius rei aliud exemplum invenis apud Pompeium in commento artis Donati gram. lat. V p. 273, 12 *interim nos hodie hoc teneamus, ut ad semper ad locum sit, apud semper in loco sit. legimus quidem apud Sallustium, in historiis habemus 'ille Conisturgim apud legiones venit': mutavit praepositionem. Asper defendit et ita dixit 'Conisturgim venit. ad quam Conisturgim venit? ubi fuerant legiones quo venit. convertas ordinem: iste enim dixit 'Conisturgim apud legiones venit', id est apud Conisturgim fuerant legiones, quo iste venit. mutavit ordinem'*. Sicut grammaticus singularem usum apud praepositionis mira ratiocinatione defendere studet, apud Romanum p. 196, 23 *ceterum* 209, 6 *obviam* 216, 25 *rumore primo* 216, 28 *recens* quaerit, utrum de nomine an de adverbio agatur, id quod supervacuum nobis videtur in titulo p. 196, 23, non recte diiudicatum p. 216, 25.

Velius Longus.

Velii Longi dilucidam imaginem omnibus testimoniis adhibitis Keilius in praefatione eius libri de orthographia gram. lat. VII p. 43 proposuit. De cuius grammatici aetate cum hoc tantum statuat eum vixisse ante Gellium, qui XVIII 9, 4 commentarium eius 'de usu antiquae lectionis' commemorat (cf. Kretzschmer. *de auctoribus A. Gellii gram.* p. 93), Ribbeckius Proleg. Verg. p. 167. 169 eum aequalem Cornuti (cf. Graefenhan. hist. phil. IV p. 82) et Urbani fuisse certis quibusdam argumentis ostendere studuit. Qua cum sententia bene conspirat, quod ego a Charisio profectus mihi persuasi Velium Palaemonis et Plinii aetatis fuisse, in medio igitur primo saeculo floruisse. Sed de Charisio quaestio difficilis est, cum Velii memoria in locis et ex Palaemone et ex Romano sumptis extet. Nam parum recta videtur mihi esse Keilii sententia Charisium ex solo Romano Velium petivisse, parum recta Marschallii *de Q. R. Palaemonis libris gram.* p. 51 adn. 2. 54 adn. 66 adn. sententia Charisium Velium non apud Palaemonem invenisse, sed ipsum aliunde addidisse. Quid? nonne apud Excerptorem Bobiensem gram. lat. I p. 556, 22 Velius Longus in eadem re occurrit, quae a Charisio p. 113, 29 narratur? Iam cum Marschallius recte docuerit Excerptorem et Charisium communem auctorem Palaemonem habuisse, necessario sequitur Charisium p. 113, 29 non minus quam 175, 14 a Palaemone Velium accepisse. Reliqui duo loci Romano debentur. Primum in capite de adverbio p. 210, 7 *primum Lucretius 'primum animum dico, mentem quam saepe vocamus'; ubi Velius Longus 'primum' inquit 'adverbialiter audiendum est'*. Velii explicatio versus Lucretiani ipsius verbis affertur, quasi Romanus Velium ipsum adierit. Hinc commentarium Lucretii cum Suringario hist. crit. schol. lat. I p. 115 non recte effici postquam monuerunt Ritschelius Parerga I 363 et Graefenhanius hist. phil. IV p. 300, Lachmannus in commen-

tario Lucret. p. 146 ad III 94 suspicatus est Velium in Aeneidis suo commentario — de quo Suringarius II p. 184 et Ribbeckius proleg. Verg. p. 169 exposuerunt — ad Aen. II 79 de versu Lucretiano commentatum esse, quod parum certum est. Alter locus, quo Velius nominatur, extat in capite XV in tractatu de inaequalitate, quem ad Plinium redire apud hunc demonstrabo, Char. p. 94, 1 *derivationis vero tanta est inaequalitas ut conprehendi non possit. nam cum sit Agrippa, mulierem Agrippinam dicimus, thermas vero Agrippinianas . . . item cum sint Titus et lupus similia, thermas Titinas ut pelles lupinas non dicimus, sed Titinianas. de qua quaestione a Velio Longo libellus scriptus est.* Velii libelli cuiusdam brevissima mentio fit, in quo Ribbeckii proleg. Verg. p. 169 iudicio de thermis Titianis non Titinis grammaticus disseruit, Keilii l. l. sententia de inaequalitate derivationis, quae praeferenda esse mihi videtur.

Paulus.

Paulus, commentator L. Caelii Antipatri, belli Punici secundi scriptoris, quater a Romano excitatur, semel in capite de adverbio et de interiectione, bis in capitis de analogia titulis ex Plinio mea sententia sumptis, ut ante hunc Paulo locum constituerim. Nam cum commentator sermonem Caelii observaverit ratione habita priscorum verborum formationis et significationis, non tam Caelii (in septimo p. u. saeculo) quam Plinii aetate eum vixisse verisimile est. In capite de analogia igitur legitur Char. p. 143, 9 *Saguntinorum Coelius, Saguntium Sallustius, ut Paulus in Coelii historia libro I notat.* Quod ad doctrinam grammaticam tituli attinet, similis est solus alter in hoc capite p. 124, 12 *Cretum Cicero Tusculanarum libro II 'Cretum legis'; Cretenses Ennius, ut Varro libro I de sermone Latino scribit,* qui propter Ciceronis et Varronis memoriam Plinio tribuendus est (cf. Varro. Plin.), praeterea in capite XV titulus p. 106, 1 *Albani,* qui Varronis de duplici formatione propriorum nominum doctrinam continet et a Plinio profectus est teste Pompeio gram. lat. V p. 144, 15. Iam cum titulum p. 143, 9 Plinio certis argumentis vindicare cogamur, item de altero capitis titulo aegre mutilato indicabimus p. 126, 31 *dii pro die seu diei lucem Paulus enim 'libra die somnique pares ubi fecerit horas'* (Verg. Georg. I 203) . . . *legendum esse definit, idque in Coeli historia libro I . . . deprehendes.* Ubi Keilius bene adnotavit Paulum 'in Coelii historia' de Georgicorum versu disputavisse. Reliquos locos capitum de adverbio et de interiectione, in quibus Plinius nusquam nominatur, a Capro suspicor profectos esse. Inveniuntur enim Caelii exempla in capite de adverbio etiam sine Pauli explicatione p. 203, 22 *longe* 203, 32 *Lilybaeo* 220, 12 *subinde,* saepius vero apud Priscianum, ubi ex uno loco cognoscitur Caelium Capro deberi gram. lat. II p. 510, 1 *ico praeterea paenultima brevi profertur in praesenti teste Capro, sed producit eam*

in praeterito perfecto et mutat o finalem in i: ĭco īci, unde ictus. Cato Censorius de Veturio: 'hostem num icit?' Caelius in I 'qui cum is ita foedus icistis'. Iam in Charisii capite de adverbio Pauli explicatio ut de analogia spectat ad Caelii librum primum Char. p. 217, 30 *satis diverse accipitur: ἀντὶ τοῦ par Lucilius saturarum . . . Terentius in Adelphis . . . item satis pro aecum est Caelius historiarum I 'commodum est, satis videtur'. 'nec enim pro sufficienti' inquit Paulus 'accipi debet, sed pro pari et aequo'. item satis pro intente Cato dierum dictarum de consulatu suo . . . Terentius in Heaut. . .* Num ex Caelii commentario titulus capitis de interiectione profectus sit dubito, ubi non Caelius sed Afranius laudatur Char. p. 241, 2 *spattaro Afranius in Aequalibus. quam vocem frequenter apud eum positam ait Paulus ἐξουθενισμοῦ vim sensumque sufferre.* Hinc Afranii commentarium efficere non audeo: in Caelii commentario Paulus Afranium fortasse nominavit ut p. 143, 9 Sallustium p. 126, 31 Vergilium. At in titulo p. 217, 30 exempla Lucilii sat. Terentii in Ad. Catonis dier. dict. Terentii in Heaut. non a Paulo originem duxerunt, cum in aliis eiusdem capitis titulis saepe occurrant.

Plinius Secundus.

C. Plinium Secundum, naturalis historiae scriptorem, notum est sub Nerone novissimis annis (Plin. ep. III 5) libros 'dubii sermonis octo' scripsisse, quorum fragmenta Plinii nomen continentia Lerschius phil. ling. I 180 II 158 adn. et Neumannus *de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus* p. 4 collegerunt, quorum indolem Schlittius *de Plinii Secundi studiis grammaticis* p. 6 ss. et Nettleshipius The Journal of Philology XV p. 201. 205 illustraverunt. Nobilissimi grammatici memoriam Charisius[1]) Romano potissimum debet nec non Palaemoni, unde difficultatem magnam oriri in capite libri primi XV vidimus, in quo Palaemonis doctrinam cum Romani coniungit. A Romano profecti Schottmuellerus *de C. Plini Secundi libris grammaticis* et Neumannus l. l. propriam de Plinio quaestionem instituerunt. Quorum alter Charisii caput XVII de analogia potissimum respexit, alter caput XV. At ambo nimis caute egerunt, cum magna cum probabilitate longius progredi possimus. Primum de libro de analogia, deinde de capite XV verba faciam. Nam de Romani libro de adverbio omnino non agitur. In quo cum Plinius nusquam excitetur, eum a Romano non adhibitum esse cum Schottmuellero p. 37 iudico.

In Charisii capite de analogia Plinius locis tam multis nominatur, ut ab his articulis profecti exceptis paucis titulis totum fere

1) De Plinii memoria a Servio servata v. Kirchner. annal. phil. sup. VIII p. 506—510 Laemmerhirt. *de priscorum scriptorum locis a Servio allatis* comment. phil. Ienens. IV p. 394.

caput Plinio tribuere cogamur. Sane multi grammatici praeter Plinium commemorantur: Caesellius Vindex, Flavius Caper, Valerius Probus, G. Caesar, Helenius Acro, Verrius Flaccus, Sisenna, Varro, Iulius Modestus, Paulus, Aurelius Opilius, Aelius Stilo, Terentius Scaurus, Asper, Valgius, Fl. Pomponianus, Pomponius Secundus. Quorum dimidium cum Plinio sine dubio debeatur, ceteri rarissime leguntur, ut semper de Plinio, si in articulo quodam de auctore dubitetur, primum cogitandum sit. Indicia vero Pliniana et ex rebus grammaticis et ex scriptoribus laudatis petenda sunt.[1]) Primo indicio usus Schottmuellerus p. 35—42 egregie in Plinii doctrina investiganda versatus est, ut titulos colligeret, qui spectarent ad ablativum singularem e vel i finientem, ad accusativum pluralem eis vel es terminatum, ad genetivum pluralem um vel ium et rum vel um clausum, ad nominativum singularem in er non is exeuntem, unde vir doctus p. 33 ingeniose suspicatus est Plinium in libro VI dubii sermonis declinationem nominum per singulos casus tractavisse. Hac ratione ducti primum lemmata Pliniana digeramus, qua in re titulos capitis de analogia, qui Plinii nomine carentes ei tribuendi sunt, uncis inclusos significabo.

Ad ablativum singularem tertiae declinationis, cuius formationis regulas Plinianas Detlefsenius *zur Flexionslehre des älteren Plinius* Symb. phil. Bonnens. p. 699—703 statuit, spectant tituli (cf. Schottmueller. p. 35): 120, 17 *aedile* (120, 24 *avi*) 126, 26 *agile* (120, 28 *annalei*) 120, 30 *agreste,* 121, 14 *auxiliare* (121, 17 *Astyanacte*) (121, 19 *Aiax*) (121, 21 *alacer*) 122, 13 *aplustre,* 122, 16 *ar* (122, 22 *avi*) 122, 23 *amni* (124, 14 *contubernale*) (124, 16 *ceriale*) (124, 18 *consulari*) (124, 20 *coniuge*) (124, 21 *cicatrice*) (124, 22 *celere*) (124, 26 *celebre*) 125, 9 *constante* (125, 13 *continenti*) (125, 15 *candenti*) 126, 9 *diligente* (127, 7 *dapsile*) (127, 9 *decemvirali*) (127, 11 *duumvirali*) 127, 12 *duplici* (127, 26 *egente*) (130, 13 *facile*) (130, 14 *familiare*) (130, 20 *Forte*) (130, 22 *pro fragili*) (130, 25 *felice*) (130, 28 *face*) (131, 4 *fragmine*) (131, 6 *gracile*) (132, 15 *humile*) (133, 5 *iuvenale*) (133, 9 *incolume*) 133, 18 *iubare* (133, 23 *innocente*) 133, 25 *inpotente* (134, 3 *insequenti*) (136, 27 *molli*) 137, 12 *mare* (138, 1 *natale*) (138, 2 *nobile*) (138, 4 *navali*) 138, 13 *nobile* 138, 15 *nobiliore* (139, 13 *omni*) 139, 17 *orbi* (141, 13 *patruele*) (142, 8 *rudi*) 142, 10 *rude,* 142, 18 *rure* (143, 5 *salutare*) (143, 7

1) Ad Plinii lemmata capitis XVII investiganda Boeltius annal. philol. 1888 p. 419—423 alia utitur ratione. Leges invenit has: primum in omnis litterae titulis extare ordines Plinianos ab eo titulo incipientes qui primus Plinii nomen praebeat; deinde titulos inter duo lemmata Pliniana Plinii esse; tum titulos Plinianos ad ablativum singularem spectantes postea additos esse, qui in omni littera primo titulo Pliniano antecedant. Utut haec sunt, hoc ego concedere non possum praeter Plinium et grammaticos nominatos a Romano in locis cum capite XV conspirantibus adhibitos esse Anonymum de analogia et Palaemonem. Quae Boeltius p. 425 s. his tribuit, ego Plinio vindicavi.

sodale) (143, 8 *saeculare*) (143, 11 *suave*) (144,) 25 *tristi* (146, 15 *vitale*) (146, 17 *utile*) (146, 19 *vestale*) 146, 21 *venali* (146, 23 *veloce*) (147, 6 *vetere*) (147, 7 *ungui*). Summa iniuria Schottmuellerus p. 38 duos articulos a Plinio abiudicavit: p. 120, 24 *avi* et 142, 8 *rudi*. Sane p. 122, 29 legitur 'ave' dicendum esse, sed agitur hic de Varronis regula! Contra in nostro lemmate, quocum conferas p. 122, 22 *avi*, dilucide verbis 'quoniam genetivus similis est nominativo' Plinius cognoscitur, quem discrimen inter nomina parisyllaba et imparisyllaba statuisse apparet ex antecedente regula p. 120, 20. Cf. Detlefsen. p. 701. Porro titulus p. 142, 8 *rudi* sine ullo dubio Plinii est, in quo de adiectivo rudis agitur, cum titulus Plinii substantivum rudis continens sequatur. Ambo autem in uno titulo ad nominativum spectante p. 143, 1 *rudis* coniuncti sunt, in quo Plinius laudatur (cf. 142, 9 'rudi animo' = 143, 4).

Cum titulis ad ablativum e vel i terminatum pertinentibus alii cohaerent, qui ablativum aliae formationis lemmatis loco praebent: p. 138, 18 *osse*, 139, 15 *oxo* (144, 17 *schema* cf. 53, 15) (122, 20 *algu*) (140, 11 *penu*) (141, 8 *pecu*) (144, 21 *spinu*) (147, 3 *vulgu*.)

Pergamus ad Plinianos accusativos plurales tertiae coniugationis eis vel es clausos (cf. Schottmueller. p. 39 Detlefsen. p. 710): 129, 19 *fonteis*, 129, 25 *funes* (129, 31 *ferocior*) (130, 1 *ferientium*) 130, 4 *facilioreis*, 137, 23 *monteis*, 137, 27 *maioreis* (139, 22 *omnes*).

Quibus titulis iungo Plinianos alios qui de eodem casu agunt: 125, 3 *compluria*, 128, 20 *ficos* (130, 5 *fagus*) 135, 25 *laurus*, 145, 5 *Titanas* (146, 10 *vera*).

Transeo ad genetivum pluralem um vel ium extremitate factum (cf. Schottmueller. p. 39 Detlefsen. p. 707), qua de re Plinius agit in titulis: 122, 8 *amans*, 124, 28 *cervicium* (125, 1 *cicatricum*) (125, 16 *civitatium*) (129, 3 *felicium*) 136, 29 *Mars*, 137, 4 *murum*, 138, 9 *ns*, 141, 16 *pacium* (141, 20 *panium*) (141, 24 *partum*) 142, 12 *retium* (142, 14 *radicium*) (144, 27 *tus*) 146, 28 *volucrium*. Titulum p. 129, 3 *felicium* Schottmuellerus p. 40 a Plinio abhorrere iniuria censet, cum diversae regulae ex diversis auctoribus petitae apud Plinium occurrant.

In aliis titulis Plinianis quaeritur, utrum genetivus pluralis rum an um syllabam accipiat: (126, 25 *digitum*) 129, 10 *fabrum* (141, 29 *poematorum*) 143, 19 *Saturnalium* (146, 31 *vectigaliorum*). Contra titulum p. 127, 3 *duum* Schottmuellerus p. 41 propter Acronis titulos p. 119, 9 *ambos* et 126, 13 *duo* Helenio tribuit (cf. cap. II Helen. Acro.), cui ego concedo titulum certe Plinii non esse, qui Frontonis epistulam ad Marcum Antoninum citare non poterat. Nam in articulo Pliniano p. 138, 11 *ns* 'Fronto pro Ptolemaeensibus' alius intellegendus esse videtur, fortasse philosophus Stoicus Domitiani aetatis.

Diversi generis at non a Plinio alieni sunt tituli (124, 12 *Cretum*) et (143, 9 *Saguntinorum*), in quibus diversae stirpis genetivi

diversi: Cretum Cretensium et Saguntinorum Saguntium opponuntur.

Cum titulis genetivum um et rum factum tractantibus cognati sunt, qui dativum pluralem is vel bus terminatione formatum respiciunt: p. 123, 3 *aenigmatis*, 123, 8 *Arabis*, 125, 23 *cetariis*, 129, 13 *filiabus*, 131, 10 *glossemata*, 134, 4 *iugeris* (140, 5 *poematis*).

Ad nominativum pluralem spectant duo tituli Pliniani: 133, 11 *ibes* et (140, 14 *palumbes* cf. 106, 30).

De dubia nominativi singularis forma dicunt tituli: (117, 18 *animale* cf. 62, 13. 146, 31) 118, 15 *amicities*, 118, 25 *autumnal*, 118, 33 *aqualium*, 119, 3 *animal*, 120, 4 *aestifer* (120, 14 *ancipes*) (120, 32 *Aenea*) (122, 3 *Alexander*) (122, 4 *ager*) (127, 22 *elephans*) (128, 1 *Euandrus*) 130, 29 *frus* (131, 16 *glis*) (130, 35 *femini*) (131, 19 *gluten*) 135, 3 *imber*, 135, 13 *laterale* (135, 17 *later*) (135, 20 *lacer*) 136, 22 *mugil*, 139, 4 *ossu*, 139, 11 *oscen* (144, 13 *supellex*) (145, 8 *turben*) (145, 27 *torcular*) 147, 9 *volucris* (147, 10 *vulturius*) (147, 14 *vultur*).

Genetivum singularis aut nominativum et genetivum h. e. universam vocabuli declinationem amplectuntur lemmata: (117, 16 *arcuis*) (118, 7 *Alcon*) (118, 9 *Apollo*) (119, 1 *arbor*) 120, 8 *Augustas* (121, 6 *arbor*) (121, 8 *as*) 122, 6 *Aurelii* (122, 18 *architectonis*) (123, 18 *bos* cf. 117, 9) (124, 5 *Belidis*) (126, 22 *domi*) (128, 7 *er*) (128, 12 *es*) (128, 17 *exerciti*) 129, 6 *fretus* (130, 7 *Falaridis*) (131, 28 *Hector*) (131, 30 *habilis*) (131, 33 *Hippocoon*) (132, 1 *hebes*) (132, 8 *homo*) (132, 10 *heres*) 132, 17 *Herculi* (132, 25 *hepar*) (132, 27 *Irim*) (134, 12 *iteris*) (135, 10 *lepus*) (136, 13 *Lar*) (136, 19 *memoris*) (137, 30 *Mantus* cf. 127, 17) (138, 7 *neminis*) 139, 7 *os* (140, 8 *pecus*) (140, 11 *penu*) (140, 17 *patris*) (140, 19 *pubes*) (141, 6 *Patavi* cf. 79, 2) (142, 3 *quies*) 143, 12 *senatuis* (143, 16 *supellectilis*) (144, 3 *senex*) (144, 6 *supellex*) (144, 9 *strix*) (144, 10 *sinapis*) 144, 30 *Turbo*, 145, 3 *Tanaidis* (146, 3 *tergum*) (146, 12 *us*) (146, 24 *vas*) (146, 25 *vasi*) (147, 1 *volgus*).

Denique accusativi singularis formatio in his titulis tractatur: (117, 9 * cf. 139, 7) (118, 3 *Antiphonem*) (118, 8 *Argo*) 118, 21 *Amazon* (121, 12 *aerem*) (126, 4 *clavim*) (126, 20 *dracontem*) 127, 17 *Didun*, 129, 17 *febrim*.

Nonnulli porro tituli monoptota et casibus deficientia vocabula amplectuntur simillima iis, quae in tractatu capitis XV de inaequalitate leguntur, qui mea sententia totus fere Plinio nititur: (118, 13 *Adam*) (118, 14 *Abraham*) (124, 1 *biber*) 131, 7 *git* (120, 33 *aeribus* cf. 93, 20) (135, 7 *iurum*) (143, 30 *senapi*) (143, 33 *siremps*) (145, 31 *tabis* cf. 93, 25).

Restant tituli fortasse Pliniani: (137, 21 *Mysis*) (126, 29 *damnas*) (140, 15 *pometa*), reliqui aliis auctoribus debentur.

Iam ne quis putet me ira et studio quam plurima lemmata Plinio tribuendi — quod quidem studium sana ratione defendi potest,

cum Plinius saepissime nominetur ceteri auctores rarissime — ad summam audaciam abreptum esse, videamus, qui scriptores in titulis Plinii nomine praeditis legantur. Quos si redire videmus in articulis eadem quaestione grammatica cum Plinianis coniunctis, de Plinio auctore vix dubitari potest. Valde autem dolendum est, quod hoc argumento caremus in titulis non tam exempla quam regulas universas continentibus velut p. 118, 9 *Apollo,* 121, 8 *as finita nomina,* 128, 7 *er syllaba finita nomina,* 132, 1 *hebes,* 132, 10 *heres* al. Quos eo defendere licet, quod universae regulae praecipue in titulis Plinium nominantibus occurrunt velut p. 133, 18 *iubare,* 119, 3 *animal,* 120, 8 *Augustas,* 120, 17 *aedile.* Sunt et alia indicia, quibus Plinium cognoscas, maxime ex legibus rationis vel analogiae petenda, sed ea ne longus sim omittam hoc libenter concedens hunc et illum articulum extare, quem argumentis certissimis Plinio vindicare nequeas.

Ex scriptoribus a Plinio laudatis neglegamus eos, qui apud alios quoque grammaticos in capite de analogia reperiuntur et qui, cum in titulis Plinii nomen praebentibus inveniantur solis, nihil fructus afferre possunt ut Ateius Philologus, Bibaculus, G. Cassius, G. Fannius, G. Fannius Cos., Porcius Licinus, Catullus, Augustus, Aemilius Macer. Quibus exceptis in titulis Plinianis capitis de analogia occurrunt:

Varro: 122, 25 *amni,* 129, 21 *fonteis,* 131, 11 *glossemata,* 138, 21 *osse,* in Aetiis: (144, 21 *spinu*), antiq. divin.: (147, 1 *volgus*), antiq. hum.: 137, 13 *mare,* 145, 3 *Tanaidis,* antiq. Rom.: 130, 34 *frus,* de action. scenic.: (147, 6 *vetere*), de bibliothecis: (131, 23 *gluten*) (146, 32 *vectigaliorum*), de gente pop. Rom.: (125, 13 *continenti*) 128, 27 *ficos* (130, 5 *fagus*) 137, 12 *mare,* de ling. lat.: 131, 7 *git* (141, 31 *poematorum*) 142, 20 *rure,* 139, 15 *oxo,* de poematis: (140, 5 *poematis*) (126, 6 *clavim*) (141, 29 *poematorum*), de reb. urb.: (133, 23 *innocente*), de scaen. orig.: 120, 18 *aedile,* 128, 29 *ficos,* de sermone latino: (124, 13 *Cretum*) (126, 22 *domi*) (135, 18 *later*), de vita sua: (132, 30 *Irim*), de vita pop. Rom.: (126, 25 *digitum*), de utilitate serm.: 123, 3 *aenigmatis,* in epistol. quaest.: (138, 4 *navali*) (120, 28 *annalei*), ad Neron.: (130, 17 *familiare*), hebdomadon: (147, 4 *vulgu*), in Admirandis: (131, 16 *glis*), in Fundanio: 137, 14 *mare,* in Scauro: (131, 24 *gluten*), in Age modo: (120, 32 *Aenea*) (118, 8 *Argo*), rerum rustic.: 134, 10 *iugeris,* 130, 33 *frus* (142, 14 *radicium*) 118, 25 *autumnal* (125, 15 *candenti*) 134, 8 *iugeris.*

Cicero: 129, 8 *fretus* (132, 30 *Irim*) 137, 27 *maioreis,* pro Gallio: (141, 31 *poematorum*), pro Oppio: 143, 15 *senatuis,* de re publica: 139, 17 *orbi,* de iure civili: 138, 13 *nobile,* de auguriis: (122, 22 *avi*) 139, 11 *oscen,* de gloria: (133, 9 *incolume*), in ratione consil. suor.: (146, 31 *vectigaliorum*), de oratore: 128, 28 *ficos,* in Oratore: (141, 32 *poematorum*), divin. in Caecil.: 143, 14 *senatuis,*

de lege agraria: (146, 32 *vectigaliorum*), in Pisonem: (147, 11 *vulturius*) (130, 7 *Falaridis*), ad Hostil.: (142, 7 *quies*), ad Atticum: (146, 31 *vectigaliorum*), de finib.: 126, 28 *volucrium*, Tusculan.: (124, 12 *Cretum*), de nat. deor.: 137, 4 *murum* (117, 16 *arcuis*), de divinat.: (130, 16 *familiare*).

G. Caesar: 119, 5 *animal*, 122, 14 *aplustre*, 122, 16 *ar*, 122, 30 *amni*, 133, 18 *iubare* (143, 33 *siremps*), in analogicis: 141, 24 *partum*, de analogia II: (130, 6 *fagos*) (135, 23 *lacer*) (141, 20 *panium*) 145, 1 *Turbo*, epist. ad Cic.: 126, 10 *diligente*.

M. Cato: 134, 4 *iugeris* (135, 7 *iurum*) (126, 23 *domi*) (121, 3 *aeribus*).

Annaeus Cornutus: (125, 16 *civitatium*) 127, 17 *Didun*.

Fabianus: (142, 14 *radicium*) 146, 28 *volucrium*.

Cornelius Nepos: (146, 19 *Vestale*) 141, 24 *partum* (141, 13 *patruele*).

M. Messalla: 129, 7 *fretus* (146, 34 *vectigaliorum*).

P. Rutilius Rufus: 120, 17 *aedile*, 125, 11 *constante* (130, 18 *familiare*) 139, 18 *orbi* (146, 35 *vectigaliorum*).

M. Aemilius Scaurus: 129, 11 *fabrum* (147, 10 *vulturius*) (146, 36 *vectigaliorum*).

Pomponius Secundus: 125, 23 *cetariis* (132, 15 *humile*) 137, 23 *monteis*.

Titinius: 138, 19 *osse*, 142, 24 *rure* (124, 2 *biber*) (122, 18 *architectonis*).

Valgius: (135, 23 *lacer*) 143, 25 *Saturnalium*.

Cum his scriptoribus a Plinio solo citatis coniuncti leguntur alii, quibus et ipsis Plinium cognoscas:

Hyginus: (142, 14 *radicium*: Varro Fabianus) (134, 12 *iteris*).

Lucretius: (120, 33 *aeribus*: Cato) (117, 18 *animale*).

C. Asinius Polio: (146, 33 *vectigaliorum*: Cicero Varro Messalla Rutilius Scaurus) (134, 3 *insequenti*).

Tibullus: (126, 4 *clavim*: Varro) (130, 36 *femini*) (145, 8 *turben*).

Denique de Helvio Cinna moneo: in titulo (143, 33 *siremps*) propter Caesarem Pliniano verba fieri de tabe in eandem sententiam atque (145, 30 *tabis*) de sirempse, ubi Cinna legitur sicut (124, 5 *Belidis*).

Haec de Charisii capite de analogia, quod totum fere Plinio deberi cognovimus. Item de capitis XV titulis singularibus sentio, quamvis opinio mea tam certis argumentis probari nequeat. Quibus in titulis plurimis cum diversae quaestiones grammaticae atque in capite de analogia tractatae sint, a scriptoribus laudatis proficiscamur, qui eidem leguntur, quos Romanus in libro de analogia a Plinio accepit:

Varro: 73, 17 *pulchrum*, 77, 13 *curriculus*, 78, 6 *Lucius* (ubi Plinius laudatur), 82, 7 *Graccus*, 84, 10 *puer*, 99, 16 *Olympia*, 104, 3

Leontion, 104, 13 *gausapa,* 106, 2 *Albani,* 108, 11 *margarita,* 110, 15 *dies*, 111, 23 *quando,* in annali: 105, 6 *scriptulum*, antiq. divin.: 100, 23 *cliens,* 105, 10 *φυλακτήριον,* antiq. hum.: 77, 10 *balteus* (ubi Plinius laudatur), rerum hum.: 102, 15 *nihil,* de actione scen.: 80, 10 *galeros,* de actionib. scen.: 95, 18 *imberbi,* de bibliothecis: 87, 24 *gluten,* de forma philos.: 103, 12 *capparim,* de ling. lat.: 58, 17 *mensam*, 104, 28 *bovile,* 80, 3 *catinus*, 105, 14 *palpetras,* de poematis: 99, 16 *Olympia,* 106, 18 *sal,* de scaen. orig.: 80, 11 *calamistros,* 107, 23 *pater familias,* 95, 27 *ficus,* de serm. lat.: 103, 26 *capo,* de vita sua: 89, 28 *Sarapis,* in epistol. quaest.: 104, 20 *capillum,* 109, 1 *quo loco,* 73, 3 *quintum tricensimum,* 108, 10 *margarita,* in Admirandis: 72, 23 *mendum*, 83, 28 *papaver*, 90, 3 *gliris,* in Scauro: 77, 9 *balteus* (ubi Plinius laudatur), 88, 2 *gluten,* 106, 30 *palumbes,* in Plutotoryne: 105, 5 *scriptulum,* in Triphallo: 80, 12 *calamistros,* rerum rust.: 65, 15 *margo,* 79, 21 *loculos.*

Cicero: 77, 12 *curriculus,* 95, 19 *inberbi,* 109, 10 *plure,* ad Marcellum: 108, 26 *simiam,* 81, 13 *sibilus,* in Oeconomico: 107, 2 *alvaria,* de oratore: 95, 27 *haec ficus,* in Oratore: 80, 11 *calamistros,* in Verrem: 100, 23 *cliens,* de lege agraria: 95, 20 *inberbi,* pro Murena: 82, 5 *iuris consultus,* ad Hostilium: 110, 2 *quies,* Tusculan.: 72, 1 *callum.*

G. Caesar: de analogia II: 90, 7 *panis,* 110, 23 *is,* ad Pisonem: 79, 22 *loculos.*

M. Cato: 102, 9 *lactis,* 72, 6 *lignum,* 83, 28 *papaver,* 91, 17 *quies,* 73, 7; 8 *pulmentum,* 104, 29 *bovile,* 90, 20 *sanguis.*

Fabianus: 105, 14 *palpetras,* 106, 14; 15; 16 *sal.*

Cornelius Nepos: 101, 3 *large.*

M. Messalla: 104, 18 *gausapa.*

Valgius: 102,10 *lactis,* 108,7 *margarita,* 108,28 *suovetaurilia.*

Praeterea sicut in titulis Plinianis capitis de analogia occurrunt:

Augustus: 104, 12 *gausapa* cf. (130, 15 *familiare*).[1])

Licinius Calvus: 80, 20 *alvum,* 81, 24 *stomachus,* 101, 10; 13 *clunes,* 77, 3 *cubicularius* cf. (147, 7 *ungui*).

Catullus: 97, 12 *hos pugillares* cf. 135, 25 *impotente.*

Helvius Cinna: 80, 22 *alvum* v. s.

Lucretius: 62, 14 *vectigale,* 92, 30 *ceterum,* 58, 24 *camara* cf. (120, 33 *aeribus*) (117, 18 *animale*).

Aemilius Macer: 65, 7 *margo,* 72, 17 *ocimum,* 100, 33 *intiba,* 107, 4 *naris,* 81, 18 *sibilus* cf. 133, 11; 14 *ibes.*

Maecenas: 79, 24 *catinus* cf. 146, 29 *volucrium.*

Martialis: 95, 30 *haec ficus* cf. 128, 21 *ficos.*

Iulius Modestus: 73, 12 *plurum,* 75, 13 *tus,* 101, 1 *large,* 103, 28 *gulam* cf. 125, 4 *compluria.*

---

1) Tituli capitis de analogia, quos uncis inclusi, Plinii nomen non ostendunt.

Ovidius: 90, 16 *anguis*, 72, 25; 27 *mendum*, 104, 9 *gausapa*, 103, 24 *leaena*, 65, 12 *margo*, 81, 14 *sibilus* cf. (135, 21 *lacer*).

Asinius Polio: 62, 16 *vectigale*, 84, 11 *puer*, 100, 24 *cliens*, 80, 2 *catinus*, 77, 15 *clipeus* (ubi Plinii nomen v. 20 restituendum est), 97, 11 *hos pugillares* cf. (146, 33 *vectigaliorum*) (134, 3 *insequenti*).

Tibullus: 87, 3 *hoc femur*, 90, 13 *anguis* cf. (126, 4 *clavim*) (130, 36 *femini*) (145, 8 *turben*).

Trogus: 102, 10 *lactis* cf. 137, 9 *murum*.

Varro Atacinus: 90, 18 *anguis* cf. 137, 15 *mare*.

Porro si in titulis singularibus capitis XV auctores diversi a Plinianis capitis de analogia occurrunt, hoc nihil contra Plinium facit, cum hi scriptores cum Plinianis quos apponam coniuncti legantur. Tales sunt:

Cornelius Severus: 80, 7 *galeros* (Varro), 81, 16 *sibilus* (Cicero Ovidius Aemilius Macer), 86, 7 *successor*, 100, 24 *cliens* (Varro Cicero Asinius Polio), 105, 19 * (ubi Plinius laudatur), 107, 29 *serta* (Propertius).

C. Gracchus: 107, 24 *paterfamilias* (Varro), 102, 27 *heres*, 80, 9 *galeros* (Varro).

Horatius: 104, 24; 26 *capillum* (Varro), 100, 17 *cliens* (Varro Cicero Asinius Polio), 62, 17 *vectigale* (Lucretius Asinius Polio), 101, 7 *clunes* (Licinius Calvus Cato), 96, 5; 6 *haec ficus* (Varro Martialis).

Laberius: 81, 2 *alvum* (Licinius Calvus Helvius Cinna), 83, 20 *heber*, 75, 17 *podagrosus*, 101, 4 *clunes* (Licinius Calvus Cato), 108, 23 *simiam* (Cicero), 97, 13 *hos pugillares* (Asinius Polio Catullus).

Propertius: 107, 27 *serta* (Cornelius Severus), 89, 22 *pulvis*, 103, 16 *cassidem*.

Ratio, quam secuti sumus, si stare potest, dimidium paene omnium titulorum a Plinio originem duxit. Iam cum iidem scriptores in articulis diversas quaestiones grammaticas continentibus legantur, dubitari non potest, quin Romanus in plurimis titulis quamvis diversi generis Plinio auctore nitatur, siquidem demonstrari potest res grammaticas tam diversas ab hoc grammatico non abhorrere. Itaque singulatim de diversis quaestionibus grammaticis disseramus.

Sed primum audiamus Neumannum, qui Romanum adiisse Caprum non minus quam Plinium auctores ostendere studuit. Enumerat enim p. 14 articulos quindecim, in quibus Charisius consentiat cum Capri 'orthographia' et libello 'de verbis dubiis' in grammaticorum latinorum vol. VII editis, quos Christius Philolog. XVIII p. 168 et Keilius gram. lat. V p. 570 VII p. 90 ex Capri libris excerptos esse recte iudicaverunt. Pro Plinianis porro Neumannus p. 22—26 habet capitis XV articulos, primum qui cum Plinianis capitis de analogia conspirent, deinde qui Plinii nomen ostendant, denique qui doctrinam aliorum grammaticorum testimonio a Plinio

natam contineant: Char. p. 100, 1 *Albani* cf. Pompeium gram. lat. V p. 144, 15 et Char. p. 101, 17 *insomnia* cf. Servium in Aen. IV 9. Iam primum moneo eundem virum doctum propter exempla laudata et rem grammaticam tractatam Plinio assignare lemmata: Char. p. 106, 12 *sal,* cum in eadem re auctor artis anonymae Bernensis gram. lat. sup. p. 111, 28 Caprum laudet cf. Caprum 102, 1, Char. p. 77, 20 *clipeus*, cum Caper p. 97, 14 et Servius ad Aen. IX 709 Caprum nominans consentiant, Char. p. 102, 4 *lactis*, cum Priscianus gram. lat. II p. 212, 4 Caprum nominet. Nonne etiam in ceteris articulis cum Capro consentientibus Caprum a Plinio pendere conicere licet? Et Keilius quidem gram. lat. VII p. 88 sine dubio recte statuit Priscianum Plinii memoriam Capro debere. Priscianus enim Caprum et Plinium in hunc modum laudat p. 393, 9 *sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies* h. e. apud Caprum, qui Plinio et Probo nititur cf. Hertz. gram. lat. II p. 171, 14 adn. Iam si quis titulos singulares Charisii cum Capri libellis accurate comparaverit, grammaticos de quinquaginta fere vocabulis communiter verba facere inveniet, ut modo conspirent modo dissentiant. Nonne diversa est doctrina:

Char. p. 73, 17 *pulchrum Varro adspirari debere negat, ne duabus consonantibus media intercedat adspiratio, quod minime rectum antiquis videbatur. unde et sepulchrum hodieque manet, quod sit seorsum a pulchro propter recordationem doloris* :

Cap. p. 93, 2 *pulchrum cum h scribendum, sepulcrum sine h.*

Char. p. 75, 8 *assiduus quidam per d scribunt, quasi sit a sedendo figuratum, sed errant. nam cum a Servio Tullio populus in quinque classes esset divisus, ut tributum quout quisque possideret inferret, ditiores, qui asses dabant, assidui dicti sunt* . . . :

Cap. p. 108, 5 *assiduus, non adsiduus, ab assidendo.*

Char. p. 106, 20 *nomenclator sine u dicitur, ut Verrius ait, velut nominis calator* :

Cap. p. 110, 16 *nomenculator recte.*

Char. p. 108, 13 *similis sum illius et similis sum illi et genetivo et dativo casu auctores dixerunt; genetivo Terentius ... dativo Vergilius ... sicut Graeci dicunt ὅμοιος ἐκείνῳ. veri simile tamen et sui simile genetivo casu, nec aliter dicitur. nam sibi simile latinum non est* :

Cap. p. 97, 13 *illius similis ad mores refertur, illi similis ad vultum* ? Permultae vero Capri quaestiones maxime ad genus nominum pertinentes tam brevi forma hodie leguntur, ut ex iis nihil elicias nisi hoc Caprum de hoc vocabulo disputavisse. Sed etiam titulos Charisii, qui magna similitudine cum Capro coniuncti sunt, cave, ne statim Capro vindices. Similitudo enim ibi quoque intercedit, ubi Romanus Plinium aperte nominat:

Char. p. 85, 6 *gibber, ut Verrius ait, ipsum vitium dicitur, ut tuber, gibberosus habens gibberem, ut tuberosus ... sed Plinius gibbus vitium ipsum, ut ulcus, maluisse consuetudinem tradit* ... :

Cap. p. 110, 3 *gibber vitium, homo gibberosus.*

Char. p. 88, 16 *vertex a vertendo dicitur, vortex a vorando, ut vult Plinius verticem immanem vim impetus habere ... vorticem vero circumactionem undae esse ...* :

Cap. p. 99, 11 *vortex fluminis est, vertex capitis.*

Char. p. 77, 20 *clipeus masculino genere in significatione scuti ponitur ... neutro autem genere imaginem significat ... quare * dubii sermonis II indistincto genere dici ait, sed littera differre, ut pugnatorium per i clipeum dicamus ... imaginem vero per u ...* ubi lacuna Plinii nomine explenda est :

Cap. p. 97, 14 *clipeum ἀσπίδα, clupeum ornamentum dices.* Praeterea Romanus vel potius Plinius provocat ad Varronem Verrium Flaccum Iulium Modestum in titulis cum Capro consentientibus. Nonne Caprum ad eosdem grammaticos revocare licet, praesertim cum alii scriptores orthographiae eandem doctrinam doceant? Quid vero? Romanum titulum p. 65, 16 *ambo et duo an ambos et duos*? ... putas ex Capro p. 94, 5 *ambos et duos accusativo dicimus, ambo et duo nominativo* hausisse, cum ex capite de analogia p. 119, 12 *ambo* et 126, 17 *duo* appareat Helenium Acronem Romani auctorem esse? Cave igitur Caprum! Ego non is sum, qui neget Romanum nonnunquam ut alibi Caprum arcessivisse, sed dubitatio semper in hoc grammatico haeret, cum Plinius tam Romani quam Capri auctor fuerit.

Iam res grammaticas in titulis singularibus tractatas Plinio non indignas esse ostendam. Primum de orthographicis titulis videamus. Plinium orthographiae operam dedisse cum Prisciani gram. lat. II p. 26, 16. 29, 9; 18. 31, 2 testimonia docent (cf. Graefenhan. hist. phil. IV p. 117) tum Charisii p. 118, 33 *aqualium* et 135, 13 *laterale,* ubi Plinius de formis aqualium vel aquarium et laterale vel laterare quaerit, et p. 77, 20 *clipeus,* ubi de clipei vel clupei forma grammaticus disserit, cuius nomen corruptum est, quem Plinium fuisse ex Asinii Pollionis exemplo et ex verbis nomen corruptum sequentibus 'dubii sermonis II' recte colligitur. Videtur igitur Plinius in altero 'dubii sermonis' libro orthographiam tractavisse. Quem librum Romani fontem in libro περὶ ὀρθογραφίας fuisse suspicor citato in titulo Pliniano p. 135, 15 *laterale,* ex quo libro tituli orthographici capitis XV fluxisse videntur. In ipsis autem his titulis nominantur:

Varro: Char. p. 58, 17 *mensam* cf. de ling. lat. V 118; p. 73, 17 *pulchrum* cf. Caprum 93, 2; p. 82, 7 *Graccus;* p. 102, 14 *nihil.*

Verrius Flaccus: p. 58, 23 *camara* cf. Paul. 45, 17; 96, 9 *alicam* cf. Caprum 107, 12; p. 96, 13 *polenta* cf. Cap. 106, 4; p. 97, 15 *manibias;* p. 106, 20 *nomenclator* cf. Cap. 110, 16.

Iulius Modestus: p. 75, 13 *tus;* 103, 28 *gulam* cf. Cap. 105, 17.

Ennius: 98, 12 *erumnam* cf. Cap. 109, 10 (?).

Ex quibus Plinius Varronem Verrium Modestum in capite de analogia laudat, cum Ennius hoc loco solo occurrat. Ceteros quoque articulos antiquissimam doctrinam tradere consensu grammaticorum confirmatur:

Char. p. 58, 21 *Palilia* cf. Varro. de ling. lat. VI 15 Paul. 222, 12.

Char. p. 75, 4 *servus* cf. Papirian. apud Cassiodor. gram. lat. VII p. 161, 4 Vel. Long. ib. p. 58, 4.

Char. p. 75, 8 *assiduus* cf. Paul. 9, 9 Varro. de ling. lat. VII 99 Cap. gram. lat. VII 108, 5.

Char. p. 76, 19 *delirus* cf. Vel. Long. gram. lat. VII 73 Cap. ib. 109, 6.

Char. p. 94, 21 *forfices* cf. Paul. 84, 3 Vel. Long. p. 71, 12 Papirian. apud Cassiod. 160, 19 Cap. 109, 16.

Char. p. 95, 7 *vinca* cf. Fest. 376, 12 Cornut. apud Cassiodor. p. 150, 18.

Char. p. 102, 1 *cilones* cf. Paul. p. 43, 10 Vel. Long. p. 74, 13 et apud Cassiod. p. 155, 12 Cap. 97, 17.

Char. p. 103, 21 *harena* cf. Vel. Long. p. 69, 4. 81, 10.

Char. p. 105, 5 *scriptulum* cf. Cap. 106, 13.

Char. p. 105, 14 *palpetras* cf. Cap. 110, 19.

Char. p. 107, 33 *pecunia* cf. Var. de ling. lat. V 92 Fest. p. 213, 18.

Char. p. 77, 14 *clipeus* cf. Vel. Long. p. 68, 11 Cap. p. 97, 14.

Char. p. 112, 5 *sed* cf. Terent. Scaur. gram. lat. VII p. 12, 8 Cornut. apud Cassiodor. p. 148, 19 Mar. Victorin. gram. lat. VI 10, 13.

In titulis de genere nominum agentibus nominatur Plinius p. 77, 7 *balteus* et 105, 19 * (pampinus), quos Neumannus p. 26 bene ex libro dubii sermonis primo sumptos esse indicat usus testimonio Prisciani, qui Plinium in quaestionibus generis sic laudat gram. lat. II p. 233, 13: *ut Plinius Secundus in I artium* et p. 262, 17 *sic Plinius Secundus in I artis grammaticae.* Cf. Graefenhan. hist. phil. IV p. 156. Praeter Plinium grammatici commemorantur, quos Plinius in libro de analogia afferre solet:

Varro: p. 77, 10 *balteus*, 80, 3 *catinus*, 104, 9 *gausapa*, 108, 10 *margarita*, 110, 15 *dies.*

Varro Aelius Asinius: p. 84, 10 *puer.*

Verrius Flaccus: p. 101, 7 *clunes* cf. Paul. p. 61, 17; 106, 19 *sal* 109, 7 *.

Caprum contra in generis titulis Romani auctorem esse inde non recte colligitur, quod in eius libellis de genere eorundem nominum atque apud Charisium agitur:

Char. 65, 6 *margo* : Cap. 101, 12.

Char. 72, 23 *mendum* : Cap. 110, 12.

Char. 77, 11 *curriculus* : Cap. 109, 4.

Char. 77, 23 *catinus* : Cap. 108, 12.

Char. 80, 20 *alvum* : Cap. 107, 12.

Char. 89, 22 *pulvis* : Cap. 111, 4.
Char. 90, 20 *sanguis* : Cap. 101, 14.
Char. 98, 17 *frena* : Cap. 110, 1.
Char. 99, 3 *balneum* : Cap. 108, 7.
Char. 100, 16 *cliens* : Cap. 108, 16.
Char. 101, 4 *clunes* : Cap. 108, 17.
Char. 106, 12 *sal* : Cap. 102, 1. 111, 10.
Char. 108. 4 *margarita* : Cap. 110, 12.

Ex Capri articulis, qui exemplis scriptorum carent, nihil de fonte Charisianorum lemmatum concludi potest. At Priscianus, qui in exitu tractatus 'de generibus' se Capro usum esse fatetur et illum Probo gram. lat. II p. 171, 14 *supra dictorum tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenis* (cf. Hertzii adnot.), num cum Romano conspirat? Conspirat nonnunquam hoc et illo scriptore, quem uncis apponam:

Char. 80, 20 *alvum* : Prisc. 163, 2 cf. 268, 16 (Vergil. Accius).
Char. 101, 4 *clunes* : Prisc. 160, 11 (Horat.).
Char. 106, 12 *sal* : Prisc. 147, 2 (Sallust.) cf. 171, 8.
Char. 110, 8 *dies* : Prisc. 158, 12 (Terent. Vergil.).
Char. 74, 28 *penus* : Prisc. 170, 14 (Plaut.) cf. 260, 17.

Ceterum in his titulis diversi auctores leguntur iique apud Priscianum, quos Romanus non solet, velut Statius Iuvenalis Lucanus. Alii tituli nullum auctorem communem praebent:

Char. 65, 6 *margo* : Prisc. 145, 25 cf. 208, 12.
Char. 74, 28 *penus* : Prisc. 163, 11 cf. 260, 17.
(Char. 90, 20 *sanguis* : Prisc. 250, 12).

Item similitudo non minus quam dissimilitudo inter Charisium et Nonium intercedit, de cuius fontibus viri doctissimi dissentiunt, cum Hertzius annal. phil. a. 1862 p. 786 opusc. Gellian. p. 126 adn. Nonium Probo usum esse censeat, Keilius gram. lat. V p. 570 Capro. Probabilitate certe Schmidtii *de Nonii M. auctoribus gram.* sententia caret: lemmata in ordinibus qui vocantur extantia ex scriptorum commentariis, quibus Nonius ordines debeat, fluxisse velut Non. p. 218, 11 *panis* ex commentario Plautino, alia autem lemmata, quae extra ordines legantur, a Plinio vel Capro vel Probo (l. l. p. 46. 139. 153) profecta esse. Liceat Charisii generis lemmata cum Nonii capite III 'de indiscretis generibus' — quod Hertzius opusc. Gell. p. 126 adn. cum Prisciano, scriptor *de Nonio M. et Verrio F.* p. 9 s. cum Verrio Flacco comparavit — conferre, ut scriptores communes uncis apponam:

Char. 61, 29 *tapete* Non. 229 (Vergil.).
Char. 71, 27 *forum* Non. 206 (Lucil.).
Char. 72, 12 *caelum* Non. 197 (Ennius).
Char. 72, 23 *mendum* Non. 214.
Char. 76, 14 *locus* Non. 210.
Char. 77, 5 *balteus* Non. 194 (Vergil.).

Char. 77, 11 *curriculus* Non. 198 (Cic.).
Char. 77, 14 *clipeus* Non. 196.
Char. 79, 15 *caseus* Non. 200 (Vergil.).
Char. 80, 15 *secus* Non. 222 (Sallust.).
Char. 80, 20 *alvum* Non. 193 (Vergil. Accius).
Char. 81, 11 *sibilus* Non. 223 (Vergil.).
Char. 83, 26 *papaver* Non. 220 (Plaut. Varro).
Char. 89, 22 *pulvis* Non. 217.
Char. 90, 5 *panis* Non. 218 (Plaut.).
Char. 90, 13 *angues* Non. 191 (Varro Atacinus).
Char. 90, 20 *sanguis* Non. 224 (Lucret.).
Char. 90, 24 *neptis* Non. 215 (Ennius).
Char. 92, 29 *ceterum* Non. 199 *calx* (Verg.) 208 *greges* (Lucret.).
Char. 98, 17 *frena* Non. 206 (Verg.).
Char. 99, 3 *balneum* Non. 194.
Char. 99, 26 *intiba* Non. 208 (Lucil.).
Char. 101, 4 *clunes* Non. 196 (Horat.).
Char. 105, 17 *sagum* Non. 223.
Char. 106, 12 *sal* Non. 223.
Char. 106, 24 *palumbes* Non. 219 (Verg. Lucil.).
Char. 108, 4 *margarita* Non. 213 (Varro.).

Nonnulla igitur lemmata exemplis communibus prorsus carent, alia hoc et illo consentiunt plurimis dissentiunt, qua in re Charisii lemmata, quae Plinium nominant p. 77, 7 *balteus* et 77, 20 *clipeus* animadvertenda sunt. De Nonio igitur similiter atque de Prisciano iudicandum est: Romanus Plinio niti videtur, Nonius et Priscianus Capro et Probo. Mirum in modum autem Charisius congruit cum 'Institutis artium' et 'De nomine excerptis', quae Probi nomine feruntur. Quem consensum ita explico Probi locos ex Plinio sumptos esse, qui in Probi inst. art. gram. lat. IV p. 89, 10. 133, 7; 11. 137, 11 nominatur. Conferas:

Char. 61, 29 *tapete* : Prob. inst. art. p. 129, 25. 130, 6 de nom. excerpta gram. lat. IV p. 209, 27 (Serg. explan. in Donat. gram. lat. IV 541, 26).

Char. 92, 29 *ceterum* : Prob. inst. art. p. 128, 27.

Char. 98, 17 *frena* : Prob. de nom. exc. p. 211, 24.

Char. 106, 12 *sal* : Prob. de nom. exc. p. 209, 6.

Char. 110, 8 *dies* : Prob. inst. art. p. 89, 19 (ubi paulo ante p. 89, 10 Plinius laudatur) de nom. exc. 210, 6.

Char. 109, 17 *stirps* : Prob. de nom. exc. 210, 23

Tituli ad numerum spectantes cum generis titulis fontis communitate cohaerere apparet inde, quod et illi genus et hi numerum respiciunt, ut difficile sit discernere, cui classi titulum quemque tribuas. Ex titulis, quos ad genus potissimum pertinere censui, numerum non minus tractant: p. 71, 27 *forum,* 76, 14 *hic locus,* 98, 17 *frena,* 99, 3 *balneum,* 104, 7 *porros,* 106, 12 *sal,* ex numeri titulis

de genere simul dicunt: 97, 10 *hos pugillares,* 106, 31 *alvaria,* 107, 4 *naris.* In articulis numerum respicientibus nulli leguntur auctores grammatici nisi:

Asinius: p. 97, 11 *hos pugillares.*

Varro: p. 91, 26 *pix,* 104, 20 *capillum* (cf. 108, 10).

Sententia, quae p. 95, 15 *barbam* refutatur, legitur apud Caprum gram. lat. VII p. 99, 24 *barbam hominum, barbas pecudum dicimus.* Praeterea Verrius communis auctor est apud Char. 106, 12 *sal* et Caprum 102, 1. 111, 10.

Hic in memoriam revocare liceat numeri titulos eundem fontem redolere atque verba tractatus de inaequalitate p. 93, 4—15, quibus de nominibus singularitate vel pluralitate carentibus disseritur. Quae si a Plinio orta esse statuimus, non mirabimur, quod verba Vergiliana p. 93, 13 apud Palaemonem, qui et ipse Plinio nititur, leguntur p. 34, 25. Sine dubio autem Plinii haec sunt propter consensum verborum p. 93, 9 cum titulo Pliniano p. 141, 22 *panium.* Qua in doctrina Plinius Varronem sequi videtur, qui de ling. lat. VIII 143 de vocabulis numero carentibus dicit velut numeralibus et iis 'quae sub mensuram ac pondera potius, quam sub numerum succedant'. (Graefenhan. hist. phil. II p. 293.) Iam cum totus tractatus de inaequalitate uno tenore scriptus sit cumque initium Plinianum artissime cum subsequenti Plinii doctrina (p. 93, 15—28) de verbis casibus deficientibus cohaereat (cf. Varro. de ling. lat. VII 119. VIII 146 Graefenhan. II 296), verisimillimum videtur Romanum totam commentationem de inaequalitate ex Plinio petivisse.

Declinationis titulos omnes fere cum similibus capitis de analogia congruere vidimus, quos cum Plinii esse ostenderimus, necessario capitis XV affines titulos Plinio tribuemus. Semel Plinius nominatur p. 79, 2 *Lucius,* praeterea auctores, quos Plinius laudare solet:

Modestus: 73, 12 *plurum* cf. 125, 3.

Lucilius: 78, 8 *Lucius.*

Aurelius: 84, 2 *Alexander.*

Valgius et Verrius: 102, 10 *lactis.*

Varro: 78, 6 *Lucius,* 104, 3 *Leontion,* 90, 5 *pacis* cf. 141, 20.

Caesar: 90, 5 *panis* cf. 141, 20.

Sisenna: 107, 14 *paterfamilias.*

Unum lemma a Plinio abiudicandum est p. 65, 16 *ambo* propter consensum cum 119, 9 *ambos,* ubi Helenius Acro nominatur. Dubitari licet de iis, quibus nihil in libro de analogia respondet: p. 74, 34 *carduus,* 103, 15 *cassidem,* 103, 26 *capo.* De Capro Romani auctore cogitare non cogimur, quod conspirant:

Char. 83, 3 = 134, 12 : Cap. 110, 8 (iter).

Char. 87, 22 = 131, 19 : Cap. 110, 3 (gluten).

Char. 95, 22 = 128, 20 : Cap. 109, 15 (ficus).

Char. 102, 4: Cap. 95, 13 (lac).

Tituli ad formationem atque significationem referendi

Plinium nominant: 85, 9 *gibber*, 88, 16 *vertex* cf. 77, 14 *clipeus* et scriptores a Plinio ut videtur excitatos:

Verrium: 85, 6 *gibber*, 103, 7 *labra*.

Varronem: 73, 9 *pulmentum* cf. de ling. lat. V 108; 104, 28 *bovile*, 105, 10 *φυλακτήριον*, 106, 2 *Albani* cf. Pomp. gram. lat. V 144, 15.

Valgium: 108, 28 *suovetaurilia*.

Epicadum: 110, 3 *Sibyllam*.

Cuius generis unum lemma in capite de analogia redit p. 109, 28 *pometa* = 140, 15, quod Plinio assignavi, quippe qui in similibus rebus in capite XV nominetur. Cum Capro, quem Plinium vel eius fontes si conspiret adhibuisse persuasum habeo, conferas:

Char. 75, 20 *lanius* : Cap. 104, 4.

Char. 85, 6 *gibber* (ubi Verrius et Plinius nominantur) : Cap. 110, 3.

Char. 88, 16 *vertex* (ubi Plinius nominatur) : Cap. 99, 11.

Char. 98, 9 *acceptor* : Cap. 107, 8.

Char. 99, 8 *olivam* : Cap. 99, 8.

Char. 103, 4 *labra* : Cap. 116, 5.

Char. 109, 14 *strigem* : Cap. 111, 11.

Char. 109, 26 *stips* : Cap. 111, 13.

In reliquis titulis grammatici nominantur, quos Plinius nominare solet:

Varro: 73, 3 *quintum tricensimum*, 109, 1 *quo loco*, 111, 23 *quando*.

Iulius Modestus: 101, 1 *large*.

Lucilius: 111, 17 *intro* cf. Cap. 110, 7. 92, 5.

Caesar: 110, 23 *is*.

Admonendum est titulos adverbiales consentientes cum Romani capite de adverbio, in quo Plinius nusquam legitur, ab eo alienos esse excepto titulo p. 101, 1 *large*, in quo Iulius Modestus Plinii auctor nominatur et non solum de adverbio sed etiam de nominibus largitas largitio largitudo agitur. Contra titulos pronominales, quos in capite de analogia Scauro tribuemus, in capite XV ob memoriam Catonis p. 90, 17 *quis* et Caesaris p. 110, 23 *is* Plinio vindicaverim, qui pronomina tractavit testibus Probo inst. art. gram. lat. IV p. 133, 7; 11. 137, 11 Cledonio gram. lat. V 49, 27. 50, 8 Pompeio ib. 201, 5 auctore artis anonymae Bernensis gram. lat. sup. p. 135, 1; 3.

A titulis singularibus transeo ad alias capitis XV partes, quas Romani esse vidimus. Primum Plinii nomen legitur, ubi Charisius Romanum nominat: p. 53, 17 (schema) et 61, 7 (mare). Deinde p. 56, 14 (amforum) laudantur Romani verba ex libro de analogia petita a Charisio p. 100, 14 *amphora* iterata, quae similem doctrinam continent atque articuli Pliniani, qui ad genetivum in um vel rum finientem spectant Quibus locis Romani nomine praeditis alium iungo capitis XVI Char. p. 114, 2, ubi Plinii sententia de dubio nominativo alacer vel alacris ex Romano affertur. Tractatum de in-

aequalitate modo Plinio vindicavi disserens de monoptotis capitis de analogia et de numeri titulis capitis XV. Praeterea in regulis universis capitis XV, siquidem Romani doctrina utuntur, ii loci Plinio assignandi sunt, qui cum aliis Plinianis congruant. Nonnunquam sane doctrina Pliniana eodem iure Romano et Palaemoni tribui potest. Plinium certe cognoscis:

p. 55, 3 (osse) cf. 138, 18 *osse.*

p. 60, 10—18 (compluria) cf. 125, 3 *compluria,* 73, 12 *plurum.*

p. 63, 26—30 (Dido Allecto) cf. 127, 19 *Didun* cf. Capri lemma, 117, 24 *Allecto.*

p. 64, 26 (turbo) cf. 144, 30 *turbo.*

p. 64, 1 (Apollo) cf. 118, 9 *Apollo.*

p. 64, 31 (Antipho Demipho) cf. 118, 3 *Antiphonem,* 126, 20 *dracontem.*

p. 66, 9 (verua) cf. 146, 10 *vera.*

p. 66, 17 (Aenea) cf. 120, 32 *Aenea.*

p. 66, 21 (Atlas) cf. 121, 8 *as.*

p. 67, 13 (Anchises) cf. 123, 5 *aenigmatis.*

p. 68, 2 (Chremes) cf. 132, 10 *heres.*

p. 68, 34—69, 4 (es) et 69, 15 cf. 128, 12—16 *es* et 128, 16.

p. 71, 3—7 (Patavi) cf. 141, 6 *Patavi,* 78, 5 *Lucius.*

Suetonius Tranquillus.

Ad alterius p. C. saeculi grammaticos pergens incipio a C. Suetonio Tranquillo, qui tribus Romani locis legitur, quem Romanus ipse inspexisse videtur. Primum Romanus ad Suetonii librum 'de rebus variis', quem ex Charisio solo novimus, Graefenhanius autem hist. phil. IV p. 87 non recte cum aliis libris confudit, provocat in initio tractatus de praepositione Char. p. 236, 17: *Suetonius Tranquillus de rebus variis 'praepositiones' inquit 'omnes omnino sunt Graece duodeviginti', qui numerus inter omnes criticos grammaticos profecto convenit, nostras vero esse has, ab ad praeter pro prae prope in ex sub super subter. praepositiones, quia praeponuntur, merito censentur.* Vides Suetonium in libro de rebus variis de numero Graecarum et Latinarum praepositionum disputavisse Latinas enumeravisse definitionem vocabuli praepositionis statuisse. Nam Romanus postquam Suetonii ipsius verba *praepositiones omnes omnino sunt Graece duodeviginti* attulit, ab eodem Suetonio pendet in sequentibus verbis *nostras vero esse has* et laudat (v. cap. III) Suetonii sententiam verbis *qui numerus inter omnes criticos grammaticos profecto convenit* et *praepositiones, quia praeponuntur, merito censentur.* Ceterum dolendum est Romanum Suetonium obiter tantum illustravisse non accurate excerpsisse ne Latinas quidem praepositiones omnes, quas Suetonius statuerat. Quis enim credat has undecim praepositiones tantum Suetonium sermoni latino tribuisse? Nam sententia, quam

Graefenhanius IV p. 146 praepositione undecima neglecta commentus est Suetonium ut Varronem decem verbales praepositiones statuisse, ex Charisio non sequitur. Licet fortasse hanc difficultatem ita removere, ut dicamus Romanum enumerationem praepositionum inchoatam reliquisse, ut eam rursus p. 236, 26 verbis 'praepositiones sunt hae' inciperet, ubi praepositiones 'praeter pro prae' et 'super subter' ut antea deinceps leguntur. Quod si recte coniecissem, necessario sequeretur totum tractatum a p. 236, 23—237, 25, qui uno tenore procedit, ad Suetonii exemplum compositum esse. Sed quid de hoc loco iudicavit vir doctissimus Reifferscheidius? Quem inter fragmenta (no. 205 p. 353) libri de rebus variis posuit, ut verba Charisii p. 236, 17 'praepositiones omnes' usque ad p. 236, 20 'super subter' Suetonii ipsius esse indicet excepto Romani additamento 'qui numerus ... profecto convenit'. In hoc cum assentiar, tamen monui verba quae sequantur non ad verbum Suetonii esse non minus quam insequentem definitionem praepositionis, quam Reifferscheidius neglexit. Idem aliter iudicavit in Quaestionibus Suetonianis p. 468 s. proponens verba 'qui numerus ... profecto convenit' genuina Suetonii esse, ante 'nostras' autem vel post 'subter' quaedam intercidisse. Quae ratio mihi minime probatur, cum in Charisii traditione nullum indicium lacunae deprehendatur. Immo Romani neglegentiam excerpendi iure vituperabimus. Alterum Romani locum, qui Suetonii mentionem facit, Reifferscheidius (frg. no. 206 p. 353 cf. quaest. Suet. p. 469) recte eidem libro de rebus variis assignavit collato loco Terentii Scauri de orthographia gram. lat. VII p. 29, 8 *Varro adverbia localia, quae alii praeverbia vocant, quattuor esse dicit, ex in ad ab.* Agitur enim in exitu Romani tractatus de adverbio de quaestione a Suetonio tractata, utrum praeverbium an adverbium dici debeat, Char. p. 194, 15 *et prius illud praeverbium an adverbium dici debeat disputemus. Suetonius etenim Tranquillus praeverbium putat dici debere, quod ante, vel adverbium, quod post verbum, appellationem etiam nomenque ponatur.* Sed gravius argumentum ad Reifferscheidii sententiam comprobandam addo hoc, quod Romanus apud Suetonium etiam praepositionis nominis explicationem invenerat, quod colligitur ex verbis *praepositiones quia praeponuntur merito censentur* scil. a Suetonio. Denique titulus capitis de adverbio totus Suetonio debetur Char. p. 200, 25 *isto vilius. rex qui vocabat ad caenam, si sibi ea res exhibenda indiceretur quam exhibere non posset, respondit, ut Tranquillus refert, 'isto vilius hominis erat caena'*. Quem titulum non grammaticam Suetonii sententiam continentem Reifferscheidius (frg. 112 p. 148 cf. quaest. Suet. p. 436) insigni sagacitate libro quinto Pratorum, qui mores populi Romani descripserit, tribuit.

Hadrianus.

P. Aelium Hadrianum imperatorem Prisciani testimonio gram. lat. II p. 547, 12 compertum habemus in epistola ad Velleium Celerem data de ambitus vocabuli quantitate quaesivisse. (Graefenhan. hist. phil. IV 99.) Eundem in 'Sermonibus', quorum liber primus laudatur, unde plures fuisse elicitur, grammaticas quaestiones solvisse discimus ex Romani capitis de adverbio titulo ex Scauro, qui Hadrianum laudaverat hausto Char. p. 209, 12 *obiter divus Hadrianus sermonum I quaerit an Latinum sit: 'quamquam' inquit 'apud Laberium haec vox esse dicatur', et cum Scaurus Latinum esse neget, addit quia veteres eadem soliti sint dicere non addentes via, ut sit κατὰ ἔλλειψιν, ut Plautus, inquit, 'eadem bibes, eadem tibi dedero savium'. quamquam divus Augustus reprehendens Ti. Claudium ita loquitur, 'scribis enim perviam ἀντὶ τοῦ obiter'. sed divus Hadrianus 'tametsi' inquit 'Augustus non pereruditus homo fuerit, ut id adverbium non usu potius quam lectione protulerit'* . . . Dubitat igitur Hadrianus, num obiter latinum sit, quamquam Laberius hoc adverbium usurpavisse dicatur et Augustus eo utatur. Augustum autem esse non ita doctum, ut verisimile sit eum Laberium legisse et imitatum esse, sed usum potius sermonis secutum esse videri. Plautum Hadrianus non citaverat, sed Scaurus addidit, cui Hadriani ratiocinatio arrisisse videtur, cum obiter recte dici neget. Alio Romani loco Char. p. 222, 21 non grammaticus sed scriptor Hadrianus laudatur.

Q. Terentius Scaurus.

De Q. Terentio Scauro Hadriani temporibus grammatico vel nobilissimo (Gell. XI 15, 3 Iul. Capit. in Vero 2, 5) omnia testimonia veterum respiciens diligentissime disseruit Keilius in praefatione ad Scauri librum de orthographia gram. lat. VII p. 7, fragmenta a grammaticis Scauri nomine apposito servata composuit Kummrowius *symbola critica ad grammaticos latinos* p. 1—8, de loco Gelliano, ubi laudantur Scauri 'illa quae de Caesellii erroribus exposuit' dixit Kretzschmerus *de auctoribus A. G. gram.* p. 94. Apud Charisium Scaurus quinquies citatur, cuius libros Romanus ipse exscripsit. Primum Scauri 'ars grammatica' laudatur, quam ex Romano scimus artis grammaticae nomen habuisse et complures libros confecisse. Cui Keilius definitiones et observationes de variis artis grammaticae partibus apud Diomedem et in Explanationibus in Donatum recte assignat, Kummrowius l. l. p. 52—56 et Meyerus dissertatione *quaestiones gram. ad Scauri artem restituendam spectantes* alia vindicaverunt, quae Scauri nomine non addito tradita sunt. Apud Romanum legimus in capite de analogia Char. p. 133, 1 *im pro cum. nam ita Scaurus in arte grammatica disputavit, antiquos im ques hunc eundem significare consuesse et declinari ita, is eius ei cum vel*

im, numero plurali is, ut est locutus Pacuvius in Medo 'ques sunt is? Ignoti nescio ques'. et p. 136, 36 *meus mei meo meum mi a meo. 'femininum mea ut Helena declinabitur' inquit Scaurus artis grammaticae libris, additque quia vocativus singularis generis masculini multos dissidentes etiam nunc generat, o mi an o meus facere debeat.* Cf. Kummrow. p. 6. Ex eodem fonte sine dubio eiusdem capitis tituli pronominales fluxerunt, qui Scauri nomine non ascripto similiter pronomen per omnes casus flexum ostendunt: 128, 5 *ego pronomen ita declinandum dedit, ego mei mihi vel mi me o ego ab hoc me.* et 145, 14 *tu. quidam hunc nominativum non per eandem aliis viam rationemve duxerunt sed ita, tu tis tibi te tu a te; hi vos vestri vobis vos o vos a vobis;* quem titulum sequitur cognatus p. 145, 17 *te ablativo, 'clam te est'. atquin Plautus in Menaechmis 'clam uxorem est'; nisi forte clam et accusativo et ablativo possit aptari.* Num praeterea articulus p. 138, 7 *neminis* Scauri sit dubito. Titulos autem pronominales capitis XV p. 90, 30 *quis*, 96, 15 *nemo*, 110, 23 *is*, 111, 3 *se*, 111, 7 *nullus*, 111, 9 *mi* cave Scauro tribuas, cum p. 110, 23 Caesar laudetur, qua re Plinius auctor deprehenditur (v. Plin. et Caes.). Nihil contra facit, quod p. 91, 19 Pacuvii versus ut apud Scaurum p. 133, 1 legitur.

Transitum ad titulos capitis de adverbio, quos Scauro Romanus debet, faciat is, quem apud Hadrianum modo tractavimus Char. p. 209, 14 *obiter*, quem Keilius ex arte grammatica Scauri petitum vult, Kummrowius p. 3. una cum loco Prisciani gram. lat. II p. 547, 2 assignat libro ficto 'de rebus per epistulam quaesitis'. Cogitari potest etiam de Scauri commentario Plautino a Rufino in com. in metra Terent. gram. lat. VI p. 561, 2 commemorato. Cf. Ritschl. Parerga I p. 374 Graefenhan. hist. phil. IV p. 301. Sed pro certo nihil firmaverim. Quo in loco mira Scauri Hadrianum secuti sententia affertur: obiter adverbium, quod Scauro ex itinere factum esse videtur, non recte dici, cum Plautus eadem simpliciter protulerit non addita via (v. Hadr.).

Reliqui duo loci ex Scauri 'commentariis in artem poeticam' fluxerunt, quorum liber decimus laudatur (cf. Bernhardy. ind. schol. aest. Hal. a. 1847 p. III adn. 2 Brambach. *die Neugestaltung der lat. Orthographie* p. 47): Char. p. 202, 28 *impariter Horatius epistolarum 'versibus impariter iunctis' ubi Q. Terentius Scaurus in commentariis in artem poeticam libro X 'adverbium' inquit 'figuravit'.* et p. 210, 21 *primus pro in primis, ut Maro 'Troiae qui primus ab oris' ubi Q. Terentius Scaurus commentariis in artem poeticam libro X 'non qui ante omnes' inquit 'sed ante quem nemo est' et addit 'quo genere plures primi accipi possunt'.* Cuius generis commentarii in artem poeticam fuerint, non liquet. Hoc vero Graefenhanio IV p. 300 non concedemus commentarios in artem poeticam scribae errore natos esse ex arte grammatica. Neque Horatii artis poeticae commentarium, qui decem minime libros continuerit (cf.

Suringar. hist. crit. schol. lat. III p. 91 et Ritschl. Parerga I p. 374) vel propter Porphyrionis scholium in Hor. sat. II 5, 92 totius Horatii commentarium, cuius liber decimus artem poeticam explicaverit (cf. Zangemeister. *de Horat vocib. singul.* p. 40 Mus. Rhen. XXXIX p. 634 XL p. 480 Birt. ib. XXXVIII p. 199 adn. 2 Kummrow. p. 1 et 3) fingere licet, cum in altero titulo Horatii epistularum in altero Vergilii locus explicetur. Item Vergilii versus non profectus est ex Scauri commentario Vergiliano, quem propter memoriam eius in schol. Veron. ad Aen. IV 146 et V 95 Ribbeckius proleg. Vergil. p. 172 a Scauro compositum esse voluit (cf. Suringar. II p. 188 Ritschl. Parerga I p. 368 Graefenhan. IV p. 301 Laemmerhirt. *de priscorum scriptorum locis a Servio allatis* com. phil. Ienens. IV p. 326).

Caesellius Vindex.

De Caesellio Vindice Scauri aequali, qui de erroribus eius scripsit (Gell. XI 15, 3) post Lerschium diar. stud. ant. 1841 p. 1101—1104 testimoniis collectis omnibus accurate disseruit Keilius in praefatione Cassiodori de orthographia excerptorum gram. lat. VII p. 138 s., Gellianos locos Kretzschmerus *de auctoribus A. Gellii gram.* p. 95—98 recensuit. Apud Romanum ter eius mentio fit locis diversis. Primum in capite de analogia occurrit in titulo singularis generis Char. p. 117, 13 *acer Maro 'acer anhelanti similis'; acrum tamen pro acrem Cn. Matius Iliados XV, ut Vindex A litterae libro I notat; acris Accius in Epinausimache* ... Alter titulus extat in capite de adverbio initio mutilatus p. 195, 26 * '*aegre faciam filiis'. idem in eadem * subaudiri debet verbum, ut sit aegre. aliter Plautus in Bacchidibus 'aegre impetravi'. item Caesellius Vindex libro L aegre ut docte ait posse dici,* tertius in capite de interiectione p. 239, 21 *bat sonus ex ore cornicinis lituum eximentis, ut Caesellius Vindex libro B litterae scribit.* Tribus in locis idem Caesellii opus laudatur titulo quidem non indicato, quasi Caesellius unum tantum opus fecisset. Quem librum facile cognoscitur singulos articulos litterarum ordine digestos continuisse, ut littera quaeque unum librum conficeret (Lersch. l. l. 1103 Ritschl. Parerga I p. 360 Graefenhan. hist. phil. IV p. 70), nisi quis verba p. 117, 3 'A litterae libro I' cum Kretzschmero p. 98 ita explicare malit, ut a litterae complures libros tribuat. Sed cum Romani titulus *acer* ex A libro petitus sit et *bat* ex B libro, sub titulo tertio, quem *aegre* fuisse suspicamur, ad Vindicis librum L relegamur. In eodem titulo cum Caesellii opinio opponatur alterius grammatici ('item Caesellius') oritur suspicio Caesellium, cuius ipsius verba non afferuntur, Romanum non adhibuisse ipsum, sed fortasse ex Capro, qui in capite de analogia paucis titulis post p. 118, 1 et de adverbio paulo ante p. 194, 31. 195, 4. 195, 19 occurrit, grammaticum novisse. Item

Caesellii memoriam apud Priscianum p. 210, 7. 229, 10. 230, 11 extantem Kirchnerus annal. phil. sup. VIII p. 516 ex Capro petitam esse demonstravit.[1]) Sed ad quem Caesellii librum Romani loci referendi sunt? Apud Priscianum enim citatur gram. lat. II p. 210, 7 et 230, 11 'Caesellius in stromateo', apud Gellium II 16, 5 III 16, 11 VI 2 XI 15, 2 XX 2, 2 Caesellius 'in commentario lectionum antiquarum' vel 'in commentariis lectionum antiquarum' vel 'in lectionibus suis antiquis', unde titulus 'lectiones antiquae' efficitur. Priscianus et Gellius cum similem Caesellii doctrinam ad priscum sermonem latinum pertinentem referant, Osannus Symbola litt. II p. 329 adn. Ritschelius Parerga I p. 360 Graefenhanius IV p. 69 Kretzschmerus p. 96 titulos diversos unum eundemque librum significare contenderunt, cum Lerschius l. l. p. 1103 et Mercklinus annal. phil. sup. III p. 638 adn. 658 libros diversos esse censerent. Verisimillimum est titulum Caesellii operis fuisse 'Stromateus sive lectiones antiquae' cf. Graefenhan. IV 122 Osann. II 330 adn. Brambach. *die Neugestaltung der lat. Orthographie* p. 38. Hoc addam uno Prisciani loco cognosci in Stromateo explicationibus singulis certum lemma praepositum fuisse, ut dubitari vix possit, quin hic liber idem sit atque a Romano citatus, in quo lemmata litterarum ordine se excipiebant. Apud Caesellium igitur sub lemmate *Calypsonem* Ionis et Calypsonis et Didonis flexionem exemplis probatam fuisse apparet ex Prisciano p. 210, 7 *quod autem Ionis et Calypsonis et Didonis dicitur, ostendit hoc etiam Caesellius Vindex in stromateo his verbis: 'Calypsonem. ita declinatum est apud antiquos. Livius: 'apud nympham Atlantis filiam Calypsonem'. Ennius in VIII: 'Poenos Didone oriundos'. Accius in Ione: 'custodem adsiduum Ioni instituit virgini.''*

Arruntius Celsus.

Arruntii Celsi, de quo Ribbeckius proleg. Vergil. p. 25 s. subtiliter disseruit, neque aetas satis liquet, cum hoc tantum sciamus eum non multo ante Romanum vixisse, neque librorum eius tituli constant. Verisimillimum est eum artem grammaticam scripsisse (cf. Keil. gram. lat. VI p. 334), ex qua fluxisse videntur: quae Priscianus gram. lat. II p. 98, 8. 148, 7 et 215, 14. 201, 1 et 357, 12. 251, 13. 485, 20 III p. 11, 14. (408, 2) de comparatione nomine verbo pronomine refert, deinde quae Consentius gram. lat. V p. 375, 1 de imperativo et p. 390, 6 de synaliphe habet, denique Diomedis gram. lat. I p. 321, 11 testimonium de ordinatione praenominis nominis cognominis agnominis, si quidem recte Keilius VI p. 334

1) Caesellii memoriam Gellianam Mercklinus annal. phil. sup. III p. 658 ad Sulpicium Apollinarem et Terentium Scaurum adversarios eius revocavit, cui sententiae Kretzschmerus p. 96 adversatur.

pro tradito Arruntii Claudii nomine Celsum restituit. Cf. Graefenhan. hist. phil. IV p. 166. Longe Romanus ab his differt, cum apud Priscianum semel tantum p. 98, 8 ex Celso exemplum Afranii afferatur et apud Consentium p. 390, 6 tres Aeneidis I versus. Apud Romanum autem in capite de adverbio Celsum Vergilii Aeneidis XI et Terentii Phormionis locos explicare videmus. Nam ceteros eiusdem tituli scriptores — fortasse praeter p. 200, 28 Afranium in Materteris, quae alias non leguntur, et p. 214; 19; 21 Vergilium — non ex Celso fluxisse persuasum habeo, cum p. 214, 18 in eodem titulo cum Ciceronis exemplo Maximus, cum Maronis Celsus iungantur. Ter igitur Celsi verba, quae Romanus ipsa affert, ut eum hunc auctorem ipsum inspexisse appareat, pertinent ad Aen. XI:

Char. p. 200, 27 *ilicet Maro XI * ubi Celsus 'nunc pro ilico, id est statim; antiqui pro eas licet'. ilicet pro nunc Afranius in Materteris, cum quis balbum supra modum disserere conantem laudaret 'an tu eloquens ilicet?' id est subito vel extemplo.*

p. 214, 18 *pariter pro pariliter Cicero, ut Maximus notat. similiter et Maro XI, ubi Celsus 'pro aequaliter'. idem georgicon 'pariter frumenta sequentur' et* (Aen. I 714) *'pariter puero donisque movetur'.*

p. 222, 6 *tuto Maro XI 'quae tuto tibi magna volant' ubi Arruntius Celsus 'non est' inquit 'ut falso et raro. haec enim Latina sunt'.*

Reliquis sex locis Celsus Phormionis verba interpretatur:

p. 207, 13 *nimie melius dicitur quam nimis . . . nimium Afranius in Emancipato . . . 'nimium quantum' Terentius in Phormione; ubi Celsus 'pro nimium, ut immane quantum, incredibile quantum, licet quidam sic legant' inquit 'ut nimium servus dicat, quantum vero senex; sed sequentia intelliguntur'.*

p. 212, 3 *plurimum Terentius in Phormione 'ibi plurimum est'; ubi Celsus 'nunc adverbium est pro ibi saepe, ibi frequenter est'. Cicero pro Sexto Roscio . . .*

p. 213, 18 *perdite pro valde, 'eam amare coepit perdite* (Ter. Phor. I 2, 32). *nam ita Arruntius Celsus et addit 'antiqui enim dicebant ardere pro amare'.*

p. 214, 4 *publicitus Titinius in Setina . . . Terentius quoque in Phormione 'nonne hoc publicitus'; ubi Celsus 'antiqui et publicitus et claritus' inquit 'dicunt, nos publice clareque dicimus'. sed et Plautus in Bach. . . Amph. . .*

p. 222, 30 *ut pro utinam Terentius in Phormione 'ut te quidem omnes di deaeque'; ubi Arruntius Celsus 'pro utinam'.*

p. 223, 11 *viciniae 'hic viciniae' Terentius in Hecura; ubi Celsus 'adverbialiter' inquit 'ut domi militiaeque' Plautus in Bachidibus . . .* Verba novissimo in loco laudata cum in Hecyra non legantur, at in Phormione I 2, 45, ad hunc ea cum Schopeno *de Terentio et Donato* p. 38 et Keilio adn. sine dubio referemus. Accura-

tius Celsi interpretationes recensentes eas cum ad formationem adverbiorum (214, 4 et 222, 6) tum ad significationem atque summam poetae sententiam spectare cognoscimus. Quales explicationes non tam artem grammaticam quam commentarium redolent. An putas arti magis quam commentario convenire, quae Celsus de verbis singulis personis tribuendis exponit p. 207, 13 '*licet quidam sic legant*' *inquit* '*ut nimium servus dicat, quantum vero senex*'? cf. Donat. in hunc locum (IV 3, 38) *quid? nimium quantum libuit: apud quosdam diversae personae cum verbis singulis.* Dubitari vix potest, quin Celsus Phormionis fortasse etiam aliarum Terentii fabularum commentarium fecerit. Cf. Bentley. in Ter-And. I 1, 43 Schopen. l. l. p. 38 Suringar. hist. crit. schol. lat. I p. 97 Graefenhan. IV 307. Quamquam Ritschelio Parerga I p. 367 s. concedendum est ex Romani citandi ratione (Ter. in Phor. ubi Celsus) sola hoc non effici. De Plautino commentario Suringarius I p. 70 erravit. Cf. Ritschl. l. l. p. 368. Neque aliter atque de Terentio iudicandum est de Vergiliano commentario. Nam tres loci cum ad eundem Aeneidis librum XI pertineant, ex quo alia exempla apud Romanum non leguntur, cumque Celsum in eundem modum Vergilium et Terentium interpretari facile perspiciatur, Romanus huius libri commentarium adhibuisse videtur. Nihil nos movet, quod de Celsi memoria in scholiis Vergilianis ambigitur, in quibus modo Celsus modo Cornelius Celsus excitatur. Quam difficultatem Suringarius II p. 162 Iahnius proleg. Pers. p. CXLVIII adn. Graefenhanius IV p. 308 ita removere studuerunt, ut proponerent Celsum intellegendum esse Arruntium grammaticum, Cornelium Celsum vero A. Cornelium rhetorem et philosophum. Ribbeckius vero proleg. Vergil. p. 26 de Arruntio desperat, cum Celsi interpretationes ad rem narratam maxime spectantes rhetorem et philosophum magis deceant quam grammaticum in antiqui sermonis observationes intentum.

Sacer.

Semel apud Romanum Sacer occurrit, commentator orationis Ciceronianae pro G. Rabirio perduellionis reo, cuius aetatem non novimus. Neque hoc scimus, unde Romanus grammatici memoriam petiverit. Fortasse de Capro cogitare licet. Sed Capri nomen pro Sacri in Charisio restituendum esse non est cur cum Maio class. auct. II praef. p. VII statuatur. Neque Graefenhanius hist. phil. IV p. 267 de commentario a Sacro facto recte dubitavit. Cf. Suringar. hist. crit. schol. lat. I p. 200. Titulus Romani legitur in capite de adverbio Char. p. 211, 20 *per pro perquam, valde, ut perduellio perquam duellio, et perduellis plus quam hostis, ut Rabirius, qui perduellionem fecisse dicebatur, id est contra rem publicam sensisse. quod iudicii genus Sacer in eandem orationem M. Tullii ab Horatio sumptum ait dictumque quod per tempus belli sit factum, cum is*

in sororem suam gladio usus esset. Sacer igitur in commentario in orationem Ciceronis pro G. Rabirio perduellionis nomen inde traxit, quod Horatius 'per tempus belli' sororem suam occidisset.

Flavius Caper.

De Flavii Capri aetate Keilius, qui in praefatione librorum de orthographia et de dubiis generibus gram. lat. VII p. 88 grammatici imaginem proposuit, hoc rectissime eruit eum post Probum et Plinium vixisse atque Romano non multo antiquiorem sub finem saeculi secundi aetatem tulisse. Nam Probo usus est teste Charisio p. 118, 1, id quod Prisciani locis gram. lat. II p. 171, 14. 490, 9. 534, 26 confirmatur. Cf. Hertz. p. 171, 14 adn. In eundem modum atque Probum Priscianus Plinium cum Capro coniungit p. 393, 8 (513, 7). Quem Plinio usum esse inde quoque efficitur, quod quae Char. p. 85, 6 *gibber* 88, 16 *vertex* 77, 20 *clipeus* Plinio tribuuntur, eadem apud Caprum gram. lat. VII p. 110, 3. 99, 11. 97, 14 leguntur. Scripsit Caper libros duos teste Pompeio gram. lat. V p. 175, 30 *habes hoc in Capro de lingua latina, non de dubiis generibus*, quibus duobus usi sunt Priscianus imprimis et Servius, de quo videas Kirchnerum annal. phil. sup. VIII p. 514—32 et Laemmerhirtium *de priscorum scriptorum locis a Servio allatis* com. phil. Ienens. IV p. 396. Item in Charisio non solum librum 'de Latinitate', qui citatur p. 194, 31 et 207, 31, usurpatum esse, sed etiam librum 'de dubiis generibus' Keilius gram. lat. V p. 570 VII 88 voluit coniectura infelici, quae Kirchnero p. 514 quoque displicet, Capri nomen restituens in titulo capitis XV ad genus pertinente: Char. p. 77, 20 *clipeus*. Ubi nomen grammatici intercidit (v. Keilii adn.), titulus libri reliquus est *dubii sermonis II*, quo Plinius 'dubii sermonis' librorum auctor statim cognoscitur. Qui cum saepius in capite XV nominetur, Caper vero nusquam, hunc et a generis titulis et a ceteris alienum esse iubeo neque adstipulari possum Christio Philolog. XVIII p. 169 et Neumanno *de Plini d. s. libris Char. et Prisc. font.* p. 14 cum Capri libellis Charisium neglegenter comparanti. Immo et Romanus et Caper Plinio usi sunt, de qua re exposui de Plinio auctore Romani in capite XV disserens. Spero actum esse de Capro Romani auctore in capite XV. Qui aperte in capite de analogia et de adverbio excitatur verbis ipsius allatis, ut Romanum ipsum Capri librum de Latinitate evolvisse appareat.

Primum quattuor tituli capitis de analogia Capri memoriam continent:

Char. p. 118, 1 *Allecto, hanc Allecto, 'luctificam Allecto'. nam 'et nomine Dido saepe vocaturum' eiusdem schematis esse grammatici tradiderunt, non per vocativum, o Dido. Fl. tamen Caper Allecto monoptoton esse Valerium Probum putare ait* (v. Prob.). Cf. Kirchner. p.522.

p. 132, 6 *hebem Caecilius in Ὑποβολιμαίῳ ... Ennius XVI * ubi Fl. Caper 'non ut adiunctivo sed appellativo est locutus'* (ubi moneo Kirchnerum p. 517 iniuria antecedentem quoque titulum p. 132, 1 *hebes* Capro vindicavisse).

p. 145, 20 *torques, hic et haec torques nominativo ut hic et haec canes a Lucilio libro I dictum legimus; itaque dixisse veteres Caper his exemplis docet: Laevius Cypriae Iliadis libro I ...* Cf. Kirchner. p. 523.

p. 145, 23 *testu ut genu Fl. Caper veteres ait uti solitos: Mummius ... Afranius ... at Maro 'testam' dixit.* Cf. Kirchner. p. 523. In titulo p. 145, 20 *torques* nominativus canes a Lucilio usurpatus commemoratur, qua de causa Capro tribuemus titulum p. 125, 19 *canes Lucilius I... pro canis. nec enim potest dici ut nubes sedes, sed ut funis turris. canicula enim facit ut turricula funicula.* Ceterum cave Capro assignes titulos similes, quos Plinio primario huius capitis auctori maiore cum probabilitate vindicabis: p. 118, 3—12 tractantes nomina o nominativo clausa, p. 132, 1 *hebes*, p. 146, 10 *vera.* (Cf. Plin.) Denique iniuria Capro datur titulus, in quo exempla prisci sermonis non legantur, p. 123, 18 *bos bovis, non ut gloris roris floris, quod haec r consonantem unius temporis habet, ut caput non magis placet, licet apud Graecos phthongos plures habeat haec littera, ut vocalis, bovis vero tametsi brevem tantum vocalem gerat* ubi Keilius in adnotatione ex 'caput' Capri nomen elicere vult, cuius verba interciderint. Qui titulus communitate vocabulorum gloris roris floris coniunctus est cum articulo initio mutilato p. 117, 9 * *ut arbos Athos non potest accusativo rem capere exceptis monosyllabis flos glos ros,* ubi de Athonis flexione agebatur. Iam cum apud Priscianum p. 255, 9 de Athone, p. 253, 16 de bove, p. 254, 3 de glore agatur, ibidem afferuntur: os ossis ossu ossum os oris. De his autem Plinius disputat apud Char. p. 138, 18 *osse,* 139, 4 *ossu,* 139, 7 *os oris,* ut de Plinio Romani auctore in titulis p. 117, 9 et 123, 18 dubitari nequeat.

In capite de adverbio Caper quinquies laudatur, bis liber de Latinitate, qui non alienus est a titulis de lingua latina apud Pompeium l. l., enucleati sermonis apud Servium in Aen. X 344, artium apud Rufinum gram. lat. VI p. 556, 20 (cf. Christ. Philolog. XVIII p. 168):

p. 194, 31 *alias pro aliter Terentius in Andria 'quid alias malim quam hodie istas fieri nuptias?' ubi Fl. Caper de Latinitate 'non ausim adfirmare pro aliter dici. nam neque pronomen est neque adverbium temporis' ...*

p. 207, 30 *novissime Tiro in Pandecte non recte ait dici adicitque quod sua coeperit aetate id adverbium. ubi Fl. Caper de Latinitate 'miror' inquit 'id dixisse Tironem' cum Valerius Antias libro II 'mater cum novissime aegrotasset' inquit . . . idem XXII . . .*

p. 195, 4 *abhinc Pacuvius in Armorum iudicio ... Plautus in Mustellaria 'qui abhinc sexaginta annis occisus foret' ubi Caper 'utro-*

que casu recte dicimus, quamvis ut sordidum et vulgare' inquit 'quidam improbent'.

p. 195, 19 *artificiose P. Rutilius Rufus de vita sua libro I ... Asellio quoque rerum Romanarum XI ... ubi Fl. Caper 'quamvis artificiosus dici non possit, ut malitiosus'.*

p. 199, 10 *elate Cicero de optimo genere oratorum ... idem in Bruto ... ut etiam Fl. Caper refert.*

Caper in libro de Latinitate adverbii formationem tractavisse et adverbia singularia exemplis comprobasse videtur. Nam p. 207, 30 Valerius, p. 195, 4 Pacuvius, p. 195, 19 Rutilius Capro sine dubio debentur, qui in his solis titulis capitis de adverbio legantur. Contra p. 199, 10 Ciceronis de optimo genere oratorum exemplum a Capro alienum est, cum et sub antecedente lemmate p. 199, 1 idem liber excitetur et in nostro lemmate duo fontes indicentur verbis *ut etiam Fl. Caper refert,* ut Brutus, qui alias non laudatur, solus Capro relinquatur. In Ennii Plauti Terentii Vergilii Sempronii exemplis non de Capri commentariis cogitandum esse monuerunt Ritschelius Parerga I p. 361 et Graefenhanius hist. phil. IV p. 90, quos factos Suringarius voluit hist. crit. schol. lat. in Ennium I p. 269, Plautum p. 71, Sempronium p. 113. Porro Terentii commentarium negaverunt Schopenus *de Terentio et Donato* p. 40 et Suringarius I p. 103, Vergilii Suringarius II p. 217 s. et Ribbeckius proleg. Vergil. p. 166.

Helenius Acron.

Helenius Acron, clarus scriptor commentarii Horatiani qui prostat (Porphyr. in Hor. sat. I 8, 25), fortasse etiam Persii interpres (schol. Pers. II 56 cf. Iahn. proleg. Pers. p. CLIX), de quo dubitat Graefenhanius hist. phil. IV 313, scripsit idem commentarios in Terentii Adelphos et Eunuchum, quos Romanus usurpavit, fortasse etiam aliarum poetae fabularum. Cf. Schopen. *de Terentio et Donato* p. 39 s. Suringar. hist. crit. schol. lat. I p. 90 s. Graefenhan. IV 312. Grammaticum extremo saeculo secundo vixisse Schottmuellerus *de C. Plinii S. libris gram.* p. 32 eruit, cui Usenerus *de scholiis Hor.* p. VII et Ribbeckius proleg. Vergil. p. 174 assentiuntur. Acronem Terentii Adelphos commentario illustravisse ex Charisio discimus, ubi citatur Helenius Acro: p. 192, 30 *commentariis quos Adelphis Terenti non indiligentes attulit,* p. 200, 16 *in Terenti Adelphis,* p. 219, 5 *in Adelphis Terenti,* p. 119, 12 *in eadem Terentii fabula* (Adel.). Reliqui Romani tituli Acronis explicationem Adelphorum et Eunuchi continentes ad harum fabularum commentarios redeunt. Ex quibus Romanus Acronis ipsa verba et scriptorum exempla transtulit, quibus in uberrimis commentariis dictio Terentii comprobata erat.

Ex Adelphorum commentario fluxerunt: unus titulus capitis XV, tres capitis de analogia. Ad declinationem vocabuli ambo pertinet

Char. p. 119, 12 *ambos Terentius in Adelphis 'usque a pueris curavi ambos sedulo'; Sallustius quoque historiarum libro IV ... idque Helenius Acron sic oportere dici in eadem Terentii fabula disputavit Verriumque dicit errare, qui putat hos ambo dici debere. indifferenter autem locutos veteres, uberiora dabuntur exempla: Afranius in Panteleo ... item idem in eadem ... qui autem cum Helenio faciunt, hanc afferunt causam, quia omnis accusativus numeri pluralis exceptis neutralibus et monoptotis s littera finiri debet. praeterea quoniam et has ambas ut doctas pictas, hos item ambos ut doctos pictos par erit dicere. ambo Afranius in Panteleo ... Terentius in Andria ... Maro georgicon IV ... idem in bucolicis ... quod genus Graeca declinatione profertur. illi enim ἄμφω dicunt.* De eadem quaestione in vocabulo duo dicit titulus p. 126, 17 *duo, hos duo Accius in Epinausimache ... Terentius in Adelphis 'tu illos duo olim pro re tollebas tua' ubi Helenius Acron 'pro duos'. duorum Pomponius in Macco Milite ...* Amborum titulorum doctrina ex duobus locis commentarii Adelphorum petita extat in capitis XV titulo p. 65, 16 *ambo et duo an ambos et duos? ratione cum s dicimus, quia omnes partes orationis quae casus habent exceptis neutris et monoptotis in s littera accusativi plurali deficiunt. praeterea quaecunque feminina accusativo plurali as litteris terminantur et possunt ad masculina transferri a in o mutant faciuntque masculina, ut has magnas hos magnos et has doctas hos doctos. ita cum dicamus ambas et duas, ni mirum a in o translata ambos duosque dicimus. non nulli tamen Graecos secuti, quia illi τοὺς δύο et τοὺς ἄμφω dicunt, hos duo et hos ambo dixerunt; in quibus Vergilius* (= 119, 27) ... *ambo autem non est dicendum nisi de his qui uno tempore quid faciunt, ut puta Eteocles et Polynices ambo perierunt, quasi una. Romulus autem et Africanus non ambo triumphaverunt, sed uterque, quia diverso tempore.* Praeterea cum sub lemmate p. 126, 17 *duo* etiam de genetivo duorum agatur, Schottmuellerus l. l. p. 41 recte fortasse Acroni tribuit capitis de analogia titulum p. 127, 3 *duum Fronto ad Marcum Antoninum de feriis Alsiensibus ... Naevius in Tarentilla ...*, qui ad Plinianos titulos de genetivo um vel rum terminato dicentes propter Frontonem non pertinet. (V. Plin.) Tum sane fixum momentum temporis ad Acronis aetatem definiendam invenissemus. Sed ego dubito, num titulus ad Acronem redeat, in quo Terentius non legatur. — Tertius capitis de analogia articulus Acronem nominat p. 130, 12 *fructi Terentius in Adelphis 'nunc exacta aetate hoc fructi pro labore fero' ubi Helenius Acron 'et huius fructuis ut senatuis veteres extulerunt'.* Cui similis est p. 128, 17 *exerciti Gn. Naevius bello Punici libro I ...* ubi non Terentius quidem, at Naevius ut p. 127, 3 *duum* — et in his titulis capitis de analogia solis — occurrit.

In capite de adverbio Romanus ad Adelphorum commentarium provocat in generali introductione, ubi regulae: adverbia si comparationis gradus accipiant e terminari si minus o: opponitur Acronis p. 192, 30 *viderit etenim Helenius Acron commentariis, quos*

Adelphis Terenti non indiligentes attulit, quid altioris causae reive perspexerit. nam ita disserit: 'ut falso' inquit 'et consulto, ita sedulo dictitatum', nisi forte sine dolo putat esse sedulo nec cum industria, vel ideo cum industria, cum sit utique diversum. nec enim convenit ei cui puerorum ineunte vita salus credita est retexenti curam sollicitudinemve quam ceperat 'ego vos usque a pueris curavi ambos sedulo', quasi ei de satisfactione criminis dolique certandum esset ac non prae se ferendum de ostentatione meritorum. Eundem Acronis locum postea Romanus sic dedit p. 219, 5 *sedulo Helenius Acron in Adelphis Terenti 'ut falso' inquit 'et consulto, nisi forte hic nomen est sine dolo, 'usque a pueris curavi ambos sedulo'. quamquam sit sine dolo, per se tamen sedulo sic utique est ut falso'.* Apparet Helenium sedulo pro adverbio ut falso et consulto habuisse, quod vim eandem atque sine dolo exprimat. Porro Romanus Adelphorum commentarium adhibuit in titulis p. 197, 25 *duriter Terentius in Adelphis 'ruri agere vitam semper parce ac duriter se habere'; ubi Acron 'secundum antiquorum' inquit 'consuetudinem'. nam et Ennius in Phoenice . . .*

p. 200, 15 *hilariter ab eo quod est hilaris, hilare autem ab hilarus, ut Helenius Acron in Terenti Adelphis, ubi Terentius 'hilarem hunc sumamus' inquit 'diem'; sed et Afranius in Sororibus 'nunc se obsequentem atque hilarem dixi praebeat'.*

p. 210, 11 *prima pro primo Terentius in Adelphis 'in prima fabula'; ubi Helenius Acron 'pro in primo': et Maro 'vidimus obscuris primam sub vallibus urbem'.* Denique in capite de coniunctione extat titulus p. 229, 23 *atque pro et Terentius in Adelphis 'atque ex me hic natus non est, sed ex fratre'; ubi Acron 'argute' inquit 'nam per hanc coniunctionem transitum fecit ad narrationem'. Cn. Naevius in Agitatoria, sed et in Tarentilla; Plautus in Bacchidibus . . . Cato dierum dictarum de consulatu suo . . .* Ad commentarium Acronis in Eunuchum factum tres tituli referendi sunt:

p. 201, 3 *interea loci. Terentius in Eunucho 'interea loci': ubi Acron 'quaeritur' inquit 'quo accentu dici debeat interea loci'.*

p. 210, 15 *prius pro melius, utilius, antiquius Terentius in Eunucho 'nil prius neque fortius'; nisi Helenium Acronem errasse dicendum est, qui prius sic intellexit, non fortius, id est gloriosius, quamquam iuxta sit summum et egregium excellentemque esse laude virtutis. itaque Plautus in Bacchidibus . . .*

p. 216, 9 *quoad poteris Terentius in Eunucho 'munus nostrum ornato verbis quod poteris'; ubi Helenius Acron 'pro in quantum poteris'.* Quod ad exempla laudata attinet, ab Acrone aliena sunt, quae in aliis plurimis titulis legantur, p. 210, 17 Plautus in Bacchidibus (sicut eadem fabula fluxit non ex Celso p. 223, 12 et 214, 5, non ex Aspro p. 209, 9) idemque p. 229, 23 cum Naevio et Catone. Contra ad Acronem redire p. 197, 25 Ennium, 210, 11 Maronem, 200, 18 Afranium in Sororibus, quae semel in hoc capite occurrant, et exempla omnia in titulis capitis de analogia facile perspicitur.

Festus.

Sexti Pompeii Festi, epitomatoris Verrii Flacci, aetas admodum dubia est, si eam certis finibus circumscribere velis. Nam in altero saeculo eum aetatem tulisse inde apparet, quod ipse Martialis versu Verrium auxit apud Paulum p. 369, 2, a Porphyrione autem excitetur apud Romanum, quam ob rem ante illum Festum posui. Romani titulus extat in fine truncatus in capite de adverbio Char. p. 220, 29 *sarcte pro integre. sarcire enim est integrum facere. hinc 'sarta tecta uti sint' opera publica locantur, et ut Porphyrio ex Verrio et Festo 'in auguralibus' inquit 'libris ita est: „sane sarcteque . . ."'* Usurpavit Porphyrio Festi locum p. 322 *sarte in Auguralibus pro integro ponitur: 'sane sarteque audire, videreque'. ob quam causam opera publica, quae locantur, ut integra praestentur, sarta tecta vocantur. etenim sarcire est integrum facere.* (Cf. Verr. et Porph.)

Porphyrio.

Pomponius Porphyrio, cuius scholia Horatii ad nos pervenerunt, Lucani interierunt, si quidem recte eliciuntur ex schol. Lucan. I 214 *Porfirion puniceum interpretatus est quasi phoeniceum,* Acrone (Porphyr. in Hor. sat. I 8, 25) et Festo (Char. p. 220, 28) auctoribus usus est, ipsum Romanus adhibuit, ut non multo ante hunc vixisse videatur. Sententia enim Charisium Porphyrionem addidisse (Teuffel-Schwabe. hist. litt. § 379, 1) caret fundamento. Sed ex quo grammatici libro Romanus titulum Char. p. 220, 29 *sarcte,* quem modo apud Festum exscripsi, hauserit nescio. Kiesslingius ind. schol. aest. Gryph. 1880 p. 6 adn. 6 suspicatus est haec verba sumpta esse ex integro commentario Horatii in ep. I 2, 31. Totum certe articulum Romanus ex Porphyrione excerpsit, cum etiam verba Porphyrionis nomen antecedentia cum Festo congruant.

Statilius Maximus.

Statilium Maximum Romanus in capite de adverbio saepius ipsis verbis allatis auctorem arcessit, ut non multo ante eum floruisse videatur. Ex subscriptione quadam comperimus grammaticum Ciceronis orationum exemplaria ad veteres codices emendavisse. Cf. Graefenhan. hist. phil. IV p. 383 Iahn. nunt. saxon. societ. litt. 1851 p. 329. Ciceronem explicans apud Charisium inducitur, quas interpretationes non ex commentario Ciceronis fluxisse, sed ex libro a Romano bis laudato Char. p. 194, 11 et 218, 6 *de singularibus apud Ciceronem quoque positis* intellexerunt Suringarius hist. crit. schol. lat. I p. 203 et Bergkius diar. stud. antiq. 1845 p. 116. Idem Bergkius recte monuit Statilii glossas Catonianas non cum Suringario I 63 ad commentarium referendas esse sed ad similem

librum 'de singularibus apud Catonem quoque positis', ex quo scriptore iam Verrius obscura vocabula collegerat. Cf. Graefenhan. IV 234. Recenseamus Statilii glossas primum Ciceronis deinde Catonis.

In introductione generali capitis de adverbio iocose Romanus se excusat, quod saepenumero adverbio utatur, quod a Statilio inter singularia notetur, Char. p. 194, 11 *quia saepenumero contendere a nobis non desinitis, licet Statilius Maximus de singularibus apud Ciceronem quoque positis saepenumero notet.* In ordine adverbiorum alphabetico leguntur tituli:

p. 218, 6 *stomachose Cicero* (ad Att. X 5, 7), *ut Statilius Maximus de singularibus apud eum quoque positis notat.*

p. 196, 4 *confestim velut competenti festinatione Sisenna . . . confestim pro continuo et sine intervallo sed iugi festinationis studio pergentis. Sallustius libro * 'fessit ut nuntiis confestim lugubribus'* (Cic. de invent. II 12, 42 vel Philipp. V 12, 31), *ubi Statilius Maximus 'ordine' inquit 'et sine intermissione'. Naevius in Tarentilla et in Corollaria.*

p. 209, 4 *ostiatim vicatim Cicero* (in Verr. act. sec. IV 22, 48. 24, 53 et pro Sest. 15, 34), *quod Statilius Maximus notat nesciens, quia ut continuo statim est, continuatim frequentativum.*

p. 212, 16 *placate Cicero* (ad famil. VI 1, 4), *ut Maximus quoque notat, 'placate et moderate feramus'.*

p. 213, 13 *pudenter Cicero* (pro Quint. 11 cf. Vatin. 2), *ut etiam Maximus notat, et Afranius in Emancipato . . .*

p. 214, 17 *pariter pro pariliter Cicero, ut Maximus notat. similiter et Maro XI, ubi Celsus 'pro aequaliter': idem georgicon . . .*

p. 217, 3 *repentino pro repente Cicero* (pro Quint. 4, 14), *ut Statilius Maximus notat; Afranius in Emancipato . . . idem in Vopisco . . .*

p. 217, 8 *rare Cicero pro raro, ut idem Maximus notat; Catonem quoque ita locutum. sed et Plautus in Rudente . . .*

p. 218, 28 *salutariter Cicero* (Brut. 2, 8), *ut idem Maximus notat, quasi salubriter.*

p. 219, 24 *singularie pro singulariter, quasi unice Cicero, ut Maximus notat.*

p. 219, 25 *stirpitus Cicero* (Tusc. IV 38, 83), *quod apud eum idem Maximus semel positum notat, 'ut' inquit 'funditus radicitus'.*

In eundem modum Maximus explicat vocabula Catonis, quem p. 217, 8 in glossa Ciceroniana citaverat, nisi Romanus eum ex Catoniana glossa addidit, in titulis:

p. 202, 11 *imperabiliter Cato senex; ubi Maximus 'pro nimis imperiose dure'.*

p. 215, 22 *primo pedatu Cato senex . . . ut Maximus notat . . .*

p. 217, 14 *rarenter Cato, ut idem Maximus notat, pro raro . . .*

p. 220, 16 *secunde Cato senex, ut Maximus notat . . .*

In quinto titulo Maximi nomen ex codicis Dousae sola lectione critici

recte restituerunt p. 206, 9 *malitiose Cato senex 'malitiose istorum iuratorum .... verto ut ... quod ...'* In Dousae codice fuisse dicitur: *malitiose istorum iura. iuratorque eo verbo ut maximus,* unde *utiturque eo verbo et Maximus* Vulcanius coniecit, *utiturque eo Cicero, ut Maximus* Bondamus. Cf. Keilii adn. Denique in capite de interiectione invenitur glossa Catoniana: p. 240, 1 *'vita deum immortalium' Cato senex; ubi Statilius Maximus 'ἐκφώνησις' inquit 'ἀρχαϊκή, ὡς ὢ πόποι'.*

Quibus in titulis a Statilio ea exempla separanda sunt, quae in aliis quoque titulis occurrunt, Afranii p. 213, 13 et 217, 3, Plauti p. 217, 8 — quem Statilio Graefenhanius IV p. 235 tribuit — Maronis p. 214, 17, cuius versus Celso debentur, Sisennae et Sallustii p. 196, 4. Valde autem erravit Suringarius I p. 258, qui Statilio commentarium Sallustianum vindicavit (cf. Graefenhan. IV p. 234), cum verba Statilii nomini antecedentia Ciceronis sint, Sallustii interciderint. In uno contra titulo p. 217, 8 cum Cicerone Cato coniungitur ut videtur a Statilio ipso. Sed utut hoc est, Catonis et Ciceronis glossas verisimillimum est non ex diversis Statilii libris fluxisse, sed ex eodem opere, in quo grammaticus ἅπαξ λεγόμενα vel singularia vel (Char. 219, 25) semel posita notaverat. Nescio an hoc mira citandi ratione probetur p. 194, 11: *Statilius M. de singularibus apud Ciceronem quoque positis* et 218, 6 *apud eum quoque positis,* ubi quoque particula Cicero aliis scriptoribus opponi videtur, qui Statilio singularia praebuerunt. Cf. Iahn. l. l. Fortasse in Statilii libro lemmata ordine litterarum erant ordinata. Lemma sequebatur brevissima explicatio formae sive significationis adverbii, ut glossae hanc speciem praeberent:

'confestim. ordine et sine intermissione Cicero „. . ."'
'stirpitus. ut funditus radicitus Cicero.'
'imperabiliter. pro nimis imperiose Cato senex.'

Locos scriptorum Statilius non semper exscripsisse videtur, cum a Charisio rarius afferantur (196, 4. 212, 16. 215, 22. 206, 9). Certe nusquam indicavit, ex quo scriptoris libro exemplum manaverit, cum solo nomine Cicero et Cato vel Cato senex excitentur. Et Ciceronis quidem exempla ex diversis libris, quos indicavi, fluxerunt, Catonis Suringarius l. l. omnia ad Origines revocare parum probabiliter studuit, cum p. 217, 14 locus ex libro de re rustica cap. 103 laudetur. Iam cum duo in capite de adverbio tituli occurrant, in quibus simpliciter Cato senex excitatur libri nomine non addito, p. 219, 19 *seorsum Cato senex '...'* et 221, 8 *taetre Cato senex '...'*, hos sine ulla dubitatione Statilio tribuemus. Quod ad Ciceronem attinet, unus titulus solum Ciceronis nomen continet p. 211, 29 *plure,* de quo dubitari potest cf. p. 109, 10.

Marcius Salutaris.

Marcii Salutaris, de quo nihil praeter Charisium memoriae proditum est, aetatem Teuffelius hist. litt. § 381, 4 (= 405, 2 Schwabe.), eo definivit, quod grammaticus Char. p. 229, 19 *vir perfectissimus* nominatur. Cum enim perfectissimati dignitas a Constantino instituta sit, Charisium debere Salutarem Comminiano vel ipsum eum addidisse. At agitur illo loco non de Comminiano, sed de Romano, neque Charisius ipse tale quid subiecit. Itaque vir perfectissimus sine dubio a Romano profectus est, quod ita fieri potuit, ut titulus non certam dignitatem significaret aut alium quam Constantini militarem honorem. Similiter virum clarissimum Constantinus voluit vocari magistrum equitum et peditum, cum in primo p. C. saeculo senatores ita audirent. Cf. Schiller. in Muell. manuar. antiq. stud. IV p. 602. Kiesslingius ind. schol. aest. Gryph. 1880 p. 6 adn. 6 Marcium virum perfectissimum vix ante Alexandri aetatem vocari potuisse contendit. Certe Salutaris Romani aequalis fuit. A quo in capite de adverbio citatur in titulo initio manco Char. p. 202, 2 * '*ilicet obruimur numero*' (Verg. Aen. II 424); *ubi Marcius Salutaris interiectionem ait esse graviter ingemescentis. nam et Terentius in Eunucho 'infecta pace' inquit 'ultro ad eam veniens . . . actum est, ilicet peristi'. nam et hic non est in loco vel statim continuo. sed pro eo quod est hem, ut sit hem peristi.* et in capite de coniunctione p. 229, 19 *an pro cum Maro bucolicon 'an mihi cantando victus non redderet ille quem mea carminibus meruisset fistula caprum?' nisi, ut de distinctionibus diximus, ὑπακουόμενον sit 'an aecum videatur?' sed Marcius Salutaris, vir perfectissimus, pro ergo rectius sensit.* Salutaris versus Aeneidis et Bucolicorum fortasse in commentario Vergiliano explicavit, quamquam demonstrari hoc nequit. Cf. Suringar. hist. crit. schol. lat. II p. 232 Terentii contra versus in priore titulo ab eo alienus esse videtur, quo Romanus Salutaris sententiam comprobat, sicut ei in altero quoque titulo adstipulatur cf. cap. III.

Umbrius Primus.

De Umbrii Primi aetate nihil compertum habemus. Hoc certum est temere Marschallium *de Q. R. Palaemonis libris gram.* p. 71 adn. coniecisse Umbrium Primum a Romano eundem grammaticum atque Palaemonem significatum esse, cum Romanus Palaemonem non excitet. Ex Romano probabilitate quadam elicitur eum artem grammaticam scripsisse, quam Romanus in introductione generali tractatus de adverbio adhibuit. Ubi Romanus initium a Graecorum definitione adverbii capit, qui interiectionem adverbium esse voluerunt, Char. p. 190, 13 *qua ratione igitur σχετλιασμοῦ δηλωτικὰ ἐπιρρήματα dixerint parum specto. quam partem orationis nostri, non ut numerum octo partium articulo, id est τῷ ἄρθρῳ, deficiente supplerent, sed quia videbant*

adverbium esse non posse, segregaverunt. non quia nesiam quaedam aliis partibus orationis adverbia esse communia et velut nominis iuncta consortiis, ut gratis falso vero subito, 'domi est' 'domo venit'; nec minus verbo, ut consulto; item coniunctionum nexibus strictiora, ut cum dicimus, inquit Umbrius Primus, ubi si ut ergo; aut praepositionibus similia, ut pro sub prae propter. et Umbrius tamen interiectionibus locum non dedit, cum vel extrema linea duci postremo vel ab his posset quia eam orationis partem adverbii totam esse voluerunt. quorum siquis defensionis ineat tramitem, quod idcirco πανδέκτης a Stoicis ea pars orationis habeatur, eodem illo summoveri se posse respiciet unde confidit. Romanum videmus Umbrio auctore a parte eorum stare, qui contra Graecorum exemplum interiectiones (σχετλιασμοῦ δηλωτικά) ab adverbiis (ἐπιρρήματα) segregarint et propriam partem orationis fecerint. Cf. Steinthal. hist. ling. stud. apud Rom. et Graec. p. 577. Sane adverbium cognatum esse cum aliis partibus orationis: cum nomine verbo coniunctione — in qua Umbrius excitatur sine dubio totius sententiae auctor — praepositione. Contra interiectionem Umbrium ab adverbio alienam habuisse.

Paulo post Umbrius Primus iterum laudatur, ubi Romanus post disputationem de adverbio ad verbum accedente redit ad interiectionis illam quaestionem his verbis: Char. p. 192, 16 *absurdum utique nec socium isti πανδέκτῃ dignumque quod interiectionis propria vis et potestas adgnoscat. sed collatio quamque comparationem Umbrius Primus nominat defensionis aliquid possit afferre, quantitatis vix posse fatearis, quando propemodum solis qualitatis adverbiis nec aliis obsecundet. iustus etenim facit iuste, dein iustius; superlativo iustissime factum esse profitebitur.* Cum Romanus Umbrium obiter stringat dicens eum collationem comparationis nomine significasse, tamen summa sententia ad Umbrium redire videtur. Quam si recte perspicio, interiectionis 'propria vis et potestas' eo defenditur, quod haec pars orationis gradus comparationis ut adverbium non accipiat.

Ἀκύλας.

Agmen grammaticus claudat non bonis Charisii codicibus traditus, sed Cauchianis excerptis, quorum non eadem fides est. Keilius enim praef. p. XXV—XXVIII haec excerpta ostendit redire ad codicem amissum Iani Dousae, sed multa ita comparata esse, ut dubitari possit, utrum e codice petita an coniectura invecta sint velut glossae Graecae. Sed ut Maximi nomen codice Dousae in glossa Statilii Maximi Char. p. 206, 9 recte traditum esse vidimus (cf. Statil.), nostro loco nomen grammatici servatum esse potest, nisi quomodo ab interpolatore addi potuerit perspiciatur. Legitur Ἀκύλας in introductione generali tractatus de adverbio Char. p. 193, 25 in lacuna, quam interpolatorem verbis: *et cetera quae Graece sequuntur* supplevisse Iahnius nunt. Saxon. societ. litt. a. 1851 p. 329 adn. intellexit.

Adhibitis excerptis Cauchianis locus ita procedit: *num cum dialecticae statum non eadem via nec substantia terminarint aliqui. ὁ Ἀκύλας περὶ κατηγοριῶν δέκα Ἀριστοτέλους· διαλεκτική ἐστι μέθοδος καὶ ἐπιστήμη τῶν σημαινουσῶν καὶ σημαινομένων φωνῶν. οἵ δέ τινες, ἡ κατὰ φύσιν ὁδὸς ἐπὶ τὴν φύσιν φέρουσα πρότερον . . . multo magis ego, cui danda quidem est, sed tamen cautio impunitas differendi, differentia morabor ingenia loquellarum.* Cum enuntiatio primaria Graecis verbis inepte interrumpatur, statuat quis haec ab interpolatore profecta esse, praesertim cum Aquilae fragmentum in schedula interposita legatur. At, quamquam hodie tota enuntiatio non satis recte procedit, tamen Graeca verba dialecticae notionem diverse explicatam continent, de qua re Romanus antea verba facit. Definitionem Graecam autem per se a Romano non abhorrere Aristophanis et Aristarchi analogiae definitio in initio capitis de analogia docet. Sed utut hoc est, Ἀκύλας librum περὶ κατηγοριῶν δέκα Ἀριστοτέλους scripsisse dicitur. Nescio an intellegendus sit Aquila — Ἀκύλας a Dione vocatus — libertus Maecenatis notarum inventor, cuius memoriam Suetonio p. 135 R. et Dioni Cassio hist. Rom. 55, 7, 6 debemus. Ad eundem referenda esse videntur testimonia Probi cath. gram. lat. IV p. 19, 32 *hoc pubes huius puberis. sic Aquila rettulit Tullium dixisse, quam declinationem secutus Sallustius in Iugurtha 'puberes interfecit'* et Cassiodori de orthogr. gram. lat. VII p. 209, 18 *nunc animos legentes erigite et gaudete tantos ad vos priscos pervenisse auctores . . . possem quidem Aquilam et Quintilianum, sed et Avitum, quos nonnulli in orthographiae peritia laudandos esse putaverunt, . . . superioribus auctoribus addere.*

Grammatici incerti.

Grammaticos incertos non eos intellego, quorum nomen intercidit, ut Plinium in capite XV, ubi Caper non recte restituitur (v. Plin.), et alium in capite de adverbio p. 222, 26, ubi Plinius non recte conicitur, sed grammaticos non nominatos. Saepe grammatici commemorantur, quos Romanus iam apud auctores tam universe laudatos invenisse videtur, velut p. 117, 29 *Allecto, hanc Allecto Maro . . . quam 'et nomine Dido saepe vocaturum' eiusdem schematis esse grammatici tradiderunt, non per vocativum, o Dido. Fl. tamen Caper Allecto monoptoton esse Valerium Probum putare ait* et 129, 25 *funes, licet grammatici velint, genetivis tam singulari quam plurali si i littera interierit, accusativum pluralem in eis exire ut huius funis horum funium hos funeis. quam regulam negat Plinius vires habere potuisse.* Cf. 132, 11. 141, 17. 144, 7. 145, 32. 215, 15. 226, 26 al. Item quidam afferuntur p. 135, 1. 139, 4. 140, 12. 193, 5. 197, 29. 200, 12. 213, 21. 218, 14. 240, 18 al. et p. 143, 30 ii quibus grammatica curae est.

Bis a Romano Stoici citantur, qui adverbium πανδέκτην appellaverint propter affinitatem ceterarum partium orationis. Cf.

Steinthal. hist. ling. stud. ap. Rom. et Graec. p. 572. Occurrunt Stoici in introductione generali adverbiorum ordinis Char. p. 190, 24 *et Umbrius tamen interiectionibus locum non dedit, cum velut extrema linea duci postremo vel ab his posset, qui eam orationis partem adverbii totam esse voluerunt. quorum si quis defensionis ineat tramitem, quod idcirco πανδέκτης a Stoicis ea pars orationis habeatur* . . ., ad quem locum Romanus postea legentem relegat p. 194, 20 *cum adverbium Stoici, ut alias diximus, pandecten vocent.* Stoicos magnum studium in partibus orationis eorumque nominibus definiendis posuisse memineris collatis locis Prisciani gram. lat. II 54, 8 (= Serv. in Donat. IV 428, 12 Cledon. V 34, 28 Pomp. V 135, 26) 54, 21 (= III 34, 23) 548, 7 (= III 492, 11) 548, 11. 549, 13 III 139, 22 et Sergii explan. in Don. IV 489, 22.

Semel in capite de adverbio una cum Varrone laudantur grammatici qui de differentiis scribunt, quos Romanus ex eodem fonte atque hunc petivisse videtur, Char. p. 205, 16 *mutuo, ut Varro de sermone Latino libro V loquitur, in consuetudine est; mutue vero ut docte sic putant, nec non et illi qui de differentiis scribunt.* Similiter significantur a Prisciano II 303, 7 *qui de litera scripserunt* 51, 4 *qui de orthographia scripserunt* et a Pompeio V 148, 1 *qui scripserunt de regulis* 201, 7 *qui scripserunt de argumentis.*

Denique glossographi universe indicantur (cf. Lersch. phil. ling. III p. 135) in titulis extremis capitis de coniunctione et de interiectione Char. p. 229, 31 *ast apud antiquos variam vim contulit vocibus, pro atque, pro ac, pro ergo, pro sed, pro tamen, pro tum, pro cum, ut in glossis antiquitatum scriptum* et p. 242, 10; 12 *butubatta. hoc Plautus pro nihilo et pro nugis posuit, ut in glossis veterum. buttutti, fluctus quidam vel sonus vocis effeminatior, ut esse in sacris Anagninorum vocum veterum interpretes scribunt.* Quales grammaticos Romanus ipse adhibuisse videtur et in his capitibus et in capite de adverbio, in quo multos articulos, qui glossis simillimi lemmate brevi explicatione uno exemplo constant, glossographis debere videtur. Saepissime enim leguntur scriptoris cuiusdam libri iidem, quos Romanum a grammaticis nominatis accepisse demonstrari non potest. Ex talibus glossariis manavisse videntur exempla: Afranii in Consobrinis, in Emancipato, in Repudiato, in Vopisco; Catonis de multa contra L. Furium, dierum dictarum de consulatu suo; Ciceronis Tusculanarum II, de senectute; Naevii; Plauti in Caeco vel in Praedonibus, in Bacchidibus; Sisennae Milesiarum XIII; Titinii.

Caput III.

DE C. IULII ROMANI LIBRO ΑΦΟΡΜΩΝ.

De C. Iulii Romani libro Ἀφορμῶν disputaturi quaeramus primum de operis ambitu et summo consilio, deinde de auctoris sententiis et ratione scribendi.

Prior dissertationis pars ita procedat, ut incipiamus a Charisii citandi ratione, pergamus ad Romanum de se ipso dicentem, addamus quae efficiuntur ex locis coniectura Romano tribuendis, denique imaginem totius libri restituamus.

Charisius plenissime et accuratissime Romanum ita laudat: p. 230, 1 *sunt et aliae plurimae coniunctiones pro aliis apud veteres auctores interpositae, de quibus plenius G. Iulius Romanus libro ἀφορμῶν sub titulo de coniunctione disseruit* et p. 238, 16 *sunt et aliae plurimae praepositiones pro aliis apud veteres auctores interpositae, de quibus plenius idem Iulius Romanus libro ἀφορμῶν sub titulo de praepositione disseruit.* Dilucide apparet Charisium indicare et libri totius titulum, qui utrum ἀφορμαί an ἀφορμῶν fuerit non cognoscitur, et titulos capitum *de coniunctione* atque *de praepositione.* Ceteris autem locis, ubi liber ἀφορμῶν a Charisio excitatur, capitum tituli non afferuntur: p. 236, 16 *Gaius Iulius Romanus de praepositionibus libro ἀφορμῶν ita refert* et 190, 8 *C. Iulius Romanus ita refert de adverbio sub titulo ἀφορμῶν.* Sane Romanus in capitibus de praepositione et de adverbio de his orationis partibus rettulit, attamen Charisius capitum titulos disertim citare noluit. Sicut enim in prioribus locis utitur dicendi ratione: *sunt et aliae plurimae coniunctiones* (praepositiones) . . . *de quibus plenius . . . disseruit,* hic dicit *de praepositionibus refert* et *refert de adverbio.* Praeterea titulum capitis supra cognovimus esse *de praepositione,* cum nunc Charisius liberius dicat *de praepositionibus.* Hoc attendas velim, cum viri docti difficultatem in Charisii citandi ratione invenerint, quae nulla est, atque ex qua nihil recte effecerunt. Statuerunt enim Spengelius Monac. doct. iudic. 1840. 1 p. 513 adn. et Keilius praef. p. XLVI adn. differentiam inter verba quae primum tractavi: *libro ἀφορμῶν sub titulo de coniunctione* (praepositione) et inter p. 190, 8 *refert de adverbio sub titulo ἀφορμῶν* atque locum, quo Romanus de se ipso dicit p. 209, 21 *de consortio praepositionum, quem adaeque sub titulo ἀφορμῶν dedimus.* Atque Spengelius eo in errorem ductus est, quod l. l. 513 titulum intellegit caput vel ut ipse dicit 'rubrik', qui significat potius id quod libro vel capiti inscribitur, ut Charisius non minus recte laudet Romanum 'sub titulo ἀφορμῶν' h. e. 'libro qui inscribitur ἀφορμ.' quam 'libro ἀφορμῶν sub titulo de coniunctione' h. e. 'libro ἀφορμῶν in capite quod in-

scribitur de coniunctione'. Sed supersedeo Spengelii rationem, qua difficultatem removere studuit, afferre. Keilius autem hinc concludit Romanum fortasse singulis artis grammaticae partibus titulos ἀφορμῶν addidisse, quamquam Charisium non tam accurata citandi ratione usum esse verisimilius sit. Sane utitur alia citandi ratione, quae quidem neminem offendere debet. Breviorem in modum Charisius Romanum laudat, ut non totius operis titulum sed capitis tantum nominet vel indicet, his locis: p. 114, 28 *ut Romanus refert in libro de adverbiis sub eodem titulo* 56, 4 *Romanus autem in libro de analogia* 114, 1 *Romanus libro de analogia ita inquit* 116, 29 *de analogia, ut ait Romanus* 117, 6 *cuius rei rectam rationem interim differamus, contenti paucis, quae exempli gratia Gaius Iulius Romanus sub eodem titulo exposuit* (scil. de analogia) 51, 5 *plenius autem de analogia in sequentibus Romanum disseruisse invenies.* Iam cum ex verbis p. 110, 8 *G. Iulius Romanus ita refert de adverbio sub titulo ἀφορμῶν* discamus Romanum in libro ἀφορμῶν tractavisse adverbium, librum de adverbiis p. 114, 28 indicatum non ab hoc alienum immo eius partem esse putabimus. Neque librum de analogia a libro ἀφορμῶν cum Osanno symb. litter. II p. 327s. (cf. Lersch. phil. ling. I p. 156) diversum fuisse credemus, quem caput libri ἀφορμῶν fuisse ostenderunt Spengelius et Keilius. Sed titulus capitis in uno tantum ex sex locis modo allatis consilio citatur: *de analogia, ut ait Romanus.* Ex verbis enim *libro de analogia* titulum 'de analogia' fuisse necessario non efficitur, sicut ex verbis *in libro de adverbiis* non eruitur titulus 'de adverbiis', quem potius 'de adverbio' fuisse suspicamur comparantes titulos certos *de praepositione* et *de coniunctione.* Restant loci, quibus Charisius solum Romani nomen praebet titulo capitis non addito, quos unde petiverit tamen dubitari non potest. Primum verba p. 53, 12 *Romanus poematis refert* e. q. s. et 61, 5 *Romanus ita refert: mare* e. q. s. fluxerunt ex capite de analogia Char. p. 140, 5 *poematis,* 144, 19 *schema,* 137, 12 *mare.* Deinde verba p. 229, 3 *item etsi, ut ait C. Iulius Romanus* pertinent ad caput de coniunctione, quod 230, 1 accuratius laudatur. Locus p. 232, 7 *generaliter autem et canonice, ut Romanus, disertissimus artis scriptor, refert, praepositiones gentibus seu nationibus adduntur, civitatibus adimuntur et detrahuntur, licet contra nonnullos veteres dixisse reperiamus, ut apud eundem Romanum invenies* respicit ut mihi videtur titulum capitis de adverbio p. 203, 32 *Lilybaeo Coelius historiarum I . . . praepositiones etenim civitatibus denegantur, gentibus serviunt,* cum Keilius praef. p. XLV de Romani libro de praepositione cogitaverit. Praeterea verbis p. 239, 1 *G. Iulius Romanus ita refert. interiectio est pars orationis* incipiunt Charisii excerpta ex Romani capite de interiectione, cuius titulus quamquam traditus non est, tamen certe ut titulus de adverbio colligi potest. Denique in tertio Charisii libro quo de verbis agitur extat locus p. 254, 8 *ex eo quod est noceo tibi nocetur mihi a te facit; do tibi, datur*

mihi a te; obicio tibi, obicitur mihi a te. nemo enim dicit dor noceor obicior. sed C. Iulius Romanus ea verba idiomata appellavit, unde hoc effici posse videtur Romanum de verbo quoque scripsisse, quod aliunde non compertum habemus.

Iam supra tetigi locum, quo Romanus de se ipso verba facit relegans legentem ad aliud caput libri ἀφορμῶν, in Charisii capite de adverbio ubi in titulo *obiter* post lacunam servata sunt verba p. 209, 20 * *rationem paenitus invisere, de consortio praepositionum, quem adaeque sub titulo ἀφορμῶν dedimus, legere non gravetur.* Apparet Romanum adaeque atque caput de adverbio in libro ἀφορμῶν dedisse caput *de consortio praepositionum.* Videtur hoc caput diversum fuisse ab illo quod inscripsit *de praepositione*, cum titulus similis sit *de consortio casuum.* Quamquam Romanum in capite *de praepositione* agere potuisse de consortio praepositionum facile concedo, siquidem consortium praepositionum significent verba p. 238, 15 *sunt et aliae plurimae praepositiones pro aliis apud veteres auctores interpositae, de quibus plenius idem Iulius Romanus libro ἀφορμῶν sub titulo de praepositione disseruit.* Cum caput *de consortio praepositionum* Romanus libro ἀφορμῶν assignet, nos tres alios titulos, ad quos Romanus ipse provocat, non iniuria eidem libro tribuemus. Caput *de consortio casuum* excitatur in capite de analogia p. 132, 31 *Irim pro Iridem Maro . . . cum constet omnia Graecae figurae nominativo singulari is syllaba terminata genetivo singulari syllaba crescere, licet Varro et Tullius et Cincius, ut de consortio casuum diximus, huius Sarapis et huius Isis dixerint,* ubi Romanus locum capitis *de consortio casuum* in animo habere videtur, quem Charisius in capite XV ita exscripsit p. 89, 24 *Sarapis Sarapidis volunt grammatici genetivo casu dici, non Sarapis, quia omnia nomina Graecae figurae is terminata in genetivo syllaba crescere debent, ut Iris Iridis, Isis Isidis, Hymnis Hymnidis, Paris Paridis. sed cum et Latine declinari possint, non est necesse consuetudinem ratione reformare, praesertim cum adsit auctoritas. nam et Varro de vita sua non tantum huius Sarapis declinavit sed et Isis, quod paulo est durius. sed et Vergilius Irim dicit et Parim et Tigrim.* Itaque fortasse alii tituli singulares capitis XV ad declinationem nominum spectantes ex hoc libro manaverunt cf. Keil. praef. p. XLVII Schottmueller. *de C. Plinii Secundi libris gram.* p. 24 Neumann. *de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus* p. 17. Ego ipse conieci quae a p. 54, 6 *necesse*—55, 20 de ablativi cum ceteris casibus communione legantur ex hoc fonte derivata esse. In eodem capite de analogia laudatur Romani caput περὶ ὀρθογραφίας et certum eius lemma *copulare:* p. 135, 15 *laterale an laterare? ubi Plinius eodem libro VI 'si r littera praecesserit in quacunque syllaba, sequi debet l, augurale. contra si l praecesserit, sequi debet r, ut molare'. quod περὶ ὀρθογραφίας congruit quaestionibus copulare.* Cui libro in capite XV titulos Romani ad orthographiam spectantes vindicare debemus.

(Neumann. p. 17.) Denique caput suum *de distinctionibus* Romanus commemorat in capite de coniunctione p. 229, 18 *an pro cum Maro bucolicon 'an mihi cantando victus non redderet ille quem mea carminibus meruisset fistula caprum?' nisi, ut de distinctionibus diximus, ὑπακουόμενον sit 'an aecum videatur'. sed Marcius Salutaris, vir perfectissimus, pro ergo rectius sensit.* Ex sententia, quam Romanus in illo libro prolatam hic brevissime repetit, non satis certe opinor elicias, quid Romanus in illo capite sibi proposuerit. Tamen eius doctrinam ad distinctionem enuntiationis verborum aut ad enuntiatorum ipsorum copulationem pertinuisse verisimile est. Cuius generis similia exempla Charisius ex Romano in capitis XV titulis nonnullis attulit, in quibus quidem de constructione et copulatione singulorum verborum, non totorum enuntiatorum agitur.

Loci Charisiani, quos nos Romani esse coniecimus, fluxerunt ex diversis Romani capitibus de analogia, de consortio casuum, de adverbio, de coniunctione, περὶ ὀρθογραφίας, fortasse de distinctionibus, aliis diversam doctrinam continentibus. Primum Romano assignavi in generalibus capitis XV regulis has partes commentationum de extremitate a: p. 52, 6—13 et 54, 6—55, 20 e: p. 60, 1—18 m: p. 70, 25—71, 11. Quae cum contineant doctrinam satis universe de declinatione horum nominum agentem, haec ex generali parte capitum quorundam Romani fluxisse censeo, non ex singulorum titulorum ordine alphabetico, quibus duabus partibus Romani capita constare infra ostendam. Sed utrum ex Romani capite de analogia haec petita sint an ex alio nescio, quamquam verba p. 54, 6 *necesse*—55, 20 ex libro de consortio casuum manavisse conieci. Qui praeterea loci in mediis generalibus Palaemonis regulis leguntur in commentationibus de o as es extremitate non tam generalem doctrinam quam singulorum titulorum redolent et adeo cum capite de analogia conspirant, ut ad hanc originem revocandi sint. Tractatus vero, qui p. 93, 3—94, 8 legitur pertinens ad inaequalitatem numeri derivationis deminutionis coniungendi nomina, videtur mihi haustus esse ex capite de inaequalitate vel anomalia, quod capiti de analogia responderet, et ex generali quidem huius capitis parte. Quamquam enim nonnulli eius loci cum capite de analogia consentiunt, tamen totus tractatus uno tenore procedit, ut hunc consensum ita explicem Romanum in duobus capitibus eodem auctore usum eandem doctrinam iteravisse, quae ratio inter caput de analogia et de consortio casuum vel περὶ ὀρθογραφίας intercedit. Reliqui sunt ex Romani reliquiis, quae in capite XV extant, tituli singulares. In quibus quaeritur de 1) orthographia, 2) numero, 3) genere, 4) declinatione, 5) formatione et significatione, 6) copulatione et constructione, 7) comparatione, 8) adverbio, 9) pronomine, 10) coniunctione. Tituli ad orthographiam spectantes sine dubio fluxerunt ex Romani libro περὶ ὀρθογραφίας v. s. Numeri tituli, in quibus de vocabulis singularitate vel pluralitate carentibus agitur, fortasse eidem capiti debentur atque tractatus de inaequali-

tate, in quo p. 93, 4 s. de numeri anomalia disseritur. Cum numeri titulis cognati sunt generis tituli, cum nonnulli et genus et numerum respiciant. Declinationis lemmata plurima leguntur in capite de analogia, atque nonnulla quidem prorsus similia sunt velut Char. 71, 20 *tergum* et 146, 2 *tergum;* 85, 11 *aer* et 121, 12 *aerem;* 88, 10 *supellex* et 144, 13 *supellex;* 90, 3 *gliris* et 131, 16 *glis;* 100, 14 *amphora* et 56, 4; 105, 4 *oscinis* et 139, 11 *oscen;* 107, 6 *mugil* et 136, 11 *mugil;* 107, 31 *sinapi* et 143, 30 *sinapi.* Hos capitis XV titulos Charisius certissime ex Romani libro de analogia excerpsit. Item iudico, si in eadem quaestione grammatica titulus capitis XV vel capitis de analogia paulo uberior est, ubi Charisius ex fonte uberiore modo hic modo illic plus in sua capita transtulit. In capite de analogia igitur plura exempla occurrunt quam in capite XV in titulis: p. 70, 19 *pubes* 140, 19 *pubes;* 83, 3 *iter* 134, 12 *iteris;* 87, 22 *gluten* 131, 19 *gluten;* 100, 9 *Arabs* 123, 8 *Arabis;* 110, 1 *quies* 142, 3 *quies.* Contra tituli capitis XV plures praebent scriptores: 83, 8 *pater* 140, 17 *patris;* 87, 2 *femur* 130, 36 *femini;* 98, 3 *vultur* 147, 14 *vultur.* Nonnunquam similitudo inter unum titulum capitis XV et duos capitis de analogia intercedit, ut difficile sit discernere, unde titulus capitis XV fluxerit: p. 62, 9 *vectigale* : 146, 31 *vectigaliorum* 117, 8 *animale;* 65, 16 *ambo* : 119, 9 *ambos* 126, 13 *duo;* 83, 30 *Alexander* : 122, 3 *Alexander* 128, 1 *Euandrus.* Maior difficultas oritur, si lemmata diversa similem doctrinam praebent velut 63, 5 *cummi* : 143, 30 *senapi;* 73, 12 *plurum* : 123, 3 *compluria;* 89, 24 *Sarapis* : 132, 27 *Irim;* 107, 9 *paterfamilias* : 120, 8 *Augustas.* Qua in re statui potest lemmata, quae in capite de analogia responderent, a Charisio non exscripta esse. Sed cum in titulo p. 132, 27 *Irim* Romanus legentem ad librum de consortio casuum releget, hic quoque liber capiti XV materiam praebuisse videtur v. s. Ex titulis formationis et significationis unus respondet simillimo capitis de analogia p. 109, 28 *pometa* : 140, 15 *pometa,* qui hic prorsus singularis est et aliud Romani caput redolet. Videtur enim Romanus de hac nominis doctrinae parte proprium librum composuisse, nisi cogitare licet de capite de inaequalitate. Titulos de copulatione et constructione vocabulorum dicentes supra suspicatus sum fortasse ad Romani librum de distinctionibus redire, nisi hic quoque malis librum de inaequalitate arcessere. De comparatione, quamquam eam unus tantum titulus p. 83, 21 *celer* respicit, tamen Romanus proprio libello disseruisse videtur, ad quem revocanda sunt quae p. 189, 25 s. de adverbiorum comparatione exponuntur. Adverbia cum eadem in capite XV eodem ordine reperiantur, quo in capite de adverbio leguntur, ex hoc sine dubio sumpta sunt (Neumann. p. 16). Pronominales tituli proprium librum de pronomine redolent, ex quo Romanus similia quoque capitis de analogia lemmata sumpserit. Lemmata denique coniunctiones continentia ad Romani caput de coniunctione recte referemus, cuius exigua pars servata est. Hoc addam non necessario ex decem titu-

lorum generibus quae inveni totidem Romani capita colligenda esse, praesertim cum nonnulli tituli ut generis et numeri inter se cognati sint, sed in universum me non fefellisse spero. Praeter caput XV Romano tribuimus commentariolos de Saturnio et de rythmo et metro p. 288, 1—290, 9, unde sequitur Romanum de versibus quoque disputavisse. Denique locum p. 189, 25—190, 4 ad comparationem adverbiorum spectantem modo contendi Charisium una cum comparationis titulo p. 83, 21 *celer* fortasse ex proprio capite de comparatione sumpsisse, cum in suo capite de comparatione p. 114, 1 et 28 Romani capita de analogia et de adverbio arcesseret.

Cum variam ratiocinationem de Romani libro ἀφορμῶν instituerimus, nunc dilucidam imaginem licet adumbrare ratione habita operis amplexus et summi consilii. C. Iulius Romanus composuit librum, quem utrum ἀφορμαί an ἀφορμῶν inscripserit non satis constat, cum titulus semper ita legatur, ut a vocabulo libri pendeat. Osanni symb. litter. II 327 vero sententiam ἀφορισμῶν titulum operis fuisse Spengelius l. l. 513 adn. et Keilius p. XLVI adn. recte reiecerunt, cum Romanus doctrinam omnibus modis perfectam neque varia ratione interruptam dederit. Eundem titulum ἀφορμῶν Porphyrius inscripsit libro ἀφορμαὶ πρὸς τὰ νοητά, quem Keilius p. XLVI principia et elementa philosophiae summis quibusdam sententiis comprehensa continuisse ostendit. Idem confert recentiorum dictiones ἀφορμὰς λαμβάνειν et ἀφορμὰς διδόναι, quae eum significent qui materiam dicendi longius persequendam ab aliis petat vel aliis praebeat. Romanus igitur omnia ad principia grammaticae redegisse videtur, ut in capite de analogia a principali veterum grammaticorum certamine proficiscitur, utrum analogia an anomalia in sermone Latino valeat. Praeclare igitur titulus libri indicat id, quod Romanum summum sibi proposuisse in scribendo consilium apparet ex verbis p. 194, 13 *quidve sit cum officiis rectae constitutaeque rationis quidve licentius proditum requiramus* et 117, 7 *ut interdum tacente ratione quantum sibi dederit auctoritas colligamus.* Cf. Keil. p. XLVII. Qui liber ad doctorum virorum usum sine dubio scriptus ex diversis generibus operum grammaticorum ei assignandus est, quod artem grammaticam vocaverunt. Non temere enim a Charisio p. 232, 7 Romanus *disertissimus artis scriptor* nominatur. Sane differt Romani ars valde a Donati arte minore vel a Comminiani Charisii auctoris, quae in scholarum usum destinatae doctrinam continent tritissimam. Sed quod ad dispositionem materiae grammaticae attinet, Romani opus vera ars fuisse videtur. Notum est artem grammaticam quattuor partibus digestam comprehendere doctrinam primum de voce litteris syllaba accentu, deinde de octo partibus orationis, tum de vitiis et virtutibus orationis, denique de versibus. Primae parti libri ἀφορμῶν caput περὶ ὀρθογραφίας tribuere licet. Ex altera servati sunt capitum tituli 'de coniunctione' et 'de praepositione', ex quorum analogia colliguntur 'de adverbio' et 'de interiectione'. Nomini

compluria capita servisse videntur velut 'de analogia', 'de consortio casuum', fortasse 'de anomalia', item liber 'de consortio praepositionum' diversus fuisse videtur ab altero 'de praepositione'. Praeterea Romanum 'de pronomine' et 'de verbo' propria capita fecisse coniecimus. Valde autem dolendum est, quod tertiam artis grammaticae partem de vitiis et virtutibus Romanum tractavisse nullum vestigium extat. Ad quartam artis partem pertinent tituli 'de Saturnio' et 'de rythmo et metro'. Dubius restat titulus 'de distinctionibus'. Sed utut de partibus et capitibus libri ἀφορμῶν iudices, certe Romanus universam fere doctrinam grammaticae Latinae respexit. Hoc eo firmatur quod — quo libro nescimus — disputavit de genere numero formatione significatione copulatione constructione comparatione nominum. — Partibus et capitibus libri ἀφορμῶν illustratis videamus de singuli capitis ratione et amplexu. Romani capita duabus partibus constant breviore generalem doctrinam continente, uberiore singulos titulos litterarum ordine digestos amplexante. Generalis pars toto fere amplexu servata esse videtur capitum de adverbio Char. p. 190, 8—194, 21 et de praepositione p. 236, 16—237, 25, pauca eius verba transtulit Charisius ex capite de interiectione p. 239, 1—5 et de analogia p. 116, 30—117, 5, ubi reliquam Romani doctrinam consilio se omissurum esse profitetur verbis: 117, 5 *cuius rei rectam rationem interim differamus, contenti paucis, quae exempli gratia Gaius Iulius Romanus sub eodem titulo exposuit.* Generalis doctrinae alia exempla fortasse sunt commentationes de extremitate a: p. 52, 6—13 et 53, 30—55, 20 e: p. 60, 1—18 m: p. 70, 25—71, 11 et de inaequalitate p. 93, 3—94, 8. Incipit Romanus caput suum a definitione et nomine notionis grammaticae velut analogiae p. 116, 30 s., adverbii 190, 8 s. 194, 14, praepositionis 236, 20, interiectionis 239, 1 s. et pergit in capitibus de adverbio et de praepositione ad diversa genera adverbiorum et praepositionum. Qua in parte cum utatur doctrina simplici et trita, profert nonnunquam reconditiorem in altera parte repetitam velut Ciceronis exempla p. 192, 23 et 24 = 199, 25 et 217, 12 Helenii Acronis memoriam 192, 30 = 219, 5. Similem rationem vides in locis tractatus de inaequalitate p. 93, 3 ss., qui congruant cum titulis quibusdam capitis de analogia. Generalem partem sequitur ordo alphabeticus lemmatum singulorum ad usum auctorum pertinentium. Venerunt ad nos ordines capitis de analogia p. 117, 9—147, 16 et de adverbio p. 194, 22—224, 24. Pauca verba ordinis alphabetici capitis de coniunctione et ex a quidem littera leguntur p. 229, 9—32. Quibus quae de etsi coniunctione praecedunt p. 229, 3—8 nescio ex qua parte fluxerint. Ex capite de praepositione nimis pauca verba specialem doctrinam ostendunt p. 238, 1—14. Ex capite de interiectione Charisius ordinem litterarum neglegens exscripsit verba p. 239, 6—242, 9. Sed horum capitum ordines apud Romanum magno amplexu fuisse docent Charisii verba in capite de coniunctione p. 229, 33 *sunt et aliae plurimae con-*

iunctiones pro aliis apud veteres auctores interpositae, de quibus plenius G. Iulius Romanus libro ἀφορμῶν sub titulo de coniunctione disseruit et de praepositione p. 238, 15 *sunt et aliae plurimae praepositiones, de quibus plenius idem Iulius Romanus libro ἀφορμῶν sub titulo de praepositione disseruit.* In capitis XV titulis singularibus ex diversis capitibus haustis ordinem litterarum turbatum esse non miramur. Sed quaeritur, num ordines capitum de analogia et de adverbio omnes litteras continentes toto amplexu ad nos pervenerint, quod negandum est. Primum Charisius p. 117, 6 pauca ex ordine titulorum profitetur se velle exscribere. Deinde lemmata capitis de analogia, quae a Charisio excitantur p. 56, 4 *amphora* (?) et 114, 1 *alacris* frustra in Charisii excerptis quaeris. Iam non solum tota lemmata Charisius in excerpendo omisit, sed in unoquoque titulo quid sibi placuerit elegit. Quod demonstratur titulis capitis XV comparatis (v. s.), qui, cum ex Romani capite de analogia fluxerint, discrepant a Charisiano capite de analogia, ut modo hi modo illi tituli uberiorem doctrinam et plura exempla contineant. Ex eodem igitur Romani titulo Charisius alio loco alia in usum suum convertit. Iam cum generalis capitis pars rationem universam respiciat, tituli ad usum auctorum pertinent. Ex omni litterarum genere omnis aetatis exempla Romanus praebet. Occurrunt apud eum: Afer Afranius Apuleius Sempronius Asellio Ateius Philologus Atilius Atta Accius Augustus Aurelius Caesar Bibaculus Brutus Caecilius Q. Caepio G. Caesar Licinius Calvus G. Cassius Cassius Severus M. Cato Catullus Cicero Helvius Cinna Ti. Claudius Coelius L. Annaeus Cornutus Cotta Ennius Fabianus G. Fannius G. Fannius Cos. Annius Florus Fronto Gellius C. Gracchus Hadrianus Hermes Horatius Hortensius Hyginus Iuventius Laberius Labienus Q. Laelius Laevius Porcius Licinus Livius Andronicus T. Livius Lucilius Lucretius Aemilius Macer Maecenas Marcus Martialis Cn. Matius Melissus M. Messalla Mummius Cn. Naevius Nelei carmen Cornelius Nepos Oppius Ovidius Pacuvius Persius Plautus Asinius Pollio Pomponius Pomponius Secundus Propertius Rabirius P. Rutilius Rufus Sallustius Scaevola M. Aemilius Scaurus Servilius Cornelius Severus Sisenna Terentius Tibullus Titinius Trabea Trogus Tubero Valerius Antias Valgius Varro Atacinus M. Terentius Varro Vergilius. Auctores grammatici triginta septem excitantur, quos in altero commentationis meae capite tractavi, de quibus infra summatim referam.

Ab opere ad auctorem Ἀφορμῶν pergentes videamus primum de Romani ipsius verbis et sententiis, deinde de eius fontibus, tum de scribendi ratione, denique de scriptoris aetate et patria.

Romani ipsius verba cognoscuntur primum, ubi scriptor legentem ad alios libri sui locos relegat. Colligo locos, in quibus de se ipso prima persona verbi usus dicit. Iam supra commemoravi locos, quibus Romanus aliud libri sui caput respicit:

p. 132, 31 *ut de consortio casuum* *d i x i m u s*.

p. 209, 21 *de consortio praepositionum, quem adaeque sub titulo ἀφορμῶν* *d e d i m u s*, *legere non gravetur.*

p. 229, 18 *ut de distinctionibus* *d i x i m u s*.

Cuius generis est quartus locus primam personam non ostendens p. 135, 15 *quod περὶ ὀρθογραφίας congruit quaestionibus copulare.* Eiusdem capitis permulta lemmata ad ablativum singularem e vel i clausum pertinentia scriptor significat titulo p. 121, 16 *ablativos casus per omne specimen, et quidem quando i, quando e terminari debeant, collectos* *e x c e p i m u s*. Certum quoddam eiusdem capitis lemma Romanus intellegit, cum litteram indicet, in cuius ordine titulus legatur:

p. 124, 26 *celebre simile dubiis est, ut* *s u b a l i t t e r a d i x i m u s*, *quamquam plurali nominativo in res exeunt, ut salubre palustre pedestre terrestre.* Cf. 121, 21 *alacer. er finita numero singulari casu nominativo ablativum per varias vias ducunt, ut acre accipitre * ex quibus siqua solent in nomen hominis transire, non sunt dubia.*

p. 128, 28 *ficos... fagus Varronem dicere* *s u b f l i t t e r a d e d i m u s* *exemplum.* Cf. 130, 5 *fagus Varro ... fagos G. Caesar ...*

p. 129, 5 *felicium. trium generum nomina genetivo plurali ante um i debent recipere, ut pernicium audacium frocium. alia illa regula est, quam* *s u b c l i t t e r a d i x i m u s*. Cf. 124, 28 *cervicium. ubi Plinius eodem libro 'exceptis monosyllabis cetera x finita nomina seu vocabula absque communibus genetivo plurali quamquam ante um i non recipiunt, ut fruticum paelicum, radix tamen, ut cervix, radicium facit'.*

p. 131, 12 *'glossemata ut toreumata ... Varronis regula' inquit Plinius 'dativo et ablativo plurali in bus dirigit, quia singularis ablativus e littera finiatur.' melior tamen ratio est quam* *s u b a l i t t e r a d e d i* ... Cf. 123, 3 *aenigmatis. Varro de utilitate sermonis IV. ait enim Plinius 'quamquam ab hoc poemate his poematibus facere debeat, tamen consuetudini et suavitati aurium censet summam esse tribuendam ...*

p. 136, 20 *memoris, non ut sororis praetoris doctoris. est enim et neutralis potestatis, cum sit commune trium generum, ut* *s u b a l i t t e r a* *plenius* *d i x i m u s*. Cf. 119, 1 *arbor ut memor genetivo singulari declinabitur et ut neutralia numero quattuor, aequor robor ador marmor, nec ut soror sapor.*

Similiter Romanus verba facit, cum prima persona verbi non legatur:

p. 140, 2 *omnes Sallustius in Catilina ... cum idem in eodem 'omneis homines ...', quod ratione potius esse subnixum* *s u b f e t s u b m l i t t e r a* *poterit ostendi.* Cf. 129, 19 *fonteis. 'quorum nominum genetivi pluralis ante um syllabam i litteram merebuntur, accusativus' inquit Plinius 'per eis loquetur ...'* et 137, 23 *monteis ... idem Plinius in eodem permanet dicens omnes tunc demum posse dici accusativo, ut canes, quando genetivus pluralis horum canum ante um i non habet.*

p. 142, 16 *radicium Varro ... et Fabianus de animalibus 'radicum genera' inquit ... quod magis cum ratione dici leges* *s u b c l i t t e r a*. Cf. 124, 28 *cervicium. ubi Plinius eodem libro 'exceptis monosyllabis*

cetera x finita nomina . . . quamquam ante um i non recipiunt, ut fruticum paelicum, radix tamen, ut cervix, radicium facit. Ipsum lemma, quod Romanus legenti in memoriam revocare vult, affert p. 122, 3 *Alexander, si ratio placet, quam sub Euandri nomine disputavimus.* Cf. 128, 1 *Euandrus Maro . . . usus tamen Euander . . .* Eadem ratio est p. 135, 15 *quod περὶ ὀρθογραφίας congruit quaestionibus copulare.* Minus accurate Romanus alium locum significat in titulis:

p. 119, 4 *animal animale faciet, ut autumnal autumnale, capital capitale, tribunal tribunale: quae patiendi non sunt, ut supra diximus.* Cf. 118, 29 *autumnal . . . nomina quaedam sunt principalia, quae Plinius Secundus eodem libro facientia appellat, ex quibus possessiva nascuntur, quae patiendi vocat, ut aquale . . .*

p. 194, 20 *cum adverbium Stoici, ut alias diximus, pandecten vocent.* Cf. 190, 24 *quod idcirca πανδέκτης a Stoicis ea pars orationis habeatur.*

p. 199, 27 *falso . . . o littera cum est in novissima parte vocis, ut supra diximus, modo vincit, modo vincitur, modo alternat, modo par est . . .* Cf. 193, 10 *modo vincit, modo vincitur, modo alternat, modo par est.*

p. 54, 16 *quae, ut dixi, sexus ostendendi causa defendi possunt.* Cf. 54, 11.

Sed dubito, utrum p. 95, 17 *ut dixi* et 71, 7 *plus in hac observatione geminandi i in masculinis animadvertimus* Romanus sit intellegendus an eius auctor. Ab exemplis, in quibus Romanus de se ipso dicens prima persona verbi utitur, profecti in aliis eundem Romanum legentem ad alios locos relegare recte iudicabimus, quamquam alia est eius ratio, ut e. g. pro 'ut supra diximus' usurpet 'ad supra dictam regulam':

p. 118, 27 *prius illa nobis spectata ratione* cf. 117, 18.
p. 120, 25 *ad supra dictam regulam* cf. 120, 20.
p. 121, 7 *ex quattuor nominibus supra scriptis* cf. 119, 1.
p. 127, 11 *ex supra dicta ratione* cf. 127, 9.
p. 144, 6 *praeter regulam supra scriptam* cf. 144, 3.
p. 121, 19 *ad eandem rationem* cf. 121, 18.
p. 124, 21 *sub eadem ratione* cf. 124, 21.
p. 55, 17 *suo loco dicetur* cf. 110, 12 (? v. s. 95, 17. 71, 7).

Quid Romanus de grammaticis sententiis prolatis senserit, ita eum aperire videmus, ut auctorem laudet vel vituperet, ut de eius opinione dubitet vel differentiam inter hanc et aliam sententiam prolatam statuat vel ipse discernat, ut sententiam auctoris quasi sui ipsius confidenter proferat. Etiam ubi sententiam suam argumentis firmat, semper fere ab auctore suo pendet. Rarissime de suo aliquid addit, nisi de consilio operis sui et de sermone aetatis suae agatur. In sequentibus proficiscar semper a locis quibus Romanus prima persona verbi facile cognoscitur, transeam ad alios, in quibus de Romano dubitari nequit, si eius sententia opponitur grammaticis velut Plinio Acroni Statilio, quos scimus Romanum ipsum adiisse.

Vituperat Romanus Plinium prima persona usus: p. 78, 1 *clipeus masculino genere in significatione scuti ponitur ... neutro autem genere imaginem significat ... quare * dubii sermonis II indistincto genere dici ait, sed littera differre, ut pugnatorium per i clipeum dicamus ... imaginem vero per u a cluendo. sed haec differentia mihi displicet propter communionem i et u litterarum. nam et maximus et maxumus dicimus et optimus et optumus, nec tamen illa differentia secernimus* et 85, 10 *gibber, ut Verrius ait, ipsum vitium dicitur, ut tuber, gibberosus habens gibberem, ut tuberosus ... sed Plinius gibbus vitium ipsum, ut ulcus, maluisse consuetudinem tradit; quod mihi displicet.* Aliis locis Romanus auctorem laudat vel vituperat ita:

p. 128, 30 *ficos vitium esse corporis proinque declinari debere quasi pomum Martialis ... occurret exemplum ... quamvis quidam ficus vitium esse velint, ut doloris. quasi sonitus audiatur, ficos ut fagos moros ulmos ... itaque Plinius Secundus recte arborem ita dici ait, pomum vero per o litteram dici.*

p. 192, 14 *absurdum utique nec socium isti πανδέκτῃ dignumque quod interiectionis propria vis et potestas adgnoscat.*

p. 206, 2 *male pro valde Fronto ad Antoninum invicem libro II 'male me, Marce, praeteritae vitae meae paenitet'. ceterum ineptum est 'male paenitet'.*

p. 209, 4 *ostiatim vicatim Cicero, quod Statilius Maximus notat nesciens, quia ut continuo statim est, continuatim frequentativum.*

p. 236, 20 *Suetonius Tranquillus de rebus variis 'praepositiones' inquit 'omnes omnino sunt Graece duodeviginti' ... nostras vero esse has ... praepositiones, quia praeponuntur, merito censentur. nam et illud Sallustii historiam libro I 'quos inter maxime' praepositio est, quia per anastropham dicimus posse converti.*

Sed cave ne de Romano ipso neve potius de eius auctore cogites in verbis p. 88, 14 *rectius* 95, 17 *errant* 125, 2 *emendate* 130, 18 *recte* 127, 13 *errant* 129, 28 *errant* 138, 12 *idoneam* 144, 16 *rancidum* 146, 10 *rectius* 146, 15 *recte* 202, 18 *rectius* 217, 18 *recte* 222, 24 *recte* 289, 14 *errantibus.*

Diversas esse duas regulas a se allatas Romanus statuit vel inter eas discernit his locis:

p. 194, 33 *alias pro aliter Terentius in Andria: 'quid alias malim quam hodie istas fieri nuptias?' ubi Fl. Caper de Latinitate 'non ausim adfirmare pro aliter dici. nam neque pronomen est neque adverbium temporis'. sed proximum vero est ut pro aliter dictum esse fateamur.*

p. 118, 27 *autumnal Varro ... quod idem Plinius eodem libro VI notat. videndum tamen est an reprehensione sit dignum prius illa nobis spectata ratione. nomina quaedam sunt principalia ...* Cf. 117, 18 *animale Lucretius ... quod cum ratione dictum inde dispicito, quia nullum nomen est quod nominativo plurali praeter quam nominativus est singularis duabus syllabis crescat ...*

p. 129, 5 *felicium. trium generum nomina genetivo plurali ante*

um i debent recipere, ut pernicium audacium ferocium. alia illa regula est, quam sub c littera diximus. Cf. 124, 28 *cervicium. ubi Plinius eodem libro 'exceptis monosyllabis cetera x finita nomina seu vocabula absque communibus genetivo plurali quamquam ante um i non recipiunt, ut fruticum paelicum, radix tamen, ut cervix, radicium facit'.*

p. 131, 12 *'glossemata ut toreumata ... Varronis regula' inquit Plinius 'dativo et ablativo plurali in bus dirigit, quia singularis ablativus e littera finiatur'. melior tamen ratio est quam sub a littera dedi; et ideo haec et eiusmodi ex alia formula genetivum pluralem et ex alia dativum sumunt, horum glossematum his glossematis.* Cf. 123, 3 *aenigmatis Varro de utilitate sermonis IV. ait enim Plinius 'quamquam ab hoc poemate his poematibus facere debeat, tamen consuetudini et suavitati aurium censet summam esse tribuendam ...'*

p. 137, 17 (= 66, 11) *mare Varro ... pro a mari, ut refert Plinius ... consuetudo vero per i locuta est contra finitionem quam sub titulo ruris dixit* ... ubi Romanus differentiam inter hanc et aliam Plinii regulam sub Pliniano lemmate ruris datam invenit, ad quod Plinius ipse legentem relegat p. 139, 21 *orbi ... et frequenter antiquos ita locutos esse Plinius eodem libro VI notat: 'quamquam consuetudo melior' inquit 'quae faciat ex orbe, non sine ratione, quam sub nomine ruris diximus'.* Cf. 142, 17 *rure.*

p. 229, 18 *an pro cum Maro bucolicon 'an mihi cantando victus non redderet ille quem mea carminibus meruisset fistula caprum?' nisi, ut de distinctionibus diximus, ὑπακουόμενον sit, 'an aecum videatur'. sed Marcius Salutaris, vir perfectissimus, pro ergo rectius sensit.*

In dubitationem Romanus sententiam prolatam vocat ita:

p. 122, 4 *ager quoque usu, non ratione dicitur. quae mihi ratio vix videtur adhibenda.*

p. 190, 13 *qua ratione igitur σχετλιασμοῦ δηλωτικὰ ἐπιρρήματα dixerint parum specto. quam partem orationis nostri ... quia videbant adverbium esse non posse segregaverunt. non quia nesciam quaedam aliis partibus orationis adverbia esse communia ... et Umbrius tamen interiectionibus locum non dedit.*

p. 193, 7 *sed quidam non ea contenti ratione consortii iure putant e et o inter se litteras expedire, quod ego vix adducor ut credam, non quia negem Voturios pro Veturios et vorsus et olli et contra dictum esse reperiri.*

p. 197, 8 *conpecto Afranius in Emancipato 'te facere conpecto omnia'. verbum enim quaero an possit esse impersonale, quamvis primae positionis ei status desit. nemo enim etiam nunc dixit compaciscor.*

p. 213, 20 *propere produci debet, ut abunde honeste. quod an possit esse rationis vix specto, quoniam nec abunde, ut nec propere, putant quidam dici debere ...*

p. 214, 12 *piger pigre pulcher pulchre. celer nescio an celere produci possit, nisi forte illud dicat Terentius 'celere consilium' * ut non sit adverbium sed nomen.*

p. 192, 30 *itaque clanculo, non item dicere raro sed rare dumtaxat cum ratione poterimus. viderit etenim Helenius Acron commentariis, quos Adelphis Terenti non indiligentes attulit, quid altioris causae reive perspexerit. nam ita disserit: 'ut falso' inquit 'et consulto, ita sedulo dictitatum', nisi forte sine dolo putat esse sedulo nec cum industria, vel ideo cum industria, cum sit utique diversum.*

p. 199, 15 *ferme, ut apud Terentium ... et qui detracta m littera legerunt fere, producere solent. quae diversitas vix distingui potest. si quis tamen illam non inutilem tueri velit regulam, facile defendet adverbiorum quaedam suae positionis esse, ut heri nuper, alia ex aliis ut doctus docte, bonus bene.*

Confidenter Romanus sententiam suam hunc in modum profert:

p. 191, 6 *et quid ego de meris interiectionis viribus pertimesco, cum etiam quae omnium confessione putantur adverbia ratio subtilior eius partis esse noluerit ...*

p. 193, 21 *quae quidem ego reprehendenda non iudico, siqua ratio fortasse non firma nec in legibus suis durans interdumve succumbit alienis elegantiarum remediis acquiescens fidemque proclamat, auctoritatis videlicet nec adeo sanctionis, alienis viribus manus tradens. nam cum dialecticae statum non eadem via nec substantia terminarint * quo magis ego cui danda quidem est, sed tamen cautio impunitas differendi, differentia morabor ingenia loquellarum, quod adeo iudico moderatius exsequendum, ut exemplis idem istud bonorum sit nobis ratio subrogata.*

p. 212, 7 *parcissime. Probus de inaequalitate consuetudinis quaerit an quis hoc extulerit, quod et ipsum credo non parcissime factum* (ubi Romanus verbo ludit sicut 194, 10 *et quia saepenumero contendere a nobis non desinitis, licet Statilius Maximus de singularibus apud Ciceronem quoque positis saepenumero notet*).

Sed non semper is, qui sententiam suam profitetur, intellegendus est Romanus. Nam ut Charisius Romani de se ipso dicentis verba accurate exscripsit, non minus Romanus auctorem suum Plinium dico. Utrum auctor an excerptor verba faciat, sentiri magis quam demonstrari potest. Auctorem Romani cognosco his locis:

p. 132, 12 *heres heredis facit e littera subinflexa, ut Pericletis et Stratocletis. quid igitur est quod grammatici definiunt es finita nomina nominativo singulari, si sint Latina, in genetivo flecti non posse? videre non possum, nisi forte ea tantum putent quae es correpta clauduntur, ut eques pedes obses satelles teres. teres autem teretis debet facere.*

p. 141, 21 *panium Caesar de analogia libro II dici debere ait. sed Verrius contra. nam i detracta panum ait dici debere. neutrum autem puto posse dici, quia de his est nominibus quae, cum pondere numero mensuraque constent, semper sunt singularia* ubi moneo Caesarem et Verrium Plinii esse auctores, quibus Plinius adversetur, eademque verba redire in capite XV p. 90, 8 *panis autem genetivum pluralem Caesar de analogia II panium dixit, sed Verrius panum sine i. ego autem neutrum probo nec puto panem plurali numero dici posse, quoniam ...*

p. 62, 8 *cuius nominativum faciunt quidam hic tapes, qui facit hos tapetas; quod ego, quia nusquam scriptum puto, nequaquam probo.* Cf. Probi de nom. excerpta gram. lat. IV p. 209, 30 *item alii a nominativo hic tapes dicunt, qui facit hos tapetas; sed lectum nusquam est.*

p. 67, 20 *Vergilius quoque cum dixisset 'patris Anchisae' item 'satus Anchisa', e contrario intulit 'quae regio Anchisen': item cum dixisset 'duri nomen Acestae', intulit 'sed laetum amplexus Acesten, ut mihi videatur hunc Anchisam et hunc Acestam velut duram declinationem repudiasse.* Cf. 123, 5.

p. 74, 32 *igitur cum possimus secundum neutrorum formam huius penoris dicere vel secundum masculinorum et femininorum huius peni, neutrum dico, quia apud auctores nondum exemplum quod sequar inveni.*

Ut ad Romanum revertamur, de libri sui consilio haec verba facit:

p. 121, 16 *ablativos casus per omne specimen, et quidem quando i, quando e terminari debeant, collectos excepimus.*

p. 194, 10 *contendere a nobis non desinitis ... ut in ceteris an ratio teneat examen, per easdem vias pedetemtim subire conabimur, quidve sit cum officiis rectae constitutaeque rationis quidve licentius proditum requiramus ... sed ut facilitas legentibus adsit non requisita, placeat non per sapores specimenque partis istius et enumerata membra regulis alligata, sed ire per litteras maxime.*

p. 202, 32 *invito ut falso Plautus in Caeco ... quod idcirco putavi tractandum, quia numero plurali adverbialiter invitis video dictum et apud eos forsitan cum continua voce laetentur.*

Contra Romani auctor loqui videtur p. 75, 20 *lanius dicitur, ut Terentius 'lani coci' et Sallustius 'quin vinarii laniique'; ubi illud quoque notabimus vinarium dici. lanio autem quasi deminutio est lanii.*

Suae aetatis sermonem Romanus cum prisco hunc in modum confert:

p. 215, 4 *paulo prius Afranius in Emancipato 'paulo prius hinc abiit'. nos paulo ante dicimus.*

p. 215, 22 *primo pedatu Cato senex ... ut Maximus notat. hodieque nostri per Campaniam sic locuntur.*

p. 197, 8 *conpecto Afranius in Emancipato 'te facere conpecto omnia'. verbum enim quaero an possit esse impersonale, quamvis primae positionis ei status desit. nemo enim etiam nunc dixit compaciscor.*

p. 195, 11 *amplius Lucilius ... quod adeo prolixum temporis spatium significat, ut iudices, quotienscunque significabant adhuc se audire velle, 'amplius' dicebant itaque negotium differebant; unde hodieque ampliari iudicium differri dicitur.*

Non ad Romanum ipsum sed ad eius auctorem Plinium redire videntur quae leguntur similia p. 73, 19 *pulchrum Varro adspirari debere negat, ne duabus consonantibus media intercedat adspiratio; quod minime*

rectum antiquis videbatur. unde et sepulchrum hodieque *manet, quod sit seorsum a pulchro propter recordationem doloris.*

Ex locis, quibus Romani ipsius sententia cognoscitur, apparet excerptorem nonnunquam iudicium ferre de auctoris sui opinione, nusquam fere de suo quid addere. Nam etiam ubi suam sententiam certis argumentis defendit, ab auctore pendere solet. Itaque priusquam in rationem in scribendo libro ἀφορμῶν institutam inquiramus, quibus Romanus auctoribus nitatur videamus. Ex triginta septem grammaticis, quos Romanus laudat, multos apud auctores, quos ipse adiit, invenit nominatos. Plinius enim (cf. Schlitte. *de Plinii Secundi studiis grammaticis* p. 8) in articulis capitis de analogia et capitis XV ut ad auctores suos provocat ad Lucilium, Sisennam, Varronem, Caesarem, Valgium, Verrium Flaccum, Iulium Modestum, Pomponium Secundum. Ad eundem auctorem referendi nobis sunt visi grammatici, qui in articulis capitis de analogia et capitis XV occurrunt, qui quidem Plinii nomen non praebent tamen Plinianam doctrinam continent. Tales sunt Aristophanes, Aristarchus, Stilo, Aurelius Opilius, Ennius, Epicadus, Asinius, Fl. Pomponianus, Asper p. 140, 3 (?) v. i., Velius Longus p. 94, 1 (?) v. i., Paulus p. 126, 31. 143, 9 (?) v. i. A Flavio Capro afferuntur auctores Tiro de adverbio p. 207, 30 et Valerius Probus de analogia p. 118, 1, ad eundem recte fortasse revocantur Paulus de adverbio 217, 30 de interiectione 241, 2 (?) v. i. et Caesellius Vindex de analogia 117, 13 de adverbio 195, 26 de interiectione 239, 21 (?) v. i. Scaurus excitat Hadrianum de adverbio 209, 12, Helenius Acro Verrium de analogia 119, 13, Porphyrio Verrium et Festum de adverbio 220, 28. Sine dubio Romanus ipse evolvit:

Sisennam in capite de adverbio

Asprum de adverbio

Plinium Secundum de analogia et in aliis capitibus, quae Charisius in capite XV exscripsit

Suetonium Tranquillum de praepositione de adverbio

Q. Terentium Scaurum de analogia de adverbio

Arruntium Celsum de adverbio

Flavium Caprum de analogia de adverbio

Helenium Acronem de analogia de adverbio de coniunctione (idem in Charisii capite XV fluxit ex de analogia)

Statilium Maximum de adverbio de interiectione

Umbrium Primum de adverbio

Marcium Salutarem de adverbio de coniunctione.

Adhibuit igitur Romanus, si Sisennam non intellegimus veterem, grammaticos, qui inde a medio primo p. C. saeculo usque ad exitum alterius fuerunt nobilissimi. Contra dubito, num Romanus ipse inspexerit grammaticos, qui rarius leguntur vel certis quibusdam causis suspicionem movent, sive satis antiquae aetatis sint ut Gnifo Varro Modestus, sive in altero capite a grammatico quodam nominantur in

altero non item velut Valerius Probus, sive aliis de causis, quas in altero commentationis meae capite suo quoque loco exposui. Nil certi igitur firmari potest de:

Gnifone de adverbio p. 205, 1
Varrone de adverbio 205, 15 de interiectione 241, 27; 33
Iulio Modesto de adverbio 204, 22
Probo de adverbio 198, 16. 212, 7
Aspro de analogia 140, 3 v. s.
Velio Longo p. 94, 1 v. s. de adverbio 210, 7
Paulo de analogia de adverbio de interiectione v. s.
Tranquillo de adverbio 200, 25
Caesellio Vindice de analogia de adverbio de interiectione v. s.
Porphyrione de adverbio 220, 28
Sacro de adverbio 211, 20
Aquila de adverbio 193, 25.

Quos Romanus ipse adhibuit auctores, cuius generis libros scripserunt? Primum exscripsit Romanus grammatica diversi generis opera. Laudantur Plinii Secundi libri 'dubii sermonis' II V VI, Suetonii Tranquilli 'de rebus variis', Q. Terentii Scauri 'ars grammatica' et 'commentarii in artem poeticam', Flavii Capri opus 'de Latinitate'. Deinde commentariis usus est, ex quibus excitantur Aspri Sallustii historiarum, Helenii Acronis Terentii fabularum, facile colliguntur Sisennae commentarius Plautinus et Arruntii Celsi Vergilianus et Terentianus. Denique glossographica opera usurpavit: Statilii Maximi glossas Ciceronianas (ex libro 'de singularibus apud Ciceronem positis') et Catonianas, glossas ex multis scriptoribus petitas, quas generaliter vocat p. 229, 31 'glossas antiquitatum' vel p. 242, 10 'glossas veterum', de quibus in altero capite dixi disserens de grammaticis incertis. Ex libris, quos num Romanus ipse viderit dubito, commemoro Probi librum 'de inaequalitate consuetudinis', Caesellii Stromateum, cuius titulum quidem non ex Romano novimus, Pauli commentarium in Coelii historias, Sacri in Ciceronis orationem pro Rabirio.

Qua ratione Romanus auctores suos usurpaverit, praeclare apparet ex ordine titulorum litterarum ordine digestorum capitum de analogia et de adverbio. Romanus non ut Charisius excerptor aestimandus est, qui auctorem quam accuratissime sequatur, immo certum sibi proposuit consilium longe alienum a plerisque libris, quos usurpavit. Itaque quaerendum est, quem in modum fontes suos exscripserit. Romanus auctoris doctrinam sibi sumit vel notat, de suo nihil fere addens (v. s. ipsius sententias), materiam consilio (p. 194, 10) atque iudicio (p. 202, 32) colligit (v. s. verba de consilio facta), collectam in certam quandam formam et ordinem redigit. Ordine alphabetico se titulos singulos digesturum esse profitetur et ipse p. 194, 19 *sed ut facilitas legentibus adsit non requisita, placeat non per sapores specimenque partis istius et enumerata membra regulis alligata sed ire per litteras maxime* et Charisius ratione Romani consilii habita

p. 117, 8 *cuius rei rectam rationem interim differamus, contenti paucis, quae exempli gratia Gaius Iulius Romanus sub eodem titulo exposuit, ut interdum tacente ratione quantum sibi dederit auctoritas colligamus, scilicet tramitibus nominum per litteras stratis.* Forma autem, quam singulis quaestionibus dedit, est glossarum, similis titulis Verrii Flacci et Nonii Marcelli. Hanc Romanus invenit in auctoribus glossographicis ut Statilio et nonnunquam apud Plinium, quem titulos singulos habuisse docent ipsius verba p. 139, 21 *sub nomine ruris diximus* (cf. 137, 17. 61, 11), cuius generis exempla sunt quaestiones ut p. 118, 33 *aqualium an potius aquarium dici debeat quaerit Plinius* cf. 120, 4; 8. 135, 13; 17; 20. 136, 22. Omni quaestioni Romanus praefigit certum quoddam lemma, quod cum tota enuntiatione cohaerere solet, nonnunquam vero ut propria tituli pars per se legitur velut de analogia: 118, 21 *Amazon* 120, 8 *Augustas* 121, 19 *Aiax* 121, 21 *alacer* 122, 13 *aplustre* 124, 18 *consulari* 124, 28 *cervicium* 125, 9 *constante* 126, 9 *diligente* 127, 9 *decemvirali* 127, 11 *duumvirali* 127, 17 *Didun* 127, 22 *elephans* 123, 3 *felicium* 123, 19 *fonteis* al. de adverbio: 200, 24 *isto vilius* 212, 7 *parcissime* 216, 28 *recens.* Animadvertendum est lemma nonnunquam quaestionem sequentem parum recte indicare, scriptum igitur esse videri, ne titulus lemmate careat. Factum hoc est, ubi Romanus generalem affert Plinii regulam uno vocabulo, quod in eam cadit, lemmatis loco posito velut 118, 21 *Amazon.* '*quamvis nullum nomen Latinum on litteris finiatur et ideo Rhodum et Delum accusativo dicamus, tamen quaedam sunt*' *inquit Plinius Secundus* '*quae ad nos usque proprios gentis suae vultus formămque custodiant, ut Pluton Xenophon*' vel 122, 13 *aplustre. omnium nominum quae sunt neutri generis et in e terminantur ait Plinius Caesarem scisse eosdem esse ablativos quales sunt dativi singulares.* Nonnunquam vero Romanus regulam generalem a titulis quaestiones singulas continentibus alienam in opus suum transfert, ut apud auctorem eam invenit velut 121, 8 *as finita nomina casu nominativo singulari genetivum varie pronuntiant, ut Asprenatis Thoantis gigantis Atlantis. vocativus singularis similis erit nominativo. contra est Aeneas huius Aeneae et o Aenea, item Gyas Amyntas. nec interest Graeca sint necne.* 122, 16 *ar litteris finita.* 128, 7 *er syllaba finita nomina.* 144, 27 *tus aut lus nominativo singulari producto finita nomina.* 146, 12 *us litteris finita* (cf. 128, 12. 138, 9); in capite de adverbio 197, 28 *doctus lautus docte laute facit. cur bonus et malus non item producunt in adverbio e litteram? aiunt quidam, quoniam et in comparatione dissimiles sunt. doctus enim et lautus doctior lautior facit, malus ac bonus non item.* 203, 23 *lautus laute.* 199, 18 *furax furaciter facere debet, fur furtim, furtivus furtive, furans furanter, facilis facile; sed contra similis similiter, docilis dociliter, agilis agiliter, fortis fortiter.* 200, 1 *firme ab eo quod est firmus ut docte laute; firmiter ab eo quod est firmis, ut agiliter dociliter.* 203, 12; 15 *localibus adverbiis.* Quaestionis expositionem, quae lemma sequitur non raro desideratur ut 196, 16;

25; 28. 197, 13. 198, 1 al., Romanus auctori suo debet, quod dilucide cognoscitur locis, quibus ipse quaestionem de qua agitur illustrat idem auctoris verba addit:

p. 194, 29 *alias pro aliter Terentius in Andria ... ubi Fl. Caper de Latinitate 'non ausim adfirmare pro aliter dici. nam neque pronomen est neque adverbium temporis'. sed proximum vero est ut pro aliter dictum esse fateamur.*

p. 209, 7 *obviam pro obvius Sallustius historiarum II; ubi Asper ait 'vetuste ... adverbio maluit uti quam nomine' ...*

p. 222, 28 *ut pro utinam Terentius in Phormione ... ubi Arruntius Celsus 'pro utinam'.*

Scriptores, quos Romanus excitat, certissime non ipse legit, quod non recte visum est Neumanno *de Plinii dubii sermonis libris Char. et Prisc. font.* p. 12 in locis Ciceronis Tusculanarum et de senectute. Immo ut similes Ciceronis glossas ex Statilii Maximi libro 'de singularibus apud Ciceronem positis' hausit, eos apud auctorem glossographum opinor invenit. Auctorem Romanus ut Aulus Gellius modo nominat modo tacet. Saepius autem lemmata, quae auctoris nomen non praebent, grammaticis alias nominatis vindicavimus velut Capro titulum p. 125, 19 *canes* (cf. 145, 19 *torques*), Statilio lemmata p. 219, 19 *scorsum* 221, 8 *taetre* Catonis exempla continentia, Scauro p. 128, 5 *ego* 145, 14 *tu* 145, 17 *te* (cf. 133, 1 *im* 136, 36 *meus*). Cum Plinianis potissimum multi tituli cognati sunt, qui nomine eius carentes eandem doctrinam ostendant, ut de Plinio auctore dubitari omnino nequeat. In hoc auctore optime Romani ratio scribendi demonstrari potest. Totos ordines lemmatum ad eandem quaestionem grammaticam pertinentium ex eo sumpsit nomine auctoris nonnunquam addito. Ad ablativi formam e vel i clausam spectant ordines in littera a: 120, 17 *aedile,* 24 *avi,* 26 *agile,* 28 *annalei,* 30 *agreste* vel 121, 14 *auxiliare,* 15 *ablativos,* 17 *Astyanacte,* 19 *Aiax,* 21 *alacer,* in c: 124, 14 *contubernale,* 16 *ceriale,* 18 *consulari,* 20 *coniuge,* 21 *cicatrice,* 22 *celere,* 26 *celebre,* in d: 127, 7 *dapsile,* 9 *decemvirali,* 11 *duumvirali,* 12 *duplici,* in f: 130, 13 *facile,* 14 *familiare,* 20 *forte,* 22 *pro fragili,* 25 *felice,* 28 *face* al., ad accusativum pluralem: 129, 19 *fonteis,* 25 *funes,* 31 *ferocior,* 136, 1 *ferientium ferienteis,* 4 *facilioreis* al., ad genetivum singularem (ubi Plinius nusquam nominatur): 131, 28 *Hector,* 30 *habilis,* 33 *Hippocoon,* 131, 1 *hebes*—8 *homo,* 10 *heres.* Qua in re admonendum est Plinium regulam quandam semel datam multis vocabulis comprobasse. Romano autem de singulis vocabulis singulatim referenti eadem regula saepius repetenda est, velut grammaticum praeceptum ablativum quorundam nominum in e terminari, si de homine agatur, in i, si de re agatur, iteratur p. 120, 21; 26; 30. 121, 14. 122, 1. 124, 16; 18; 20 al. Parumper Romanus regulam afferre supersedet legentem ad aliud lemma ita relegans:

p. 120, 25 *avi, ut puppi, quoniam genetivus similis est nominativo, et idcirco non potest ad supra dictam regulam pertinere.*

p. 121, 19 *Aiax. ad eandem rationem id quoque pertinet nomen: Aiace ablativo; hunc tuebitur nec i admittet.*

p. 124, 21 *cicatrice sub eadem ratione censebitur,*
cuius generis exempla alia vide supra in Romani ipsius verbis atque sententiis. — Auctoris ipsa verba Romanus hunc potissimum in modum affert: 194, 29 *alias pro aliter Terentius in Andria ..., ubi Fl. Caper de Latinitate 'non ausim adfirmare pro aliter dici ...'* Qua ratione viri docti olim in errorem ducti sunt, cum ex ubi particula colligerent grammaticum ita laudatum scriptoris laudati commentarium composuisse. Quam Ritschelius Parerga I p. 363 recte interpretatus est, ut 'ubi Caper' sit idem atque 'quem versum afferens Caper'. Nam de commentariis non recte cogitari dilucide ostendunt loci, in quibus opus grammatici laudati ipsum nominatur vel aliunde notum est vel de interpretando scriptore omnino non agitur ut 194, 29 *ubi Fl. Caper De Latinitate* 207, 31 *novissime Tiro in Pandecte non recte ait dici ... ubi Fl. Caper de Latinitate* 196, 4 *Cicero; ubi Statilius Maximus* (cf. 202, 11) 202, 28 *Horatius epistularum; ubi Q. Terentius Scaurus in commentariis in artem poeticam* 120, 8 *cur pridie Kal. Augustas et non Augustarum dicimus? ubi Plinius Secundus eodem libro VI* (cf. 122, 25. 123, 10. 124, 28. 125, 3. 129, 10. 135, 15. 145, 5 al.). Sane eadem citandi ratio in grammaticis quoque invenitur, qui commentarios scripserunt: 196, 23 *Sallustius, ubi Asper* 197, 25 et 201, 3 *Terentius, ubi Acron* 198, 26. 203, 27. 221, 6; 9 *Plautus in Amphitryone, ubi Sisenna.* Unde iure quodam, si idem grammaticus ubi particula inducitur eundem scriptorem saepius interpretatus, commentarius effici potest, id quod ego feci in Arruntio Celso, cum in aliis ut Marcio Salutare dubitem, qui bis tantum Vergilium explicans occurrat. Sed hic subsistendum est, longius procedere non licet, nullo iure commentarios fingere possumus ex locis 198, 16 *Naevius, ubi Probus* 205, 1 *Maro, ubi Gnifo* 210, 6 *Lucretius, ubi Velius Longus.* — Diversum in modum Romanus auctores suos adhibet in diversis capitibus. Nam cum in capite de analogia in omni titulo unum sequatur auctorem — excepto fortasse titulo p. 139, 22 *omnes,* ubi Plinio Asprum iunxisse videtur —, in capitibus de adverbio de coniunctione de interiectione, quae eisdem auctoribus deberi videntur, saepe in unum titulum multa exempla ex diversis auctoribus hausta congerit. Atque aperte duos nominat auctores: 214, 17 *pariter pro pariliter Cicero, ut Maximus notat. similiter et Maro XI, ubi Celsus 'pro aequaliter': idem georgicon ... et ...* Iam si in titulis, in quibus Maximus nominatur, leguntur p. 196, 1 Sisenna Sallustius Cicero Naevius, p. 217, 3 et 213, 13 Cicero Afranius, p. 217, 9 Plautus, et in titulis, in quibus Celsus nominatur, leguntur p. 214, 4 Titinius Terentius Plautus, 223, 11 Terentius Plautus: unum exemplum, quod grammaticos interpretari videmus, ex iis sumptum est, alia aliunde. Item Flavio Capro unum exemplum debetur Ciceronis Bruti p. 199, 6 *elate Cicero de optimo genere oratorum ... idem in Bruto ... ut etiam*

Fl. Caper refert, cum Ciceronis alius locus ad fontem redeat eundem atque antecedens lemma, quod eiusdem libri solum exemplum continet. Item non ex Helenio Acrone fluxerunt exempla p. 200, 18 Afranii 229, 24 Naevii Plauti Catonis.

Ratio dicendi vel dictio Romani[1]) artificiosa et subobscura est, longe aliena a simplicitate latinitatis aureae. Cf. Keil. praef. p. XLVII Christ. Monac. doct. iud. 1859 p. 206. Solet Romanus copiam quandam verborum adhibere, notionem simplicem plenius circumscribere, dictionis figuras usurpare, quam rationem ex his locis capitis de adverbio ineuntis cognoscas:

p. 190, 18; 19 *non quia nesciam quaedam aliis partibus orationis adverbia esse communia et velut nominis iuncta consortiis ut gratis falso . . . item coniunctionem nexibus strictiora . . .*

p. 190, 22 *et Umbrius tamen interiectionibus locum non dedit, cum velut extrema linea duci postremo vel ab his posset, qui eam orationis partem adverbii totam esse voluerunt.*

p. 190, 24 *quorum siquis defensionis ineat tramitem.*

p. 191, 10 *omnes etenim adverbiorum cernimus semitas ire.*

p. 191, 13; 14; 16 *loci namque si fuerit adverbium, velut illic . . . per se nihil faciet nec ullam poterit significationis expedire caliginem, nisi coniunctum verbo velut quaedam in tenebris lux clarior et facies antevertat. itaque 'illic sto' 'illic ero' . . . verborum accessu fit adverbium multi luminis ac potestatis.*

p. 191, 28 *itaque nec fidei commissorum voluntas sequius accessit, ut nos in ea parere iudicium, quamvis tacitum nec adscriptum, votorum solis nisibus et indiciis crederemus.*

p. 192, 15 *interiectionis propria vis et potestas.*

p. 192, 26; 28 *etenim hoc non capit collationis officia, ut arcane arcanius arcanissimeque dicamus aut false falsius falsissime . . . haec enim duo possunt ordines ducere et per augmenta venire sublimius.*

p. 193, 6 *sed quidem non ea contenti ratione consortii iure putant e et o inter se litteras expedire.*

p. 193, 21 *quae quidem ego reprehendenda non iudico, siqua ratio fortasse non firma nec in legibus suis durans interdumve succumbit alienis elegantiarum remediis adquiescens fidemque proclamat, auctoritatis videlicet nec adeo sanctionis, alienis viribus manus tradens.*

p. 194, 12 *per easdem vias pedetemtim subire conabimur, quidve sit cum officiis rectae constitutaeque rationis quidve licentius proditum requiramus.*

p. 194, 19 *sed ut facilitas legentibus adsit non requisita, placeat non per sapores specimenque partis istius et enumerata membra regulis alligata sed ire per litteras maxime . . .*

---

1) Dictionis Romani exempla collegit Boeltius annal. philol. 1888 p. 409 adn. 23.

Ex Romani dicendi ratione cum de aetate scriptoris colligi possit, tum in hac quaestione aetas scriptorum respicienda est, quos Romanus excitat. Qua in re Osannum *de Capro et Agroecio grammaticis* p. 7 erravisse, cum Romanum Hadrianum p. 209, 12; 18 et 222, 21 'divum' vocantem non ita multo Hadriano posteriorem esse iudicaret, Keilius p. XLVII demonstravit M. Aurelii exemplo. Addam Romanum Hadrianum p. 209, 12 mea sententia non ipsum inspexisse sed a Terentio Scauro Hadriani aequali accepisse, qui imperatorem aequalem apte sane divum vocaverit. Hoc argumento corruit Christii Philolog. XVIII p. 123 sententia contra Keilium prolata Romanum Hadrianum divum vocare addentem titulum libri, quod in M. Aurelio non sit factum, et Hadrianum mortuum rectius divum audiri. Praeterea Christius ex eo quod M. Aurelius non dicatur imperator, at p. 223, 26 'Aurelius Caesar' effecit Romanum vivo T. Antonino Pio scripsisse, cum Niebuhrius in Frontone p. XXVII et 96 discerneret inter epistulas Frontonis ad M. Caesarem et ad M. Antoninum Aug. datas. Hoc vero certissimum est scriptores recentiores M. Aurelio, Frontone, Apuleio, Gellio, quem Romanus ipse p. 139, 2 in titulo ex Plinio sumpto addidit, qui praeterea in locis Romano coniectura tribuendis p. 54, 13 s. 55, 7. 71, 29 legitur, apud Romanum non occurrere. Nihil docent grammatici, quorum aetas incerta est ut Helenius Acro, Porphyrio, Arruntius Celsus, Statilius Maximus alii. Ut igitur summam cum Keilio faciamus: Romanus librum ἀφορμῶν sub finem fere alterius vel initio tertii saeculi composuit.

De Romani denique patria unus fortasse locus aliquid lucis afferre potest: p. 215, 22 *primo pedatu Cato senex ... ut Maximus notat. hodieque nostri per Campaniam sic locuntur.* Necessario quidem hine non sequitur Romanum Campanum fuisse, sed meo sensu recte ita hunc locum interpretabimur, cum Romanus non is sit, qui accurata studia in dialectis linguae latinae posuerit, sed qui simpliciter, ut supra vidimus, suae aetatis et suae patriae dicendi consuetudinem cum observationibus de prisco sermone latino ab auctore suo factis conferat.

DER
STAAT DER ATHENER
UND KEIN ENDE.

VON

FRANZ RÜHL.

Seit ich im Frühling des vorigen Jahres meine Betrachtungen über die neue Ἀθηναίων πολιτεία niedergeschrieben [1]), ist eine ausserordentlich umfangreiche Literatur darüber angewachsen. Namentlich hat sich ein grosser Eifer der Textkritik zugewandt; manche verdorbene oder lückenhafte Stelle ist geheilt, mancher Fehler der ursprünglichen Lesung berichtigt worden. [2]) Das hat auch hier und da zur Beseitigung eines sachlichen Bedenkens geführt, fast nirgends freilich zu der eines ernsthaften Anstosses. Einzelne Abschnitte haben werthvolle Erläuterungen erfahren, wie der über das Gerichtswesen durch Lipsius. Allein von den damals von mir vorgetragenen Gründen gegen den aristotelischen Ursprung und gegen die Glaubwürdigkeit der historischen Angaben ist durch all jene emsige und zum Theil so erfolgreiche Thätigkeit kaum einer bei mir ins Wanken gekommen; ich hatte vielmehr die Genugthuung, wahrzunehmen, dass vielfach die verschiedensten Gelehrten in den verschiedensten Ländern ganz unabhängig von einander zu ähnlichen negativen Ergebnissen gelangt sind, während freilich ihre positiven Anschauungen naturgemäss noch mannigfach auseinandergehen. Ich selbst hatte damals eine bestimmte Meinung über das Problem zu äussern ausdrücklich abgelehnt; seitdem hat sich auch mein eigenes Urtheil geklärt und befestigt, und ich hatte meine jetzige Auffassung in einem Aufsatze niedergelegt und bereits zum Abdrucke eingereicht, als mich Theodor Gomperz mit einer Streitschrift überraschte, welche schon um des Namens des Verfassers willen nicht wohl unerwidert bleiben durfte. Ich habe daher geglaubt, jene Abhandlung zunächst zurückziehen und ihr dasjenige einfügen zu sollen, was sachlich gegen Gomperz zu sagen war, zugleich aber einige Punkte, welche ich im Frühjahr nicht für Alle deutlich genug hervorgehoben hatte, näher auszuführen. Ich war Mitte October mit der Arbeit fertig, allein nun verhinderte der Ausstand der Setzer die Drucklegung. Der Aufsatz erscheint jetzt später, als ich wünschte, aber, abgesehen von ein paar Kleinigkeiten, ganz in der ursprünglichen Gestalt.

---

1) Rheinisches Museum Bd. XLVI S. 426 ff.

2) Ob dazu p. 76, 7 τῶν πολλῶν statt τῶν πολέμων gehört, ist mir nach Einsicht des Facsimiles (ich benutze die 2. Auflage) zweifelhaft; zwischen πολ und dem Buchstaben, den Kenyon jetzt für ein λ hält, ist ein Zwischenraum, der den Eindruck macht, als hätte dort noch ein Buchstabe gestanden.

Offengestanden: wenn ich nicht nur zu gewiss wäre, dass Theodor Gomperz jene Schrift verfasst hat, ich würde mich ungern entschliessen, es zu glauben. Wo ist jene zwingende Logik, die uns so oft zur Bewunderung hingerissen hat? Wo ist jene Schärfe der Beweisführung, welche immer den springenden Punkt herauszufinden, das Unklare zu entwirren, die Gründe für und wider so schlagend vor Augen zu führen verstand? Wo bleibt jene Einsicht in die Fehlergrenzen, deren man sich bei jeder Untersuchung bewusst sein muss, hier, wo sich der Autor wundert, dass sein Gegner selbst das Material vorgelegt hat, das gegen ihn zu sprechen scheint? Auch den sicheren, geschulten Blick für staatliche und sociale Verhältnisse, welcher Gomperz sonst auszeichnet, sucht man diesmal vergebens. Ich schweige von dem Ton der Polemik; Grobheit ist kein Beweisgrund, und in der Wissenschaft kommt es nicht darauf an, den Gegner zum Schweigen zu bringen, sondern darauf, ihn zu widerlegen.

Es ist möglich, dass sich Gomperz im Tone vergriffen hat, weil er einzelne Wendungen meines Aufsatzes auf Personen bezog, welchen sie nicht galten. Es wäre das seine eigene Schuld; ich habe deutlich genug gesagt, dass sie auf jene Popularschriftsteller zielten, welche den neuen Fund dem grossen Publicum anpriesen und es die sonstige Ueberlieferung über die athenische Geschichte zum alten Eisen werfen hiessen, und zwar zum Theil zu einer Zeit, wo kaum Jemand in der Lage sein konnte, das viele Neue, das uns geboten ward, auf seine Haltbarkeit geprüft zu haben. Er hat ferner den Zweck meines Aufsatzes verkannt und den Ort nicht beachtet, wo er erschien, wenn er meint, ich hätte auch die guten und werthvollen Nachrichten aus dem neuen Funde hervorheben sollen. Für das Lob war von anderer Seite genügend gesorgt, und ich schrieb für Fachgenossen, die das Buch in Händen hatten, nicht für die Leser der Deutschen Rundschau oder der Vossischen Zeitung. Und wenn er so oft Tadel findet, wo bloss Thatsachen angeführt werden, so ist auch das lediglich seine Sache; ich lehne jede Verantwortlichkeit für Aeusserungen ab, die ich nicht gethan habe. Noch eins habe ich zu fragen: wie komme ich allein zu der Ehre, von Gomperz widerlegt zu werden? Warum redet er nicht von Macan, von Th. Reinach, von van Leeuwen, von dem Essayisten der Quarterly Review? Sollte er wirklich nicht gewusst haben, dass ich nicht alleinstehe?

Indessen kommen wir zur Sache. Es ist nöthig, zunächst den Thatbestand darzulegen, den Ausgangspunkt für jede ernsthafte Untersuchung; es erscheint diesmal als um so wichtiger, da er über dem Lärm der Tageszeitungen auch bei den Gelehrten hie und da in Vergessenheit gerathen zu sein scheint.

Bereits am 6. Mai v. J. war Gomperz in einer Sitzung der Wiener Akademie gegen einige englische Gelehrte aufgetreten, welche sprachliche Einwendungen gegen den aristotelischen Ursprung der Schrift erhoben hatten, und zwar in einer Weise, aus welcher man schliessen

